
XXIX



Ex Officina Joh: Fried: Zeidleri

D. IVSTINIANI, SACRATISSIMI PRINCIPIS, INSTITVTIONVM LIBRI QVATVOR.

IN
GRATIAM CVPIDÆ LEGVM
IVVENTVTIS,
NOTIS MAXIME NECESSARIIS EXPLANATI
A

IO. SAM. STRYKIO, D.
PROF. PVBL. ORDIN. IN ACADEMIA
FRIDERICIANA.

EDITIO QVINTA.

CVM PRIVILEGIO
S. REGIÆ MAIEST. POLON. ET ELECT. SAX.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ
IMPENSIS IO. FRIDERICI ZEITLERI VIDVÆ.
M DCC XXVI.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO GVILIELMO,

ELECTORATVS BRANDENBVRGICI HEREDI,

SVPREMO DVCI IN BORVSSIA, MAGDEBVRGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASSVBIORVM ET VANDALORVM VT ET IN SILESIA CRONAE DVCI, BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE, MARCÆ, RAVENSBERGAE, DOMINO RAVENSTEINII, ET TERRITORIORVM LEOBVRGICI ET BVTOVII, ET RELIQVA.

IVVENTVTIS PRINCIPI,

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,

FELICITATEM PERPETVAM!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME!

Qvem cupidæ Legum Iuventuti quondam consecrauerat libellum Iustinianus Imperator, hunc si Tibi, Iuuentutis Principi inscribam, DOMINE CLEMENTISSIME, rem fastigio TVO non indignam fore, vt credam, communis illa tot subditorum iubet exspectatio. Etenim cum multarum prouinciarum successorem Te destinauerit Deus O. M. & Paternæ Auitæque gloriæ exempla plane inusitata Tuis obuersentur oculis, nemo ex tanto subditorum numero est, qui Te, SERENISSIME PRINCEPS, tot virtutum stimulis incitatum, publicæ salutis certissimum statorem aliquando futurum, sibi non persuadeat. Vti enim Aquilæ imbellem non progenerant columbam, sic pariter Auita gloria, Paternumque decus Te non destituent,
post-

poſtquam in prima iam ætate, di-
gnas Principe virtutes, ſub incom-
parabili Ductore, ſectaris ſtrenue,
& illis artibus, quæ ſceptro Bran-
denburgico quondam feliciter mo-
derando profuturæ, iam a teneris
probe adſueſceris. Ad has vero
præter armorum decus, etiam le-
gum ornamenta in hoc libello retu-
lit Imperator, artisque & Martis
ſtudia coniunxit. Imo vtramque
hanc viam cum ſummis vigiliis,
ſummaque prouidentia, annuente
Deo, perfecit ſapientiſſimus Parens
Tuus, cuius bellicos ſudores Im-
perii hoſtes cognoſcunt, & tot vi-
ctoriis, a cœleſti Numine præſti-
tis, terræ Brandenburgicæ ab in-
ſultu hoſtili liberatæ, Pace Imperio
reſtituta, proteſtantur. Tibi vero,
PRINCEPS SERENISSIME,
cum Martis præludia non ignota
ſint, reſtare hoc vnicum videba-
tur, vt & legum amor pedeten-
tim in pectore tuo ſedem figat.
Huc vero cum colliment prima
hæc iuris elementa, auctoritate
Imperatoria quondam conſcripta,
iam

iam autem notis quibusdam illustrata, Serenissimo Nomini Tuo hæc consecranda censui, vt, cum hic Magni Parentis Tui prudentissimum symbolum, SVVM CVIQVE, plenius declaratum appareat, hoc incitamento Tibi sit, artem suum cuique tribuendi, hoc est feliciter imperandi, perfectius cognouisse. Accedit, quod Academia hæc Fridericiana, Te Rectore Magnificentissimo, a primo natali suo, hactenus floruerit ex voto, & Te musis nostris porro fauente, vlteriora sibi promittat incrementa. Necessum itaque est, vt Tibi muneris commissi rationem reddant, quotquot Te Musis imperante Professorum munere funguntur. Accipe ergo, PRINCEPS SERENISSIME, vultu clementissimo hæc legum elementa, tanquam deuotissimi obsequii tesseram certissimam. Faueas porro litteris, faueas legibus, sine quibus omne decus armorum corruit. Deus vero Te seruet in augmentum gloriæ domus

domus Brandenburgicæ, & faxit, vt aliquando felicior AVGVSTO, melior TRAIANO, iuſtior IVSTINIANO, & cum TITO generis humani delicium exiſtas

VR. SERENIT.

Halæ Menſ. Mart. MDCXCIIX.

ſubiectiſſimus ſeruus

IO. SAMVEL STRYKIVS.

L. B. S.

QVæ pro concilianda lectoris beneuolentia præfari solent librorum auctores, aut editores, excusationum vel commendationum argumenta prolixe deducendo, hæc si studio hac vice præteream, veniam me impetraturum, confido facile: frustra enim illa plerumque adduci, in propatulo est. Feci ego, quod muneri meo, Institutionum Imperialium professioni destinato, incumbere censui. Scilicet, leui simplicique via, sensum textus Iustiniani, eiusque potissimas rationes cupidæ legum iuuentuti demonstrare libuit, ne hæc ex amplioribus commentariis repetere, magno cum labore, necessum habeant, sed primo intuitu cum ipso textu conspicere possint. Quapropter, omissis inutilibus, nihil, nisi quod in ipsis rerum obtinet argumentis, adducendum censui, cuius rei vtilitas, se ipsam, volente Deo, ostendet; imo si eius susciperem commendationem, suspecti testimonii reus postularer, qui potius arbitrium omne Tuo B. L. iudicio, futuroque studiosorum experimento relictum cupio.

Cete-

Ceterum cum libellis Institutionum regulas iuris plerumque subiiciant editores, illorum morem non repudiabo; cum tamen, quae in calce Digestorum exhibentur regulae, vbiuis obuiae sint; placuit illarum vice, eas substituere, quas ex iure, tam canonico quam ciuili, Augustissimo LEOPOLDO Imperatori imprimendas censuerunt, qui studiis ipsius moderandis in primo iuuentute praefecti. Distributae sunt illae iuxta litteras initiales augusti nominis: LEOPOLDVS IGNATIVS, Hungariae & Bohemiae Rex; vt hinc tanti Principis exemplum imitandi, generosis mentibus incitamento esse, simulque memoriam discentium iuuare possint. Faxit Deus, cuius gloriae destinaui studia mea, vt ex hoc labore in cultores Legum industrios, fructus amplissimi redundent, quos iterum in Dei honorem, iustitiae incrementum, & Reipubl. salutem, feliciter impendere possint. Bene vale, Lector beneuole, mihique faue. Dabam Halae Magdeb. d. XXVI. Mart.

A. O. R. M DC XCIIX.

IN-

INDEX
TITVLORVM INSTITV-TIONVM.

de

PROOEMIVM.
De Confirmatione Institutionum.
IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

IMPERATOR CAESAR FLAVIVS IVSTINIANVS, ALEMANNICVS, GOTHICVS, FRANCICVS, GERMANICVS, ANTICVS, ALANICVS, VANDALICVS, AFRICANVS, PIVS, FELIX, INCLYTVS, VICTOR AC TRIVMPHATOR, SEMPER AVGVSTVS, cupidæ legum iuuentuti S.

De

Ad Procemium:

Proœmium) Hoc in omni negotio attendendum, vnde causa, quæ ex procemio sumitur, pro finali habetur, cum ex procemio probetur mens & voluntas disponentis, Tiraquel. *Tr. Cess. caus. lim.* 1. *n.* 64. *&* 65. Hinc cuiusque rei potissima pars principium est, *L.* 1. *ff. de Orig. Iur.* vid. Disp. nostra *de Iure Præfationum.*

in nomine) Hæc verba non sunt Iustiniani, hinc omissa ab Haloandro, Charonda & Theophilo, vsus tamen illis est Imp. in *L.* 1. *&* 2. *C. de Offic. Præf. Præt. Afri.* Frustra ergo quæritur, an Instrumentis præmittenda inuocatio? Hodie non in aliorum, sed Notariorum Instrumentis necessaria est, per *Ord. Not. Maximil. de anno* 1512. §. 3.

Imperator) Hoc quondam summi Ducis militiæ nomen fuit; Cæsaris autem a Iulio Cæsare de-

A scendit,

ſcendit, & vbi ſimpliciter occurrit, futurum Imperii ſucceſſorem denotat, *vid. L. 2. C. ſi contra ius. L. 7. C. de Malefic.* Et ita Iuſtinianus *Cæſar* fuit antequam *Imperator*, vti conſtat ex *L. vlt. C. de Offic. Magiſt. officior.*

Flauius.) Eſt hoc cognomen gentilitium familiæ Veſpaſiani. *Sueton. in Veſpaſ. cap. 1.*

Iuſtinianus.) Natus in Pannoniæ ciuitate *Acbrido* quam poſtea appellauit *Iuſtinianam primam*, & Archiepiſcopatûs priuilegio ornauit, *Nou. XI.* Nomen ipſi primo apud Pannonios fuit VPRAVDA; a Romanis deinde *Iuſtinianus* dictus, forte in honorem patris adoptiui Iuſtini, *§. 3. inſt. de Donat.*

Alemannicus) Teutonia quondam diuiſa fuit in Alemanniam, Rhetiam, & Germaniam in ſpecie ſic dictam. *Rhetiam* collocant inter Alpes Iulias ad dextrum Danubii latus ab eius ortu vsque ad Pannoniam ſuperiorem. *Germaniam* ad Rhenum ſitam eſſe volunt, cultam a trans & cis Rhenanis. *Alemannia* eſt illa pars, quæ Rheno & Alpibus includitur, Brisgoam, Heluetiam & maximam Burgundiæ partem continens. *Goldaſt. in dedicat. Op. Rer. Aleman.*

Gothicus) Tituli hi plerique a deuictis gentibus petiti. Hodie Tituli principum non ſemper denotant prouincias actu poſſeſſas, ſed vel prætenſionem, vel ſperatam ſucceſſionem; hinc & *Apannagiati* integrum titulum retinent.

Pius) Hoc nomen primus obtinuit *Antonius*, a quo ad alios tranſiit, teſte Imp. *Nov. 78. cap. 5.*

Semper Auguſtus) Carolus M. Auguſti nomen a Papa populoque Romano accepit, omiſſa particula *ſemper*. A temporibus autem Friderici I. ſe ſemper Auguſtos ſcripſerunt, quod ab *augurio* non *augendo* deſcendit, verſum tamen a Germanis eſt, allezeit Mehrer des Reichs, quo titulo etiam vtitur Rex Romanorum. Vid. *Capit. Ioſephi in pr.*

De vsu armorum & legum.

IMPERATORIAM maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam Legibus oportet esse armatam: vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis, recte possit gubernari: & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator (magnificus.)

De bellis & legibus Iustiniani.

1. Quorum vtramque viam cum summis vigiliis, summaque prouidentia, annuente Deo

---

Ad princ. *Armis decoratam.*) Quod arma legibus hic præferantur, inde nulla militibus præcedentia præ litteratis. Nam in verbis dispositiuis tantum ordo scripturæ inuoluit præferentiam, *L. 60. ff. de hered. inst.* coniungi vero arma LL. debent, sunt enim illa sine his latrocinia & hæ sine illis inualidæ & inefficaces. Vnde iura gladio armanda, *L. Cum vir nubit 31. C. ad L. Iul. de Adult.* quomodo vero litterati militibus comparentur, vide in *L. Aduocati 14. C. de Aduoc. diuers. iudicior.*

Princeps.) Imperatorem hæc vox in iure designat *L. Princeps 31. ff. de LL.* hinc Principibus Imperii non aliter applicanda, quam intuitu superioritatis territorialis.

Deo, perfecimus. Et bellicos quidem ſudores noſtros barbaricæ gentes ſub iuga noſtra redactæ cognoſcunt; & tam Africa, quam aliæ innumeræ prouinciæ, poſt tanta temporum ſpatia, noſtris victoriis a cœleſti Numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ noſtroque additæ imperio, proteſtantur. Omnes vero populi Legibus, tam a nobis promulgatis, quam compoſitis, reguntur.

De compoſitione Codicis & Pandectarum.

2. Et cum ſacratiſſimas Conſtitutiones, antea

Africa) Pro eius liberatione gratias Deo agit Imp. in *L.* 1. *pr. C. de Offic. Præfect. Præt. Afr.*

Spatia) Per 95 annos Vandali Africam detinuerant *d. L.* 1.

Victoriis) Per Narſetem & Beliſarium Duces obtentis, quas non minori iure ſibi adſcribit Iuſtinianus, quam quo tot ampliſſimas contra Barbaros victorias Leopoldo Auguſto tribuimus.

Omnes vero populi) Quæ in iure de omni populo, de mundo, vel toto orbe dicuntur, regulariter reſtringenda ad orbem Romanorum, Conf. *L. in Orbe* 17. *ff. de Stat. Rom. L.* 9. *ad L. Rhod. de iact.* quatenus noſtris gubernaculis regitur *L.* 14. *C. de iud.*

Promulgatis) Suas leges promulgauit Iuſtinianus, ſiue propoſuit: ſuas vero & alienas compoſuit, ſeu in ordinem redegit.

Con-

antea confusas in luculentam ereximus consonantiam, tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina, & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cœlesti fauore iam adimpleuimus.

De

Confusas.) Per tres diuersos Codices, *Gregorianum*, qui continebat Rescripta Impp. ab Hadriano vsque ad Valerium & Galienum; *Hermogenianum*, qui continebat Constitut. Impp. a Galieno vsque ad Constantium M. & *Theodosianum*, in quo collectæ erant Constitutiones Impp. a Constantino M. vsque ad Theodosium. vid. *Const. de Iustinianeo Codice confirmando.* Priores duo priuata constabant auctoritate; tertius publica.

Consonantiam.) Factum hoc in primo Codice qui *Iustinianeus* dicebatur, qui *die 7. Aprilis 529.* publicatus. Sed hunc Codicem compositis ff. sustulit Iustinianus, nouum & reuisum edendo, qui inde appellatur Codex *repetitæ prælectionis*, qui publicatus die 16. Nou. anno 1534. vid. *Constit. de nou. Cod. faciendo.* Cum ergo prior Codex in Institutis tantum allegetur, inde fit, vt aliquando allegentur LL. ex Codice, quæ in nostro non extant.

Veteris prudentiæ.) Digesta intelligit, quæ ex Responsis prudentum seu ICtorum constant, quod opus intra triennium absoluit. vid. *Constit. de Confirm. ff.*

Desperatum.) Erant enim duo millia volumina & trecies centena millia versuum, quibus antea constabat Iurisprudentia. *L. 2. §. Postea C. de V. I. E.*

De compositione institutionum.

3. Cumque hoc, Deo propitio, peractum est, *Triboniano*, viro magnifico, Magistro, & Exquæstore sacri palatii nostri, & Exconsule, nec non *Theophilo* & *Dorotheo*, viris illustribus, & Antecessoribus (quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem, iam ex multis rerum argumentis accepimus) conuocatis, mandauimus specialiter, vt ipsi nostra auctoritate, nostrisque suasionibus *Institutiones* componerent: vt liceat vobis *prima legum cunabula* non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere: & tam aures, quam animi vestri nihil inutile, nihilque perperam positum,

---

Ad §. 3. *Magistro.*) De hoc & similibus officiis aulæ Imperialis, elegantissime egit Iac. Gutherus, *Tr. de Offic. Dom. August.*

Nostra auctoritate.) Frustra igitur in Tribonianum inuehunt nonnulli. quod loca quædam Digestorum interpolauerit; vid. Wissenbach. *in emblem. Triboniani*, siquidem id mandato Imp. & autoritate publica fecit. Et Imperator valere voluit has LL. non quat. Vlpiani vel Papiniani, sed quat. ab ipso publicatæ.

Antiquis fabulis.) intelligit illas otiosas solennitates, quæ olim in variis negotiis, v. gr. in testamentis per æs & libram adhibebantur, aliaque iura antiquata.

Obti-

tum, ſed quod in ipſis rerum obtinet argumentis, accipiant. Et, quod priore tempore vix poſt quadriennium prioribus contingebat, vt tunc Conſtitutiones Imperatorias legerent, hoc vos a primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, vt & initium vobis, & finis legum eruditionis a voce Principali procedat.

Diuiſio Inſtitutionum.

4. Igitur poſt libros quinquaginta Digeſto-

Obtinet argumentis.) Hoc ita tempore Iuſtiniani. Multa tamen ſucceſſu temporis in deſuetudinem iuerunt.

Quadriennium.) Poſtea quinquennium ſtudio iuris præfinitum ab Imp. *Conſt. Omnem in proœm. ff.* §. 2. vbi primo anno dicebantur *Dupondii* vel *iuſtinianæi noui.* 2. *Edictales.* 3. *Papinianiſtæ.* 4. *Lytæ.* 5. *Prolytæ.* Ad iuris Canonici ſtudium ſeptennium exigi volunt. *C. Cum ex eo 34. de Elect. in 6.* Conf. *Ordin. Cameral. de Anno 1555. P. 1. t. 3.* §. 2. Hodie ad annos non reſpicitur. R. Imp. *de Anno* 1654. §. 28.

Et finis.) Incipimus enim ſtudium iuris ab inſtitutis, & finimus idem in Codice & Nouellis, vel hodie, in ipſis Imperii Receſſibus.

Ad §. 4. *igitur poſt.*) Ius vetus in ordinem digeri mandauit *d. 15. Dec. Anno 530.* confirmauit autem *d. 16. Dec. 533.* Antequam autem publicaret ff. compendii loco inde confici iuſſit inſtitutiones, quas ante ff. publicauit. Sunt itaque Inſtituta poſteriora ff. compilatione, ſed priora publicatione.

gestorum, seu Pandectarum, in quibus omne Ius antiquum collectum est, quod per eundem virum excelsum Tribonianum, nec non ceteros viros illustres & facundissimos confecimus: *in quatuor libros easdem Institutiones* partiri iussimus, *vt sint totius legitimæ scientiæ prima elementa.*

Quid in Institutionibus contineatur.

5. In quibus breuiter expositum est, & quod *antea* obtinebat, & quod *postea* desuetudine inumbratum, Imperiali remedio illuminatum est.

Ex quibus libris compositæ sunt Institutiones, & de earum confirmatione.

6. quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipue ex commentariis Caii nostri, tam Institutionum, quam rerum

Viros illustres.) Hunc titulum Professoribus, qui per 20. annos sedulo in Academia docuerunt, competere, probant ex *L. vn. C. de Profess. qui in vrb. Constantinop.*

Elementa.) Ad horum numerum respexit Imp. in quatuor libros distribuendo Institutiones; cum pro ratione materiarum in personas, res, & actiones, diuidere debuisset.

Ad §. 5. *Imp. remedio.*) Ad Constitutiones & Decisiones nouissimas respicit, quæ in Institutis referuntur, v. gr. in §. *vlt. Instit. quib. alien. licet.* §. *16. Inst. de Obligat. quæ ex del.*

Ad §. 6. *Caii nostri.*) Eius fragmenta adhuc ostendunt. Vti & Theodosianus Codex adhuc extat

rum quotidianarum, aliisque multis Commentariis compositas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt, & legimus, & recognouimus, & plenissimum nostrarum Constitutionum robur eis accommodauimus.

Adhortatio ad studium Iuris.

7. Summa itaque ope, & alacri studio has Leges nostras accipite: & vosmet ipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam

---

extat, quem elegantissimis notis illustrauit Iacobus Gothofredus VI. Tomis. Non tamen possunt, vel debent, isti libri ad decisionem causarum allegari, sub pœna criminis falsi, quam & iudex incurrit, qui illas LL. admittit. vid. *Constit. Tanta de Conf. Digest.* §. 19. quæ est *L. 2. C. de V. I. E.*

Et legitimus.) Ergo literarum ignarus non fuit Iustinianus, alioqui enim ludibrio se exposuisset, ad lectionem suam prouocando.

Constitutionum.) Habent ergo Instituta cum Digestis & Codice LL. auctoritatem, & pariter ad decidendas in foro causas, allegari possunt.

Robur.) Germanos Ius Ciu. non aliter obligat, quam in quantum receptum. De qua receptione vid. *Ord. Wormat. de Anno 1495. Ord. Cam. de Anno 1500.* §. Ordnen setzen. Conring. *de Orig. Iur. Germ. c. 33.* Addatur Arthurus Duck *de Autoritate Iuris Ciu. Rom.*

cam in partibus eius vobis credendis gubernari. D. CP. XI. Kalend. Dec. D. IVSTINIANO PP. A. III. COS.

D. CP. XI. Kalend. &c.) i. e. *Data Constantinopoli XI. Calend. Decembris, Domino Iustiniano perpetuum Augusto, tertium Consule.* Annos Christi tunc temporis adscribere moris non fuit, quos tamen LL. Codicis subiecit Gothofredus. Fuit autem *Annus 533. d. 21. Nov.*

INSTITVTIONVM
SEV
ELEMENTORVM
D. IVSTINIANI
Sacratissimi PRINCIPIS,
LIBER I.
DE IVSTITIA ET IVRE.
TITVLVS I.
Dig. I. 1.
Definitio Iustitiæ.

IVstitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.

Defi-

TITVLVS I.

Voluntas.) Seu propositum, quia ex hoc distinguuntur facta iusta ab iniustis *L. 53. pr. ff. de furt.* Et hoc propositum in homine potest esse constans & perpetuum, licet aliquando præter intentionem a regula iusti decedat.

Suum.) Meum est, quod vel iure dominii iam meum est, vel ex obligatione mihi debetur.

Cuique.) Sc. proximo, nam de *particulari* iustitia hic agitur. Sic ad *Deum, proximum, & se ipsum* referatur vox *cuique*; erit Iustitia *uniuersalis.*

Definitio Iurisprudentiæ.

1. Iurisprudentia eſt diuinarum atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia.

De Iuris methodo.

2. His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere Iura populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſime, ſi primo leui ac ſimplici via, 2. poſt deinde diligentiſſima atque exactiſſima interpretatione ſingula tradantur: alioqui, ſi ſtatim ab initio rudem adhuc & infirmum animum ſtudioſi multitudine ac varietate rerum onerauimus, duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut cum magno labore, ſæpe etiam cum *diffidentia*, (quæ plerumque iuuenes auertit) ſerius ad id perducemus, ad quod, leuiore via ductus, ſine magno labore, & ſine vlla diffidentia, maturius perduci potuiſſet. *Iu-*

ſis. Sed hæc ad Theologos, cum circa interna verſatur, illa ad ICtos, cum circa externa tantum, verſatur, pertinet.

Ad §. 1. *Iurisprudentia.*) Alias dicitur *ars æqui & boni L. 1. pr. ff. h. t.* hoc eſt, temperamentum æquitatis naturalis, & ſalutis publicæ, quæ in pietate & honeſtate conſiſtit. *1. Tim. 2. v. 2.*

Diuinorum.) Quantum ſcilicet *circa* res diuinas iura redduntur; ſiue quatenus externo cultu expediuntur.

Notitia.) Hæc reſpicit facta, quibus iuris ſcientia applicanda, quæ applicatio cum prouida LL. interpretatione coniuncta prudentiam exigit.

Ad

Iuris præcepta.

3. Iuris præcepta sunt hæc 1. honeste viuere. 2. alterum non lædere. 3. suum cuique tribuere.

Diuisio iuris in publicum & priuatum.

Huius studii duæ sunt positiones, Ius publicum & priuatum. *Publicum* Ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat. *Pri-*

va-

Ad §. 3. *Præcepta.*) Non principia; fluunt enim hæc ex iure præexistente. Respicit vero *primum* præceptum hominem *solum*, reliqua duo, hominem *in societate* viuentem, vbi *secundum*, hominis officium exhibet in non faciendo, *tertium* in faciendo. Opponuntur in specie hæc tria præcepta tribus potissimis affectibus: libidini, iræ, & cupiditati.

Honeste viuere.) Hæc non solum quid liceat considerandum, sed & quid honestum sit. *L. semper 42. ff. de ritu Nupt.*

Lædere.) Multo minus se ipsum. vide Balth. Gomez. de Amescua *Tract. de Potestate hominis in seipsum.* Exceptionem illius regulæ parit ordinata charitas *L. Præses 6. C. de Seruitut. L. 24. §. vlt. & L. 26. ff. de Damno inf.*

Tribuere.) Salua tamen alteris iustiore petitione *L. bona fides 31. ff. depos.*

Ad §. 4. *ad statum*) hoc est, ab subsistentiam & conseruationem Reip.

Romanæ.) Hodie Romano-Germanicæ. Variat autem ius publicum pro diuersitate Rerump.

Spectat) Et quidem *immediate.*

Per

vatum, quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet. Dicendum eſt igitur *de Iure priuato*, quod tripartitum eſt: collectum eſt enim 1. ex naturalibus præceptis, 2. aut gentium, 3. aut ciuilibus.

TITVLVS II.
DE IVRE NATVRALI, GENTIVM ET CIVILI.

Iuris naturalis deſcriptio.

IVs naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam Ius iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium, quæ in cœlo quæ in mari naſcuntur. Hinc deſcendit maris atque feminæ coniunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio,

hinc

Pertinet.) Itidem *immediate;* alias enim, ſi ſubditis bene ſit, etiam Principi bene erit.

Naturalibus præceptis.) Huc pertinent præcepta Chriſti. Date DEO, quæ DEI ſunt *(Ius Sacrum)* Cæſari, quæ Cæſaris, *(Ius publicum)* & *Matth.* 7. *v.* 12. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *(Ius priuatum.)*

TITVLVS II.

Ad pr. *Omnia animalia.*) Ius naturæ hic capit Imp. pro Ordine naturali omnibus animalibus indito, ad ſui conſeruationem & propagationem, & huc exempla ſubiecta reſpiciunt. Homo tamen ex ratione, bruta absque ratione, ſui conſeruationem intendunt. Cicero *l.* 1. *de Offic.* & ibi Richelius *in not. pag.* 39.

Peri-

hinc educatio. Videmus etiam cetera quoque animalia istius Iuris peritia censeri.

Distinctio iuris gentium & ciuilis.

1. Ius autem ciuile a Iure gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum Iure vtuntur. Nam *quod quisque populus ipsi sibi Ius constituit*, id ipsius proprium ciuitatis est, vocaturque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Quod vero *naturalis ratio inter omnes homines constituit*, id apud omnes populos peræque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio partim communi omnium hominum iure vtitur. Quæ singula qualia alia sint, suis locis proponemus.

2. Sed

Peritia censeri.) Non vi rationis aut facultatis actiones suas distinguendi, hac enim destituuntur bestiæ, & sic in illas non cadit iniuria. *L. 1. §. 2. ff. si quadr.* sed vi instinctus naturalis a Creatore inditi.

Ad §. 1. *Quisque populus.*) Scil. liber vel potestate ferendi LL. instructus. Alia ratio Statutorum, quæ vim ex sola conuentione habent.

Naturalis ratio) Hoc potius Ius Naturæ est quam Gentium; hinc quidam in Ius Gentium *primæuum* (quod idem est ac Ius Naturæ) & *secundarium* distinguunt, Voet. *ad §. 2. h. t. n. 4.*

Peræque custoditur.) Eius vis & obligatio ab omni-

2. Sed Ius quidem ciuile ex vnaquaque ciuitate appellatur, veluti Athenienſium. Nam ſi quis velit Solonis vel Draconis Leges appellare Ius ciuile Athenienſium, non errauerit. Sic enim & Ius, quo Romanus populus vtitur, ius ciuile Romanorum appellamus: vel ius Quiritum, quo Quirites vtuntur. Romani enim a Romulo, Quirites a Quirino appellantur. Sed quoties addimus nomen, cuius ſit ciuitatis noſtrum ius ſignificamus: ſicuti cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus; apud nos Virgilius. Ius autem gentium omni humano generi commune eſt. Nam *vſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humana Iura quædam ſibi conſtituerunt. Bella* etenim orta ſunt, & *captiuitates* ſequutæ

omnibus, præſertim moratioribus, agnoſcitur, licet obſeruantia non vbiuis eadem, ſed hinc inde contra hæc iura peccetur.

Ad §. 2. *Vſu necesſitatibus.*) Vſus & neceſſitas hominum conſtituit differentiam ſpecificam Iuris Gentium. Eſt enim Ius Naturæ ſimplex *ratio*, Ius Gentium, ratio compoſita, ſeu *ratiocinatio;* quæ non ſimpliciter, ſed accedente neceſſitate vel vtilitate iuſtum pronunciat.

Conſtituerunt.) Non mutua conuentione, ſed vſu & rationis ductu. Noachidarum vero Leges dubiæ ſunt, Selden. *de I. N. L. 1. c. 10.*

Natu-

quutæ, & *seruitutes*, quæ sunt naturali Iuri contrariæ. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc Iure gentium *omnes* pene *contractus* introducti sunt, vt emtio & venditio, locatio & conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles.

Diuisio Iuris ciuilis in scriptum, & non scriptum.

3. Constat autem Ius nostrum, quo vtimur, scripto, aut sine scripto: vt apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. Scriptum autem Ius est, 1. Lex, 2. Plebiscitum, 3. Senatusconsultum, 4. Principum placita. 5. Magistratuum edicta, 6. responsa Prudentum. *De*

Naturali Iuri) h. e. non fluunt bella ex ipso Iure Naturæ, sed Iure Gentium. Deinde notandum hic est; sæpius ab Imp. per Ius naturale intelligi statum naturalem, vti patet ex definitione seruitutis, §. 2. *de Iure Pers.* Conf. *L.* 32. *ff. de R. I.*

Pene.) Quædam enim Iuris ciuilis sunt, vti stipulatio, litterarum obligatio & donatio propter nuptias *Nouell.* 119. *cap.* 1. vbi sponsalitia largitas vocatur.

Ad §. 3. *Scripto*) Scriptum hic idem est, quod *sancitum*, seu publice promulgatum. Cum autem promulgatio etiam circa scripturam fieri possit, inde, vt literis scripta Lex sit, non est necessarium.

Lex, &c.) Hæ species respiciunt varium Reip. Romanæ statum. In statu Monarchico omne ius scriptum est Lex. Ad

De Lege & Plebiscito.

4. Lex est, *quam populus Romanus sena-io magistratu interrogante* (veluti Con-e)constituebat. *Plebiscitum est, quod plebs beio magistratu interrogante* (veluti tri-no) constituebat. *Plebs* autem a *populo* eo fert, quo species a genere: nam appella-ne *populi* vniuersi ciues significantur, con-meratis etiam Patriciis & Senatoribus. *:bis* autem appellatione, sine Patriciis & natoribus, ceteri ciues significantur. Sed Plebiscita, Lege Hortensia lata, non mi-s valere, quam Leges cœperunt.

De Senatusconsulto.

5. *Senatusconsultum est, quod Senatus iu-atque constituit.* Nam cum auctus esset popu-

Ad §. 4. *Lex.*) De ratione condendi Legem in nitiis vid. Rosin.*Antiqu.Rom. L.8. c.2.* Hodie in perio nostro ad ferendam legem consensus Imp. tatuum requiritur *Capit.Leopold.§.2.* In Electo-bus vero & Principatibus, solus Electorum vel ıcipum consensus, vi iuris superioritatis, suffi-; licet alicubi status prouinciales concurrant.

Plebiscitum.) Exemplum plebisciti adhuc hodie ıemus in L. Aquilia. Hæc enim per modum biſciti ab Aquilio, tribuno plebis, lata.

Hortensia.) Idem iam antea factum erat L.Ho-a A. V. C. 303. Sed huic legi per proceres um derogatum, hinc postea A. V. C. 467. Lex rtensia ferenda fuit, quæ plebiscitis plenariam toritatem tribuit.

Ad §. 5. *Senatus.*) Hoc pro facie Reipubl. Ro-næ, cum in Aristocratiam degeneraret. Hodie

 Sena-

populus Romanus in eum modum, vt difficile esset, in vnum eum conuocari, Legis sanciendæ causa: æquum visum est, Senatum vice populi consuli.

Constitutiones Principum definitæ & diuisæ.

6. Sed & *quod principi placuit*, Legis habet vigorem: cum *Lege regia*, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne im-

---

Senatus in Monarchicis Rebusp. nec Leges, nec SCta condendi potestatem habet. Imo nec statuta inuitis ciuibus obtrudere potest; licet in quibusdam ciuitatibus maior, alibi minor Senatus sit auctoritas. Si tamen statuta a Principe confirmata, tum, vi confirmationis, instar legis valent.

Ad §. 6. *Principi placuit.*) Scil. animo ferendi Legem; vnde placitum hoc vniuersale esse debet, nec Iuri Diuino contrarium.

Vigorem.) Nam in sensu Iuris Rom. veteris, Lex tantum dicebatur, quæ in conuentu totius populi Rom. lata. Hodie ergo Lex est Constitut. Principis.

Lege regia.) Hanc sub Augusto latam volunt, *L. 14. in fin. ff. de Manumiss.* Fragmentum eius Romæ adhuc ostenditur. Rosinus *Lib. 7. Antiqu. c. 12.* Quod si genuinum est, ad Vespasiani tempora illa L. referenda. Huber. *in Digression. l. 1. c. 30.* Legem Regiam Germanorum Capitulationem vocant Imp. vid. Carpz. *tr. de L. Regia Germ.* quæ tamen magis designat, quid Imp. non possit. L. Regia Statuum Imp. extat *Instr. Pac. art. 8.* Vbi eorum superioritas stabilita. In sacris exemplum etiam Leg. Regiæ reperitur *1. Sam. 8.* item *1. Maccab. 14. v. 27. seq.* add. *Iacob. 2. v. 8.*

Populus.) Instrumentum translationis est populus, potestas autem ipsa est a Deo, *Rom. 13.*

Epi-

ıperium suum & potestatem concedat. ıodcunque ergo Imperator per 1. *epistolam* ınstituit, vel cognoscens 2. *decreuit*, vel 3. *dicto* præcepit, legem esse constat. Hæc nt, quæ Constitutiones appellantur. Plane his quædam sunt *personales* quæ nec ad emplum trahuntur; quoniam non hoc inceps vult; nam quod alicui ob meritum dulsit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si i sine exemplo subuenit, personam non ansgreditur. Aliæ autem cum *generales* sint, nnes procul dubio tenent. De

Epistolam.) Seu *rescriptum*, quod præsupponit ıplicationem partium, in quibus tamen adiinda clausula, si preces veritate nitantur. *L. fin. de diuers. Rescript.* aliud Iur. Can. *c. 2. X. eod.* i subintelligitur.

Decreuit.) *Decretum* præsupponit litem præceıtem & causæ cognitionem.

Edicto) Quo *omnibus* ciuibus proprio motu d iniungit; differt a *mandato*, vbi Princeps ıprio motu *certis personis* imperat, vel quoad s quid fieri mandat.

Personales) Quæ vocantur *priuilegia*, & sunt *realia*, vel *personalia*, quæ distinctio ex causa ɔulsiua petenda.

Princeps vult.) Voluntas principis est anima ;is & semper f.quenda, licet dura sit, vid. *L. Pro- cit 12. §. 1. ff. qui & a quib. man.*

Pœnam.) Potest enim princeps delicto leuiori uiorem pœnam statuere, si id tranquillitas pu:a exigat. Exemplum in *L. 28. §. 3. de pœn.*

Sine exemplo.) Hoc non de inferiore iudice, ılligendum, qui minister legis est, & nec

De Iure Prætorio.

7. *Prætorum* quoque Edicta non modicam obtinent Iuris auctoritatem. Hoc etiam Ius honorarium solemus appellare: quod qui honores gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic Iuri dederunt. Proponebant & *Ædiles Curules* Edictnm de quibusdam causis, quod & ipsum Iuris honorarii portio est.

De Responsis Prudentum.

8. *Responsa Prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat, de iure respondere.* Nam antiquitus constitu-

---

durior, nec mitior lege esse debet sub pœna infamiæ *L. 8. §. 2. C. ad L. Iul. de vi publica*, sed de Principe, qui est arbiter legis. Et tantum obtinet in delictis iure humano punitis, seu in quibus valet dispensatio.

Ad §. 7. *Iuris auctoritatem.*) Habebant Prætores facultatem, iuris rigorem corrigendi & ad æquitatem redigendi. Hinc vbi strictum Ius Ciuile admisit actionem, Prætor ex æquitate dedit exceptionem. vid. *Tit. quod. met. caus.* Imo quos Ius Ciuile ad successionem non vocabat, Prætor suo Edicto admisit. Exemplum in Emancipatis & Cognatis. vid. *infr. tit. de bon. poss.* Hodie Iuris ciuilis & Prætorii eadem est auctoritas. Differentia tamen remansit in præscriptionibus actionum. *L. 35. pr. ff. de O. & A.*

Ædiles Curules.) His cura rerum venalium in foro commissa erat, vnde si res vitiosa vendita, adhuc hodie recurritur *ad Tit. ff. de Ædil. Edict.*

De quibusdam causis) Maxime de rebus in foro venalibus. Ad

tum erat, vt essent, qui iura publice in-
rpretarentur, quibus a Cæsare ius respon-
endi datum est, qui Iurisconsulti appella-
ntur: quorum omnium sententiæ & opi-
ones eam auctoritatem tenebant, vt iudici
cedere a responsis eorum non liceret; vt
t constitutum.

De Iure non scripto seu consuetudine.

9. Sine *scripto Ius* venit *quod vsus appro-*
uit. Nam diuturni mores, consensu
entium comprobati, Legem imitantur.
Ratio

Ad §. 8. *A Cæsare.*) Primus fuit Masurius Sabi-
ıs, qui ab Augusto hanc potestatem accepit L. *2.*
47. ff. de Orig. Iur. Eandem potestatem adhuc
odie non tantum Collegia Iuridica habent, sed
priuati Dd. in multis locis. Id vero intelligen-
ım, si ad *acta iudicialia* desideretur sententia.
on si *pars tantum* informationem petat.

Ad §. 9. *Sine scripto.*) Hoc est sine expressa
nctione & publicatione.

Diuturni mores.) Tantum tempus exigitur ad
nsuetudinem, ex quo consensus tacitus legislato-
elici possit. Saxones tamen 31. annos 6. Sept.
3. dies exigunt, Carpz. *P. 2. c. 3. d. 23.*

Consensu vtentium.) Hoc ita ex ratione Status
pularis, quia populus dum vtitur, eo ipso tacite
nsentit. In statu Monarchico consensus *Prin-*
is tacitus requiritur; Constituit enim veram
entiam consuetudinis, illius consensus tacitus,
i expresse L. concedere potest. Hinc in Imperio
citus consensus Imp. & Statuum exigitur.

Legem imitantur.) Imo tollunt etiam contrariam
gem priorem L. *vlt. ff. de Const. Princ.* modo con-
tudo sit rationabilis *Cap. fin. X. quæ sit long.*
nsuet.

Ad

Ratio diuisionis.

10. Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse videtur: nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum sc. & Lacedæmoniorum, fluxisse videtur. In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt *Lacedæmonii* quidem magis ea, quæ pro Legibus obseruabant, memoriæ mandarent: *Athenienses* vero ea, quæ in Legibus scripta comprehendissent, custodirent.

Adiuncta iuris: immutabilitas & mutabilitas.

11. Sed *naturalia* quidem *Iura* quæ apud omnes gentes peræque obseruantur, diuina quædam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. Ea vero, quæ ipsa sibi quæque *ciuitas* constituit, sæpe mutari solent (e. g.) vel tacito consensu

Ad §. 10. *Origo eius.*) Occasionem tantum originis recenset Imper. non veram vtriusque Iuris scripti differentiam.

Ad §. 12. *Obseruantur.*) Non *actuali obseruantia*, nam mores omnium gentium repugnant, sed *generali agnitione* obligationis.

Immutabilia.) Vtut obiectum quandoque mutetur, & diuersam Iuris Naturalis applicationem mereatur, veluti in concursu quorundam principiorum contrariorum, v.gr. in *l. Minime 35. ff. de Relig. & Sumpt.* vid. Dn. Hertius *Opusc. T. 1. tr. de Collisione legum. S. 2.* Regula tamen semper certa manet.

Tacito consensu.) Per actus scil. contrarios, nunquam per solam non obseruantiam, seu non vsum. *Lege*

nsu populi, vel alia postea Lege lata.

De obiecto iuris.

12. Omne autem Ius, quo vtimur, vel ad *personas* pertinet, vel 2. ad *res* vel 3. ad *tiones*. Et prius de personis videamus. am parum est Ius nosse, si Personæ, quam causa constitutum est, ignorentur.

Titvlvs III.

D. I. 5.

DE IVRE PERSONARVM.

Prima diuisio personarum.

Vmma itaque diuisio de Iure personarum hæc est: quod omnes homines aut *liberi*

Lege lata.) Modo lex noua priori contraria, ias enim ius nouum ex veteri explicandum, *L. 26. de* LL.

Ad §. 12. *Omne autem.*) Aliter Vlpianus hoc ert, *in* L. *vlt. ff. de* LL. *Totum ius consistit, aut in acirendo, aut in conseruando, aut in minuendo. Aut im hoc agitur, quemadmodum quid cuiusque fiat, t quemadmodum quis nam, vel ius suum conseruet, t quomodo alienet, aut amittat.*

Vel ad personas.) Personæ, vel res, non sunt obieum iuris, sed negotia humana vel facta, quatenus c vel concernunt statum personarum, vel rerum quisitionem, aut earundem in iudicio persecutiom.

TITVLVS III.

Ad §. 1. *Summa:* h. e. prima & generalissima. *Personarum.*) Personarum ius in digestis voca- *status hominum*, qui est conditio ciuilis, liben iuris communis vsum inducens, scil. *connurum, contractuum*, & *testamentorum*.

liberi ſunt, aut *ſerui*.

Definitio libertatis.

1. Et *libertas* quidem (ex qua etiam liberi vocantur) *eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut Iure prohibetur.*

Definitio ſeruitutis.

2. *Seruitus* autem eſt *conſtitutio Iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur.*

Serui & mancipii Etymologia.

3. *Serui* autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per

---

Aut liberi.) Scil. quoad ſtatum ciuilem, nam quoad naturalem omnes homines (1.) vel *maſculi* ſunt, vel *feminæ*, vel *hermaphroditi*, qui eius ſexus æſtimantur, qui præualet *L. 10. ff. de Stat. hom.* (2.) vel *nati*, vel *naſcendi*, qui in fauorabilibus habentur pro natis, *L. 7. ff. d. t.*

Ad §. 1. *Facultas.*) Non *neceſſitas*, hinc pactis reſtringi poteſt, nec naturæ refragatur, ſe alterius ſeruitio mancipare.

Vi.) Scil. *illicita*, nam hæc libertatem non tollit, aliud in vi *licita*, v. gr. bellica.

Iure.) Nam *quæ lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam & contra bonos mores ſunt, nec poſſe nos facere credendum* L. *filius 15. ff. de Condit. Inſtit.* Hinc libertas ex iure & legibus æſtimanda.

Prohibetur.) Nec conuentionalis prohibitio hic excludenda; quorſum pertinent pacta de non alienando.

Ad §. 2. *Contra naturam.*) Seu ſtatum naturalem; nam natura omnes produxit æquales. vid. L. 32. *de R. I.* Ad

er hoc seruare, nec occidere solent: qui iam *mancipia* dicti sunt eo, quod ab ho-ibus manu capiuntur.

Quibus modis serui constituuntur.

4. Serui autem aut *nascuntur*, aut *fiunt*. *ascuntur* ex ancillis nostris: *fiunt* aut *Iure* *ntium*, id est, ex captiuitate: aut *Iure ci-li*, cum liber homo, maior viginti annis, pretium participandum sese venundari ssus est.

De liberorum & seruorum diuisione.

5. In *seruorum* conditione nulla est dif-entia, in *liberis* autem multæ. Aut enim it *ingenui*, *aut libertini*.

TITV-

Ad §. 3. *Manu.*) Manus in iure plerumque de-at potestatem, vid. *pr. Instit. de Libertin, L. 2. ff. de Orig. Iur.*

Ad §. 4. *Aut nascuntur.*) Natiuitas non est cau-sed medium propagandi illam.

Captiuitate.) Hodie inter Christianos captiui fiunt serui, nisi ex *Turcis* quidam capiantur, oc iure retorsionis. Alias seruitus inter Chri-nos sublata. Nam & ipsi *proprii homines* liberi, quia habent Ius connubiorum, contractuum stamentorum, in bonis quæ extra glebam te-t. Nostri vero *famuli* sunt conducititii homi-, & nobis non obligantur, nisi quatenus ope-ocarunt. Conf. Stamm. *de Seruit. person.*

Maior.) Minori enim ob ætatem succurritur.

Ad §. 5. *Differentia*) Scil. quoad *statum*, bene ad functiones, *L. 5. ff. h. t. §. 5. instit. qui & uib. caus. man.*

TITVLVS IV.

C. VII. 14.

DE INGENVIS.

INGENVVS est is *qui statim, vt natus est, liber est:* siue ex duobus ingenuis matrimonio editus est, siue ex libertinis duobus, siue ex altero libertino & altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre vero seruo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo *tempore, quo nascitur*, licet ancilla conceperit. Et e contrario, *si libera conceperit*, deinde ancilla facta pariat, placuit, eum, qui nascitur, liberum nasci; quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quæsitum est, *si ancilla* prægnans *manumissa* sit, deinde *ancilla* postea facta *peperit*, liberum,

TITVLVS IV.

Ad §. 1. *Quo nascitur.*) Hinc & infans altero die nuptiarum editus est legitimus, quia tunc vbi nascitur, iustum adest matrimonium *l. 11. C. de nat. lib.*

Calamitas matris.) Inde fauore partus femina grauida non est torquenda. A iuramento tamen eapropter se excusare nequit, quia nulla vis corpori infertur, Meu. *p. 5. dec. 81.*

Et nocere.) Hinc recte sumitur argumentum, quod, in dubiis quæstionibus, pro partu semper benignior interpretatio capienda vid. *L. 7. ff. de Stat. hom.*

Libe-

m, an seruum pariat? Et Martianus obat, liberum nasci. Sufficit enim ei, i in vtero est, liberam matrem vel me- o tempore habuisse, vt liber nascatur. uod & verum est.

De seruitute & manumissione putatiua.

1. Cum autem ingenuus aliquis natus sit, n officit ei in seruitute fuisse, & postea ma- missum esse: sæpissime enim constitutum , *natalibus non officere manumissionem.*

TITVLVS V.

C. VI. 7. & X. 56.

DE LIBERTINIS.

Definitio & origo Libertinorum.

IBERTINI sunt, *qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio* autem est *de manu-*

Liberum matrem.) Ad matrem respicitur, si de u quæstio moueatur, nam quoad dignitatem, tus patrem sequitur, v. gr. in filio ex patre no- & matre ignobili nato, vid. *L.13. C. de Dignit.*
Ad §. 1. *in seruitute fuisse.*) Scil. ignoranter & acto, non enim mox seruus est, qui in seruitute sicuti nec semper possidet qui in possessione *L. 10. §. 1. ff. de acq. poss.*
Natalibus.) h. e. natiuæ conditioni.
Non officere.) Nam plus valet, quod in rei ve- te est, quam quod in opinione. *§. 11. Instit. de at.*

TITVLVS V.

Ad §. 1. *Libertini.*) Hi quondam dicebantur rtorum liberi; sed in iure nostro promiscue untur.

Iusta

manudatio. Nam quamdiu aliquis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur a domini potestate. Quæ res a Iure gentium originem sumsit: vtpote quum Iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita, sed postquam Iure gentium seruitus ingenuitatem inuasit, secutum est beneficium manumissionis. Et cum vno communi nomine omnes homines appellarentur, Iure gentium tria hominum genera esse cœperunt; 1. *liberi*, & his contrarium, 2. *serui*, & tertium genus, *libertini, qui desierant esse serui.*

Quibus modis manumittitur?

1. Multis autem modis manumissio procedit; aut enim ex Sacris constitutionibus in Sacrosanctis Ecclesiis, aut 2. vindicta. 3. aut

---

Iusta.) Seu *vera*, quæ opponitur *putatiua*, de qua §. *fin. præc. tit.* vel vi iniustæ, vt in captis a latronibus.

Iure naturali.) In statu naturali, vide supra *ad* §. *2. de I. N. G. & Ciu.*

Homines.) In Iure tamen vox *hominis* simpliciter posita, regulariter seruum denotat, L. *si hominem 7. pr. ff. depos.* L. *qui hominem ligat. 11. ff. de adim. leg.*

Ad §. 1. *Vindicta.*) Virgula, qua lictor manumittendi caput percutiebat, atque eum in gyrum circumactum verbis: *hunc hominem liberum esse volo*, manumittebat L. *23. ff. de man. vind.*

Epi-

inter amicos, 4. aut per epiſtolam, 5. per teſtamentum, aut 6. per aliam quam-et vltimam voluntatem. Sed & 7. aliis iltis modis libertas ſeruo competere po-t, qui tam ex veteribus, quam ex noſtris nſtitutionibus introducti ſunt.

Vbi & quando manumitti poteſt?

2. Serui vero a dominis *ſemper* manu-tti ſolent: adeo vt vel in tranſitu manu-tantur: veluti cum Prætor, aut Præſes, Proconſul, in balneum, vel in theatrum t.

De

---

piſtolam.) Inſtrumentum hic intelligitur, de a manumiſſione fidem faciens, qui modus ho- præcipue obtinet in propriis hominibus liber- donandis, non tamen quinque teſtes hodie ibentur, qui olim ad hanc epiſtolam neceſſarii, *n. §. 1. C. de Latin. libert. tollenda.*

oluntatem.) Quinque teſtibus munitam L. *fin. e Codicill.* niſi vbi ipſum teſtamentum coram tioribus teſtibus ſubſiſtit.

Aultis modis.) Neceſſaria manumiſſio erat olim ectione ſerui ægrotantis, L. *2. ff. qui ſine ma- . ad libert. peru.* Quod famulis noſtris haud ſt applicari, nam his merces non deberur o Iure, niſi operas locatas præſtare poſſint. s enim nocet facienti.

d §. 2. *In tranſitu*) Eſt enim manumiſſio vo- riæ iurisdictionis, & ita in quocunque loco diri poteſt. L. *2. pr. ff. de Offic. proconſ.* Non n in platea; actus enim hic a iudice annoran- hinc verba §. intelligenda de Prætore iam in um ituro.

Ad

De libertinorum diuisione sublata.

3. Libertinorum autem ſtatus tripertitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur, modo maiorem & iuſtam libertatem conſequebantur, & fiebant 1. *ciues Romani:* modo minorem, & 2. *Latini* ex Lege Iunia Norbana fiebant: modo inferiorem; & fiebant ex Lege Ælia Sentia, 3. *dedititii.* Sed quoniam dedititiorum quidem peſſima conditio iam ex multis temporibus in deſuetudinem abierat, Latinorum vero nomen non frequentabatur: ideoque noſtra pietas omnia augere, & in meliorem ſtatum reducere deſiderans, duabus Conſtitutionibus hoc emendauit, & in priſtinum ſtatum reduxit, quia & a primis vrbis Romæ cunabulis *vna atque ſimplex libertas competebat*, id eſt, eadem quam habebat manumiſſor: niſi quod, ſcilicet, libertinus ſit, qui manumittitur, licet manumiſſor ingenuus ſit. Et dedititios quidem per Conſtitutionem noſtram expulimus,

---

Ad §. 3. *Latini*) Hi ius teſtandi non habebant, nec connubii, & ita nec patriæ poteſtatis, L. *Vn. C. de Lat. lib. toll.*

Dedititii.) Tales erant, qui ob delictum ſerui facti. Vel ob delictum in ſeruitute commiſſum ſtigma inuſtum habebant, qui nunquam ciues fieri poterant.

Duabus Conſtitutionibus) L. *vn. C. de Latin. lib. toll.* & L. *vn. C. de deditit. lib. toll.*

Alter-

ım promulgauimus inter noſtras deci-
ıes: per quas, ſuggerente nobis Tribo-
no, Viro excelſo, Quæſtore noſtro, an-
ıi Iuris altercationes placauimus, Latinos
em Iunianos, & omnem, quæ circa eos
rat, obſeruantiam, alia conſtitutione per
dem Quæſtoris ſuggeſtionem correxi-
s; quæ inter Imperiales radiat ſanctio-
Et omnes libertos (nullo nec æta-
nanumiſſi nec domini manumittentis,
in manumiſſionis modo diſcrimine ha-
, ſicut iam antea obſeruabatur) ciui-
Romana decorauimus: multis modis
tis, per quos poſſit libertas ſeruis cum
ate Romana, quæ ſola eſt in præſenti,
tare.

Titv-

---

ercationes placauimus) Hæc & ſimilia verba dunt legem eſſe ex 50. nouis Deciſionibus.
ſtitutione.) Nota conſtitutionis differen-a Deciſione; hæc ius vetus dubium decidit; ouum inducit.
do.) Modus ergo non variat rem, *arg. h.* §. ıa modus formam negotii deſignat.
itate Romana) Hanc quidem omnibus in io conceſſerat Antoninus L. *in Orbe 17. ff. de m.* ſed peregrinis tantum; Iuſtinianus au-natalium defectu laborantibus, ſeu liberti-ıccurrit, ipſiſque vi manumiſſionis ius ciui-: aureorum annulorum dedit, ſaluo tamen atronatus *Nov. 78. cap. 2.*

TITV-

TITVLVS VI.

QVI, ET EX QVIBVS CAVSIS MANVMITTERE NON POSSVNT.

D. XL. 9. C. VII. 11.

De manumittente in fraudem creditorum.

NOn tamen cuicunque volenti manumittere licet, nam is, *qui in fraudem creditorum manumittit*, nihil agit: quia Lex Ælia Sentia impedit libertatem.

De seruo instituto cum libertate.

1. Licet autem domino, qui soluendo non est, in testamento seruum suum cum libertate hæredem instituere, vt liber fiat, *hæresq; ei solus & necessarius*; si modo ei nemo alius ex eo testamento hæres extiterit: aut quia nemo hæres scriptus sit, aut quia is, qui scriptus est, qualibet ex causa hæres ei non extiterit. Idque eadem Lege Ælia Sentia prouisum est, & recte. Valde enim prospiciendum erat, vt egentes homines, quibus alius hæres extiturus non esset, vel seruum suum necessarium hæredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores

---

TITVLVS VI.

Pr. *Nihil agit.*) Scil. in effectu iuris L. 3. *C. de* LL. aliæ res si in fraudem Credit. alienatæ, alienatio non est per se nulla, sed rescindenda actione Pauliana §. 6. *Inst. de Act.*

Ad §. 1. *Nemo alius.*) Ita enim ille solueret creditoribus, & sic ratio manumissi serui cessaret.

Ne

es res hæreditarias serui nomine vendant, iniuria defunctus adficiatur.

De seruo instituto sine libertate.

2. Idemque Iuris est, etsi sine libertate uus hæres institutus est. Quod nostra nstitutio non solum in domino, qui solndo non est, sed generaliter constituit, ua humanitatis ratione: vt ex ipsa scriura institutionis etiam libertas ei compe- e videatur: cum non sit verosimile, eum, em hæredem sibi elegit, si prætermiserit ertatis dationem, seruum manere voisse, & neminem sibi hæredem fore.

Quid sit in fraudem manumittere.

3. In fraudem autem creditorum manuittere videtur, *qui*, vel iam eo tempore o manumittit, *soluendo non est*: vel, qui tis libertatibus, *desiturus est soluendo esse*. æualuisse tamen videtur, nisi *animum* oque *fraudandi* manumissor habuerit, on impediri libertatem, quamuis bona us creditoribus non sufficiant: *sæpe enim de*

Ne iniuria) Seu ignominia L. *1. ff. de minor. nf.* L. *11. C. ex quib. caus. infam.* Hodie eiusmodi bhastatio in plerisque locis pro ignominiosæ non ibetur.

Ad §. 2. *Non sit verosimile.*) Latet hic argum. ui vult finem, vult etiam media necessario ad fiem ducentia. Quo & facit L. *2. ff. de iurisd.* & ias argumentum a verosimili in iure fortissimum t & ad hoc semper respiciendum, Euerhard. *Top. g. loc. a verosimili.*

de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum vtroque modo fraudantur creditores, id est, *consilio* manumittentis, & *ipsa re*, eo quod eius bona non sunt suffectura creditoribus.

Alterum caput Legis Æliæ Sentiæ, de minore viginti annis.

4. Eadem Lege Ælia Sentia *domino minori viginti annis* non aliter manumittere permittitur, quam si 1. *vindicta*, apud 2. *Consilium*, 3. *iusta causa* manumissionis approbata fuerint manumissi.

Quæ sunt iustæ causæ manumittendi.

5. *Iustæ* autem manumissionis *causæ* hæ sunt: veluti si quis patrem aut matrem, filium filiamue, aut fratres sororesue naturales,

---

Ad § 3. *Amplius.*) Maxime illi, qui peregrinas & transmarinas negotiationes exercent. L. *10. ff. h. t.* Valet etiam sententia hæc de facultatibus animi.

Consilio.) Id est animo. Si scil. titulo oneroso res in alium translata; nam si titulo lucratiuo, reuocatur, cessante licet animo L. *5. C. de reuoc. his quæ in fr. cred.* quia creditorum potior conditio, qui de damno vitando certant.

Ipsa re.) H. e. ipso euentu L. *79. ff. de R. I.*

Ad §. 4. *Vindicta*) Alii forte rectius legunt: *quam si dicta apud consilium iusta causa.*

Consilium.) Erat consessus Romæ 5 equitum & 5 Senatorum In prouinciis 20 Recuperatorum.

Ad § 5. *Patrem*) Casus est: si filius & pater in eadem seruitute fuerint, & filius postea hæres a De-

ales, aut pædagogum, aut nutricem, aut ducatorem, aut alumnum alumnamue, ut collectaneum manumittat; aut seruum rocuratoris habendi gratia; aut ancillam natrimonii habendi causa, dum tamen intra sex menses in vxorem ducatur, nisi iusta ausa impediat; & seruus, qui manumittitur *procuratoris* habendi gratia, *non minor lecem & septem annis* manumittatur.

De causa semel probata.

6. Semel autem causa adprobata, siue vera sit, siue falsa, non retractatur.

Abrogatio posterioris capitis Legis Æliæ Sentiæ.

7. Cum ergo certus modus manumittendi minoribus XX. annis Dominis per Legem Æliam Sentiam constitutus esset; eueniebat, vt qui XIV. annos expleuerat, licet

---

Domino institutus. Nam ita & patrem seruum habebit.

Pædagogum.) Aut capserium, qui portat libros *L. 13. ff. de Manum. vindicta.*

Ancillam.) Ancilla virgo esse debebat: *l. 13. §. fin. ff. de Manum. vindict. &* manumissor iurato promittere debebat nuptias, *d. l. 13.*

Decem & septem.) Hoc intellige de Procuratore extraiudiciali: nam in iudicio minor 25. annorum, non habet legitimam personam standi. *vid. l. 2. C. de his qui legit. pers. stand.* conf. *l. 51. pr. ff. & l. 12. C. de procur.*

Ad §. 6. *non retractatur.*) Fauore libertatis, alias & sententia ob falsam causam retractatur *L.* Diuus

cet teſtamentum facere, & in eo ſibi hæredem inſtituere, legataque relinquere poſſet; tamen, ſi adhuc minor eſſet XX. annis, libertatem ſeruo dare non poſſet. Quod non erat ferendum. Nam cui totorum ſuorum bonorum in teſtamento diſpoſitio data erat: quare non ſimiliter ei, quemadmodum alias res, ita & de ſeruis ſuis in vltima voluntate diſponere, quemedmodum voluerit, permittimus, vt libertatem eis poſſit præſtare? Sed cum *libertas inæſtimabilis res ſit*, & propter hoc ante XX. ætatis annum, antiquitas libertatem ſeruo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodo viam eligentes, non aliter minori XX. annis libertatem in teſtamento dare ſeruo ſuo concedimus; niſi XVII. annum impleuerit, & XIIX. attigerit. Cum enim antiquitas huiusmodi ætati & pro aliis poſtulare conceſſerit; cur

---

Diuus Hadrianus 33. ff. de Re Iud. & tot. tit. C. ſi ex falſ. Inſtr.

Medium) Media via tanquam tutior in dubio eligenda *arg. h. §. & §. 25. I. de R. D.* Exemplum in *L. 41. ff. de hered. Inſt.*

Ad §. 7. *Niſi XVII. annum,*) Hoc *Nou. 119. c. 2.* iterum mutatum, & anno XIV. permiſſa manumiſſio, cum eo anno teſtari liceat, *L. 5. ff. qui teſtam. fac. poſſ.*

Poſtulare.) Aduocatus poteſt eſſe minor, non Procurator iudicialis, quia hic fit litis dominus, non ille, vtpote qui verba tantum pro præſente principali facit.

Fuſia

ır non etiam ſui iudicii ſtabilitas ita eos adıuare credatur, vt ad libertatem dandam ıruis ſuis poſſint peruenire?

Titvlvs VII.

DE LEGE FVSIA CANINIA TOLLENDA.

Cauſae mendationis.

Lege Fuſia Caninia certus modus conſtiſtitutus erat lin ſeruis teſtamento manuıittendis: quam quaſi libertates impedienem & quodammodo inuidam, tollendam ſſe cenſuimus, cum ſatis fuerat inhumaıum, viuos quidem licentiam habere, toam ſuam familiam libertate donare, niſi alia auſa impediat libertatem; morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.

Titv-

TITVLVS VII.

Fuſia Caninia.) ita dicitur, quia lata Furio Camillo & Caninio Gall. Conſſ.

Modus.) Hunc modum vide apud Vlpian. *in Fragment. tit. 1. §. 24.* Bachou. *ad h. t.*

Viuos quidem) Fundatur hic argumentum à contractu ad vltimam voluntatem. vid. *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* Ceſſat iſta regula in bonis filiif. adventitiis extraordinariis *Nou.* 117. *cap.* 1. iuncta *L. pen. C. qui teſtam. fac. poſſ.* Item in Saxonia ceſſat in Gerada, Carpz. *part.* 2. *C.* 14. *D.* 4.

Libertatem.) Intererat vero Reip. abundare liberis hominibus, & imperium adiectione hominum abundare potius, quam pecuniarum copia L. *vlt.* §. 3. *ff. de bon. damn.*

TITVLVS IIX.

D. I. 6. C. IIX. 49.

DE HIS, QVI SVI, VEL ALIENI IVRIS SVNT.

Altera diuisio personarum.

Sequitur de iure personarum alia diuisio. Nam quaedam personae *sui iuris* sunt, quaedam *alieno iuri* subiectae. Rursus earum, quae alieno iuri subiectae sunt, aliae sunt *in potestate parentum*, aliae in *potestate dominorum*. Videamus itaque de his, quae alieno iuri subiectae sunt. Nam si cognouerimus, quae istae personae sunt, simul intelligemus, quae sui iuris sunt. Ac prius dispiciamus de his, quae in potestate dominorum sunt.

De iure gentium in seruos.

1. In potestate itaque dominorum sunt *serui*, quae quidem potestas iuris gentium est. Nam apud omnes peraeque gentes animaduertere possumus, *dominis in seruos vitae*

TITVLVS IIX.

Princ. *Sui iuris.*) Talis est is, cui in familia adquiritur, seu paterfam. & sic etiam infans & furiosus. *L. 193. §. 2. ff. de V. S.*

Alieni iuris,) Hoc iuridice, non politice capiendum; & sic aliud est, esse sub imperio, aliud sub potestate.

Simul intelligemus.) Latet hic regula: contrariorum cognito vno cognoscitur & alterum.

Ad §. 1. *Omnes.*) plerasque intelligit Imp. *Vitae*

vitæ necisque potestatem fuisse: *& quodcunq; per seruum adquiritur, id domino adquiri.*

De Iure ciuium Romanorum in seruos.

2. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt licet *sine causa Legibus cognita in seruos suos supra modum sæuire.* Nam, ex constitutione Diui Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam si alienum seruum occiderit. Sed & maior asperitas dominorum, eiusdem Principis Constitutione coercetur. Nam Antoninus consultus a quibusdam Præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam Principum confugiunt, præcepit,

Vitæ necisque.) An vero etiam de iure competierit hæc potestas gentibus? alia quæstio est: Nam dum in numerum seruorum recipiuntur captiui hostes, tacite illis securitas promittitur, & sic desinit ius occidendi, quia non amplius hostes sunt.

Ad §. 2. *Sine causa.*) Exemplum in *L. 1. in fin. ff. h. t.* Hodie si serui vel proprii homines delictum committant morte piandum, ius vitæ & necis competit Dominis, non qua talibus, sed quatenus iurisdictione criminali instructi, & præuio legitimo processu.

Supra modum.) Modica E. castigatio Domini permissa fuit, *L. vn. C. de Emend. seruor.* Quo tamen ad familiam conductitiam non extendendum, nisi famulorum iuniorum educatio domini simul commissa, quod in dubio præsumitur.

Quam si alienum.) Hoc est ordinaria legis corneliæ pœna.

cepit, vt si intolerabilis videatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus vendere, vt pretium domini daretur, & recte. *Expedit enim Reipublicæ, ne sua re quis male vtatur.* Cuius rescripti ad Ælium Martianum missi verba sunt hæc: *Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi, sed & dominorum interest, ne auxilium contra sæuitatem, vel famem, vel intolerabilem iniuriam de-*

Ædem sacram.) Ius enim Asyli habent templa *L. 2. C. de his, qui ad Ecclesiam.* Quod tamen hodie apud Euangelicos non obseruatur, cum nemo indefensus rapiatur ad supplicium. Dolosus vero homicida etiam ab altari repetendus & occidendus *Exod. 21. vers. 14. cap. 1. X. de homicid.*

Si intolerabilis.) Hodie contra nobiles nimium sæuientes in suos rusticos, mandata sine clausula decerni solent; locus etiam est iurisdictionis priuationi.

Cogantur.) Nemo alias inuitus rem suam vendere cogitur *L. Inuitum 11. C. de Contr. Empt.* nisi propter *delictum*, vel *salutem publicam.*

Bonis conditionibus.) Hoc est, iusto pretio. Id quod in omni venditione necessaria obseruandum.

Male.) Hoc est, quod dicitur: abusus iuris meretur amissionem iuris. Ille tamen abusus facilius permittitur, qui alterius in Rep. promouet vtilitatem.

Ius suum detrahi.) *L. Nec Auus 4. C. de Emanc. lib.*

Infan-

enegetur lis, qui iuste deprecantur. Ideoque ɔgnosce de querelis eorum, qui ex familia ılii Sabini ad sacram statuam confugerunt, & si vel durius habitos, quam æquum est, vel nfami iniuria adfectos esse cognoueris, veııre iube, ita vt in potestatem domini non reɪertantur. Quod si meæ Constitutioni fraulem fecerit, sciat me hoc admissum aduersus ẽ seuerius executurum.

TITVLVS IX.

C. VIII. 47.

ƆE PATRIA POTESTATE.

Summa Tituli.

IN potestate nostra sunt *liberi* nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus.

Defi-

---

infami.) E. gr. Si cogatur coitionis sordes ferre *L. vlt. C. de Spectas.*

Fraudem fecerit.) Hoc est verba legis captando alium ipsis sensum affingere *L. 29. ff. de LL.* vel sophistice interpretando, quale exemplum Pontifex præbet in *Cap. 20. de Iurei.*

TITVLVS IX.

Ad princ. *Potestate.)* Potestas hæc consistit in imperando ad communem familiæ vtilitatem. Cuius effectus est perpetuum liberorum obsequium *L. 2. ff. de ritu nupt.* & inde compecens moderata castigatio *L. 3. C. h. t. L. 5. ff. ad L. Pompei de Parricid.* idem acquisitio bonorum liberis obuenientium. *L. 2. C. h. t.* A qua *potestate* differt *reverentia* quæ vtrique parentum debetur, cum in pietate consistat L. *Furiosæ 4. ff. de C. rat. furios.* L. 4. *ff. de patr. pot.* & hinc emancipatione non tollitur.

Iustis.) Hoc est, secundum leges initis L. *19. ff. de*

Definitio nuptiarum.

1. *Nuptiæ* autem, siue matrimonium est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens.

Qui habent in potestate.

2. Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum; nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem qualem nos habemus.

Qui sunt in potestate.

3. Qui igitur ex te & vxore tua nascitur, in

---

de stat. hom. l. 23. eod. nam pater est quem *iustæ* demonstrant nuptiæ *L. 5. ff. de in ius voc.* etiamsi mater contrarium dixerit. *L. Imperatores 29. ff. de probat.* Nam propriam turpitudinem alleganti non creditur in præiudicium tertii *L. Mercalem 5. C. de Condict. ob turp. caus.* vid Disp. nostra *de Allegatione propriæ turpitud.*

Ad §. 1. *Indiuiduam.*) Sc. ratione intentionis, vtut non semper ratione euentus, ob fidem ab altero coniugum violatam, vel per adulterium *Matth. 19. v. 9.* vel per malitiosam desertionem, *1. Cor. 7.* vel ob insidias vitæ structas. Vid. Dn. Parens *Disp. de Diuortio ob insidias vitæ structas.*

Consuetudinem.) Matrimonialem, quæ cum coniunctionem corporum inuoluat, non excluditur procreatio liberorum, sed est consequens nuptiarum.

Ad §. 2. *Proprium est ciuium.*) Post *Auth. omnes peregrini C. comm. de success.* etiam peregrinis Iura connubiorum, & successionum competunt.

Talem.) Quoad effectus *ciuiles*, non *naturales*, Ad *illos* pertinebat olim Ius vitæ & necis *l. 11. ff. de lib. & posthum. L. 10. C. h. t.* vid. tamen *Deut. 21. v. 18.*

Ad

ua potestate est. Item qui ex filio tuo xore eius nascitur, id est, nepos tuus & tis, æque in tua sunt potestate; & pro- os, & proneptis, & deinceps ceteri. i autem ex filia tua nascuntur, in pote- e tua non sunt, sed in patris eorum.

Titvlvs X.

D. XXIII. 2. C. V. 4.

DE NVPTIIS.

Qui possunt nuptias contrahere.

'Ias autem nuptias inter se 1. *ciues Romani* contrahunt, 2. qui *secundum præ- ta* Legum coeunt, 3. masculini quidem *'eres*, feminæ autem viri potentes: siue patres-

---

Ad §. 3. *Ex filio tuo.*) Qui enim ipse in pote- :e est, alios in sua potestate habere nequit *l.2. C. l.Iul. de adult.* Hodie soluta patria potestate per aratam œconomiam cessat aui ius in nepotem. *Filia tua.*) Hæc enim nubendo in familiam riti transit *l. fœmina 8. ff. de Senat.*

TITVLVS X.

Ad princ. Nuptias præcedunt sponsalia quæ sunt publica vel clandestina, vel pura vel conditio- :a, vel de præsenti vel de futuro.

Ciues Romani.) Aliud hodie per *Auth. Omnes 'egrini C. comm. de succ.* Hinc & Iudæi, vbi ius itatis habent, iustas nuptias ineunt, sed non m Christianis *l. 6. C. de Iudæis.* Inter se vero se- i debent Leges Christianorum *l. 7. C. d. l.* hinc lygamia ipsis non permissa.

Puberes.) Hoc est XIV. annorum.

Viri potentes.) Hoc est XII. annorum. Hodie vtroque sexu, non tantum ad annos & poten- tiam

patresfamiliarum ſint, ſiue filiifamiliarum: dum tamen ſi filiifamiliarum ſint, 4. *conſenſum habeant parentum, quorum in poteſtate ſunt.* Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio ſuadet: in tantum, vt iuſſus parentis præcedere debeat. Vnde quæſitum eſt, an furioſi filia nubere, aut furioſi Filius vxorem ducere poſſit? Cumque ſuper filio

---

tiam reſpicitur, ſed etiam an maritus vxorem alere poſſit.

Dum tamen.) Quo ipſo non excluditur conſenſus contrahentium, ſed ſupponitur *l. 2. & 3. ff. h. t.* hinc reſiſtit error *l. ſi per errorem 15. ff. de Iurisd.* metus *l. 22. & 27 ff. h. t. l. 14. C. eod.* quia conſenſus liber eſſe debet *cap. 14. X. de Sponſal.* item furor *l. 40. ff. de Reg. Iur.*

In poteſtate.) Ne patri inuito ſuus heres agnaſcatur §. 7. *Inſt. de Adop.* Ceſſante autem *poteſtate* ceſſat neceſſitas conſenſus *l. 25. ff. & l. 18. & 20. C. h. t.* Hodie & *matris* conſenſus adhibendus. *Patris* tamen præualet. Carpz. *Iurisprud. Eccleſ. l. 2. Definit. 44.*

Suadet.) Ergo iure nat. conſenſus hic eſt *honeſtatis*, non neceſſitatis. Ratio autem illa ſuaſoria in reuerentia & pietate debita conſiſtit *l. 2. ff. de I. & I.* idem iure diuino, vbi peccat quidem filius contra Decalogum, ſi negligat conſenſum parentum, ſed matrimonium non eſt nullum.

Præcedere.) Quia ad ſubſtantiam negotii adeſſe debet. Sufficit tamen hodie, ſi ratihabitio ſubſequatur Brunn. *ad l. 5. C. h. t.*

Quæſitum eſt.) Rat. dubit. erat, quod furore non amittatur patria poteſtas *l. 2. ff. de his, qui ſui vel al. iur. ſunt.*

Super filio variabatur.) Ob maius præiudicium, dum

variabatur, noſtra proceſſit decifio, permiſſum eſt, ad exemplum filiæ ſufilium quoque furioſi poſſe & ſine patris uentu matrimonium ſibi copulare, ndum datum ex noſtra conſtitutione um.

ua vxores duci poſſunt vel non. ac 1 de parentibus & liberis.

Ergo non omnes nobis vxores ducecet: nam a quarundam nuptiis abſtilum eſt. Inter eas enim perſonas, parentum liberorumue locum inter ſe ent, contrahi nuptiæ non poſſunt: ti inter patrem & filiam, vel auum & em: vel matrem & filium, vel auiam & otem: & vsque in infinitum. Et ſi tales onæ inter ſe coierint, nefarias atque inis nuptias contraxiſſe dicuntur. Et adeo vera ſunt, vt quamuis per adonem parentum liberorumue loco ſibi coeperint, non poſſunt inter ſe matri-

per filium patri ſuus heres agnaſcitur, non iliam.

ecifio.) *I. 25. C. h. t. & l. 28. C. de Epiſc. audient.* *ne patris interuentu.)* quia furioſi nullus conis *l. 40. ff. de R. I.* modo loco ipſius conſentiat is furioſi curator, præcipui ex familia, cum iſtratu & Epiſcopo loci *dd. LL. 25. & 28.*

d §. 1. *Nefarias.)* Quas ne fari quidem deob ſummam turpitudinem *l. vlt. ff. h. t. Nouell.* *1.* & eſt hoc etiam ſcelus, quod ſcire non provid. *l. Cum vir. nubit 31. C. ad 1 Iul. de Adult.*

Dis-

trimonio iungi; in tantum, vt etiam dissoluta adoptione idem iuris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cœperit, non poteris vxorem ducere, quamuis eam emancipaueris.

2. De fratribus & sororibus.

2. Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis obseruatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemque nuptiæ prohibitæ sunt: siue ab eodem patre eademque matre nati fuerint, siue ab altero eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit: quamdiu quidem constat adoptio, sane inter te & eam nuptiæ con-

---

Dissoluta.) Ob memoriam pristinæ necessitudinis *l. 55. ff. h. t.*

Per adoptionem.) Idem prohibitum Iur. Can. *Cap. Vn. X. de Cognat. legali.* Hinc & hodie dispensatio petenda, postquam Leges Ciuiles semel receptæ. Si tamen vt filia solum educata, sed non adoptata, recte vxor fit. *L. 132. ff. de V. O.*

Ad §. 2. *Non tanta.*) Vnde nec tanta pœna, Nam in linea descendentium est pœna *capitalis*; in collaterali *fustigationis*, vel *relegationis*.

Inter fratrem.) Est enim pariter incestus, licet minor, quam in præc. §. 4. *l. 8. & 39. ff. h. t.*

Eodem patre eademque.) Hi sunt fratres *germani.*

Ab alterutro.) Seu vnilaterales, & quidem vel *consanguinei* vel *vterini*: non enim duplicitas vinculi sola attenditur in nuptiis, sed idem operatur coniunctio sanguinis ex vno parente.

Fili-

ſiſtere non poſſunt. Cum vero per ...cipationem adoptio ſit diſſoluta: po... eam vxorem ducere. Sed & ſi tu eman...us fueris, nihil eſt impedimento nuptiis. ...deo conſtat, ſi quis generum adoptare ..., debere eum antea filiam ſuam eman...e; & ſi quis velit nurum adoptare, de... eum antea filium ſuum emancipare.

De fratris vel ſororis filia vel nepte.

Fratris vero, vel ſororis filiam, vxo... ducere non licet: ſed nec neptem fra... vel ſororis quis ducere poteſt, quamuis ...to gradu ſint. Cuius enim filiam vxo... ducere non licet, neque eius neptem ...mittitur. Eius vero mulieris, quam ...r tuus adoptauit, filiam non videris ...ediri vxorem ducere, quia neque natu...; neque ciuili iure tibi coniungitur.

4. De

...*liam ſuam emancip.*) Ergo filiæ Iure Roman... ...olas nuptias non tranſeunt e patris poteſtate. ...d hodie Carpz. *P. 2. C. 10. d. 2.*

...d §. 3. *Non licet.*) Quia ſibi ſunt parentum ... §. *1. & 5. h. t.* vocatur *reſpectus parentelæ*, ſi ...ex perſonis coniungendis immediate ſubſit ...ti.

...*eque eius neptem.*) Hæc regula valet de ſub...a materia, vbi ſcil. reſpectus parentelæ con...it, qui continuatur in deſcendentibus. Alias ...ſemper procedit; nam aui filiam ſeu amitam ...re prohibeor, non aui neptem ſeu conſobri...l.

Ad

4. De Consobrinis.

4. Duorum autem fratrum, vel sororum liberi, fratris & sororis, coniungi possunt.

5. De Amita, matertera.

5. Item amitam, licet adoptiuam, ducere vxorem non licet; item nec materteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi vxorem ducere.

6. De Affinibus.

6. *Affinitatis* quoque veneratione a quarundam nuptiis abstinere necesse est: vt ecce priuignam, aut nurum vxorem ducere non

Ad §. 4. *Coniungi possunt.*) Itaque in quarto gradu computationis ciuilis, licitum est matrimonium, si non adsit respectus parentelæ. Cui & ius diuinum consentit *Leuit. 18.* Iure Canonico demum in quinto gradu suæ computationis permissum est. *Cap. fin. X. de Consangu. & Affin.* Iure Saxonico & Marchico nuptiæ inter consobrinos adhuc prohibitæ & in tertio gradu lineæ æqualis (iure ciuili sexto) demum permissæ.

Ad §. 5. *Licet adoptiuam.*) Vinculum adoptionis cum mere ciuile sit, indistincte per dispensationem tolli potest.

Ad §. 6. *Affinitatis*) Affines illi sunt, qui per nuptias *ad* alterius cognationis *fines* accedunt *l. 4. §. 3. ff. de grad.* Inter cognatos ergo vtriusque coniugis nulla affinitas est *Cap. 5. X. de Consangu.* Sed tantum inter vnum coniugem & alterius cognatos.

Duas

licet: quia vtræque filiæ loco sunt.
id ita scilicet accipi debet, si fuit nu-
ant priuigna tua. Nam si adhuc nurus
est, id est, si adhuc nupta est filio tuo,
ratione vxorem eam ducere non po-
:: quia eadem duobus nupta esse non
:st. Item si adhuc priuigna tua est, id
si mater eius tibi nupta est, ideò eam
rem ducere non poteris: quia duas
res eodem tempore habere non li-

De socro & nouerca.

7. Socrum quoque, & nouercam prohi-
m est vxorem ducere: quia matris lo-
sunt. Quod & ipsum dissoluta demum
iitate procedit. Alioquin si adhuc no-
a est, id est, si adhuc patri tuo nupta
communi iure impeditur tibi nubere:
eadem duobus nupta esse non potest.
i si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia
tibi nupta est: ideo impediuntur tibi
tiæ: quia duas vxores habere non po-

De

uas vxores) Hic prohibetur polygamia; in *Const. Crim. art. 121.* pœna capitis statu- Quæ tamen dispensabilis est; licet enim Iu- ivino prohibita dicatur polygamia, pœna n non divini sed humani iuris est, & hinc di- sabilis. Simile exemplum in furto.

 Ad

De Compriuignis.

8. Mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito; vel contra, matrimonium recte contrahunt: licet habeant fratrem sororemue ex matrimonio postea contracto natos.

De quasi priuigna, quasi nuru.

9. Si vxor tua post diuortium ex alio filiam procreauerit, hæc non est quidem priuigna tua: sed Iulianus ab huiusmodi nuptiis abstineri debere ait. Nam constat, nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam nouercam esse: rectius tamen, & iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptiis abstinuerint.

Ad §. 8. *Mariti tamen*) Dicuntur compriuigni. Vbi permissum matrimonium: quia nec consanguinei, nec affines sunt *Cap.* 5. *X. de Consangu.* Eodem modo & Nouercæ matrem ducere licet; cessante enim affinitate & consanguinitate, cessat respectus parentelæ.

Postea contracto.) Hoc ita iure ciuili. conf. *L.* 34. §. 2. *ff. h. t.* Sed iure diuino id videtur prohibitum *Lev.* 18. *v.* 11. vbi actiue vertendus est textus; Welche deinem Vater gebiehret.

Ad §. 9. *Nurum esse*) Obstat L. 6. *in fin.* & 8. *ff. de Grad.* vbi socrus, generi, & nurus appellationem etiam ex sponsalibus oriri dicitur. Resp. Argumentum hoc est a dici ad esse.

Abstinuerint.) Ob honestatem, quæ in nuptiis potissimum spectanda L. *semper* 42. *ff. h. t.* Locus tamen hic est dispensationi, præuio iuramento purgatorio, copulam carnalem non interuenisse.

De seruili cognatione.

:o. Illud certum est, seruiles quoque ;nationes impedimento nuptiis esse: si te pater & filia, aut frater & soror, manissi fuerint.

De reliquis prohibitionibus.

ıı. Sunt & aliæ personæ, quæ propter ersas rationes nuptias contrahere pro- ›entur, quas in libris Digestorum seu ıdectarum, ex iure veteri collectarum, ımerari permisimus.

De pœnis iniustarum nuptiarum.

ı2. Si adversus ea quæ diximus, aliqui erint; nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matri-

Ad §. 10. *Seruiles quoque*) Quia naturale vinım hic respicitur, quod etiam inter seruos est. f. L. *14. §. 1. & 2. ff. h. t.*

Ad §. 11. *Aliæ Personæ*) Ita prohibitum maıonium inter susceptorem & susceptam in bamo L. *26. in fin. C. h. t. tot. tit. X. de Cognation. ·it.* inter tutorem & pupillam, nondum redditis onibus. L. *59. ff. h. t.* inter raptorem & raptam *ın. C. de rapt. virg.* Addantur L. *16. & 32. ff. h. t. 8. pr. eod.* L. *13. ff. de his quæ vt indign.* iuncta *ι. 134. c. 12.* Principi tamen virginem nobilem ٠uro nulla lex Imperii obstat. vid. Henric. Salth. *de Matrim. Princip. cum virgin. nobili.*

Ad §. 12. *Nec Vir.*) Omne ergo matrimonium ıtra ea quæ in præcedentibus statuta inirum, › iure nullum ob L. *Non dubium 5. C. de* LL. Nec d conualidare poterit hodie copula sacerdos, vtpote quæ rei illicitæ nullam vim tribuere est.

matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum & his pater incertus sit. Vnde solent *Spurii* appellari παρὰ τὴν σποράν, i. e. a satione & ἀπάτορες quasi sine patre filii. Sequitur ergo, ut dissoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris constitutionibus continentur.

De legitimatione.

13. Aliquando autem euenit, vt liberi, qui statim, vt nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem

Nec dos:) Ergo concurrentibus creditoribus priuilegio prælationis vxor talis non gaudet, de quo in L. *assiduus 12. C. qui pot. in pign.* Cessante enim matrimonio cessat dos L. *3. C. de iure dot.*

Patriam potestatem:) Nam hæc non nisi ex iustis nuptiis nascitur.

Vulgo concepit) nisi matrimonium errore contractum, quod *putatiuum* dicitur, & parentes cognito errore statim ab inuicem abstinuerint L. *4. C. de incest. nupt.* Et ita ex incestuoso matrimonio nasci potest partus legitimus.

Locus sit) Sed eam Fiscus capit *l. 32. §. vlt. ff. de Donat. inter vir. & vxor. l. 4. C. de incest. Nupt.*

Ad

em patris: qualis est is, qui dum natura-
fuerat, postea 1. curiæ datus potestati
is subiicitur, nec non 2. is qui a mulie-
libera procreatus, cujus matrimonium
iime Legibus interdictum fuerat, sed
quam pater consuetudinem habuerit.
lea ex nostra constitutione dotalibus
rumentis compositis, in potestate pa-
tris

d §. 13. *Naturalis.*) Seu ex concubina natus. ue ex meretrice nati, f. spurii, non poterant timari *Nou. 89. c. 12. Nou. 74. cap. fin.* Quod mum hodie secus.

uriæ datus.) Vt Decurionatus officium subiret, d plerique declinabant, ob multa onera huic cio connexa *L. 3. C. de nat. lib.* Hodie idem inere puto, si Princeps sciens spurium senato- constituerit.

Libera) si enim serua fuerit, partus etiam, dum rem sequitur, seruus fit *§. supra de iur. per-*

nterdictum.) Exemplum in moniali, quam trimonii causa saltem interpellare, sub pœna itis prohibitum *L. 5. C. de Episc.*

Dotalibus instrumentis.) His enim probantur tiæ *L. 5, seq. C. de nat. lib.* Nuptiis ergo aliunde batis, perfecta est legitimatio *Cap. tanta 6. X. fil. sunt. leg. Cap. 20. X. de Sponsal.*

In potestate patris.) Accessit postea tertius le- imandi modus, per rescriptum Principis *Nou. 89. & 10.* Quæ legitimatio regulariter non va- in præiudicium liberorum legitime natorum, *Nou. 89.* Ab hac differt dispensatio natalium, si illicito concubitu partus editus e. g. adulteri- s.

tris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra Constitutio praebuit.

TITVLVS XI.

D. I. 7. C. IIX. 48.

DE ADOPTIONIBVS.

Continuatio.

NOn solum autem naturales liberi, secundum ea, quae diximus, in potestate nostra sunt; Verum etiam ii, quos adoptamus.

Diuisio adoptionis.

1. Adoptio autem duobus modis fit; aut *Principali Rescripto*; aut *imperio magistratus*. Im-

Nostra constitutio.) Quae extat *in* L. 11. *C. de nat. lib.*

TITVLVS XI.

Ad pr. *Naturales.*) Intelliguntur legitime nati; quoties scilicet adoptiuis opponuntur.

Adoptamus.) Definitio adoptionis est in L. 1, *ff. h. t. l.* 23. §. 1. Adoptioni affinis est *vnio prolium* die Einkindschafft, qua liberi diuersi matrimonii quoad successionem exaequantur, ac si ex eodem matrimonio nati essent. vid. Iac. Rich. *Tr. de vnione prolium.*

Ad §. 1. *Duobus modis.*) Antiquitus alii etiam modi recepti erant. Sic Adoptio in testamento fiebat L. 63. §. *si vero ff. ad SCt. Trebell.* exemplum habet Sueton. *in vita Tiberii c.* 9. Item ex SCto Petr. Greg. *S. I. l.* 10. *c.* 6. Item per SSctum sacrificium *Nou.* Leonis 24.

Im-

ɔeratoris auctoritate adoptare quis potest , easue, qui, quæue sui iuris sunt. Quæ cies adoptionis dicitur *Adrogatio.* Im-io magistratus adoptamus eos, easue, qui, zue in potestate parentum sunt: siue pri-um gradum liberorum obtineant, qualis filius, filia; siue inferiorem, qualis est pos, neptis, pronepos, proneptis.

:i possunt adoptare filiumfamilias, vel non.

2. Sed hodie ex nostra constitutione, cum usfamilias a patre naturali extraneæ rsonæ in adoptionem datur, iura patris turalis minime dissoluuntur, nec quid-am ad patrem adoptiuum transit, nec in

---

Imperatoris.) Ob magnum præiudicium quod eurrit is, qui adrogatur, dum in patris adrogan-potestatem transit L. 15. *pr. ff. h. t.* Quæ Im-ratoris, vel hodie statuuni aut Comitum Palati-ɪrum, confirmatio adhuc necessaria est.

Adrogatio) Rationem denominationis, & mo-ım adrogandi antiquum, ostendit A. Gellius *Noct. :tic. l.* 5. *c.* 19.

Ad §. 2. *Constitutione.*) quæ habetur in L. *pen. h. t.*

Extraneæ personæ.) Quæ extra lineam ascen-:ntium est. Quæ adoptio dicitur *minus plena* d. L. *pen. pr.* & §. 1. *C. h. t.*

Nec quidquam.) h. e. Adoptans non consequi-ır patriam potestatem; sed oneri educationis se ıbiicit.

Ab intestato) Est hic casus successionis non reci-rocæ. Pater tamen adoptiuus non tenetur eum he-:dem instituere, sed præterire potest *l. pen.* §. 1. *C.* ·*t.*

 Ei.)

in poteſtate eius eſt: licet ab inteſtato iura ſucceſſionis ei a nobis tributa ſint. Si vero pater naturalis non extraneo, ſed auo filii ſui materno, vel, ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, etiam auo vel proauo ſimili modo paterno vel materno filium ſuum dederit in adoptionem, in hoc caſu, quia concurrunt in vnam perſonam & naturalia, & adoptionis iura, manet ſtabile ius patris adoptiui & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo conſtitutum, vt & in familia & in poteſtate huiusmodi patris adoptiui ſit.

De adrogatione impuberis.

3. Cum autem impubes per Principale reſcriptum adrogatur. 1. *cauſa cognita* adrogatio fieri permittitur: & exquiritur cauſa adrogationis, an honeſta ſit, expediatque pupillo, & cum quibusdam conſtitutionibus adrogatio fit: id eſt, *vt* (2) *ca-*

Ei.) ſc. filio adoptiuo.

Emancipatus.) Nam ſi filius nondum fuit emancipatus, nepos ſtatim ſine adoptione in poteſtate aui exiſtit.

Concurrunt.) Duplex vinculum fortius ligat, quam ſimplex *arg. l. 89. ff. de leg. 3.* modo alterutrum non ſit impertinens, vt vinculum maternum in feudo.

Et in poteſtate.) Inde hæc Adoptio dicitur *plena*, quia perfectum ius liberorum tribuit.

Ad §. 3. *Cauſa cognita.*) Hic vocari debent cognati ac tutores, vt conſilio adſint adrogando, *l. 2. C. h. t.* Capita cauſæ cognitionis recenſentur in *L. 17. ff. h. t.* *Per*

it adrogator perſonæ publicæ, ſi in-
pubertatem pupillus deceſſerit, reſti-
tum ſe bona illis, qui, ſi adoptio facta
eſſet, ad ſucceſſionem eius, venturi
it. Item non aliter emancipare eum
ſt adrogator, niſi, (1) *cauſa cognita*,
us emancipatione fuerit: & tunc *ſua*
ei (2) *reddat*. Sed & ſi decedens pater
exheredauerit, vel viuus ſine iuſta
emancipauerit, iubetur (3) *quartam*
em ei bonorum ſuorum relinquere,
vi-

rſonæ publicæ.) Siue Secretario iudicii *l. 3. C.*
tbular.

tra pubertatem.) Nam ante pubertatem agna-
tam ſuccedendi ſpem habent, dum impubes
mentum condere nequit: illa autem ſpes non
it iis facto adrogatoris aufferri. Pubes au-
actus, & adrogationem non improbans, ap-
aſſe cenſetur. vid. *l. 18. & ſeqq. ff. h. t.*

ignus emancipatione.) Licet hic argumentari
iſis exheredationis, ita vt qui hac dignus, eti-
mancipatione dignus cenſeatur: quod argu-
um fundatum eſt in *L. 132. ff. de V. O.*

artam.) Non omnium bonorum, ſed por-
legitimæ *arg. l. 8. §. 8. ff. de inoff. teſtam.* ne
oris conditionis ſint liberi adoptiui, quam
me nati. Quæ ſententia in praxi recepta
t. *Exerc. 3. ad ff. th. 16.* licet ſi vnus tan-
adrogatus ſit, inter quartam bonorum & legi-
m nihil interſit. Hodie non quarta, ſed
erit. *Nou. 18. cap. 1.*

norum ſuorum.) Tempore mortis exiſten-

videlicet, præter bona, quæ ad patrem adoptiuum transtulit, & quorum commodum ei postea acquisiuit.

De ætate adoptantis & adoptati.

4. Minorem natu maiorem non posse adoptare placet. *Adoptio enim naturam imitatur: & pro monstro est, vt maior sit filius, quam pater.* Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere.

De adoptione in locum nepotis vel neptis.

5. Licet autem & in locum nepotis, vel neptis, pronepotis, vel proneptis vel deinceps adoptare, quamuis filium quis non habeat.

De adoptione filii in locum nepotis.

6. Et tam filium alienum quis in locum nepo-

---

tium, nam viuus non debet legitimam L. 6. C. *de inoff. testam.*

Ad §. 4. *Plena pubertate.*) Femina ergo quo casu adoptare potest *vid. infra* §. 10. *h. t.* debet XIV. annis præcedere adoptandum, quia tum plene pubes est *l.* 14. §. 1. *ff. de Aliment. leg.*

Ad §. 5. *Nepotis*) Vbi duplicandum tempus, & adoptans XXXVI. annis præcedere debet adoptandum. Et ita porro in pronepote obseruandum.

Non habeat) Sufficit quod habere possit per ætatem; imo filius potuit esse mortuus.

Ad §. 6. *Filium alienum.*) Non attenditur qualis antea fuerit adoptatus, sed quo loco eum esse voluerit adoptans.

Ad

ıotis adoptare poteſt, quem nepotem in um filii.

Quid requiratur in adoptione in locum nepotis.

7. Sed ſi quis nepotis loco adoptet, vel quaſi filio, quem habet iam adoptatum, vel quaſi illo, quem naturalem in ſua poteſtate ha- :: eo caſu & filius conſentire debet, ne ei ıito ſuus heres adnaſcatur. Sed ex contra- ı, ſi auus ex filio nepotem det in adoptio- m, non eſt neceſſe filium conſentire.

Qui dari poſſunt in adoptionem.

8. In plurimis autem cauſis adſimilatur is, i adoptatus, vel adrogatus eſt, ei, qui ex le- timo matrimonio natus eſt, & ideo ſi quis r Imperatorem, vel apud prætorem, vel æſidem prouinciæ non extraneum adopta- rit; poteſt eundem in adoptionem alii da- :. *Si*

Ad §. 7. *Suus hæres.*) Talis eſt, qui in poteſtate :functi & proximus gradu eſt. Qui cum iam uo parente quodammodo ſit dominus bonorum 2. *Inſtit. hered. qual.* iniquum foret talem here- :m alteri obtrudere.

Non eſt neceſſe.) Quia nepos in aui poteſtate eſt. atet hic argumentum: qui contradicendo actum npedire nequit, eius conſenſus fruſtra exigitur. 39. *ff. h. t.*

Ad §. 8. *Plurimis.*) Quoad ius patriæ poteſtatis. on quoad iura ſanguini cohærentia L. 23. *ff. h. t.* inc adoptio *hodie* non tribuit nobilitatem; quia æc ex iure ſanguinis dependet. Nec feudi capax ſt, 2. *Feud.* 26. §. *adoptiui.*

Ad

Si is, qui generare non potest, adoptet.

9. Sed & illud vtriusque adoptionis commune est, quod & ii, qui generare non possunt: quales sunt spadones, adoptare possunt: *castrati* autem non possunt.

Si femina adoptet.

10. *Feminæ* quoque adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.

De liberis arrogati.

11. Illud proprium est adoptionis illius, quæ

Ad §.9. *Generare.*) Hinc minoribus LX. annis adoptare non facile permittitur, quia ipsi procreationi sobolis studere debent. *L. 15. §. 2. ff. h. t.*

Non possunt.) sc. impedimento temporario *L. 2. §. 1. & l. 40. §. 1. ff. h. t. L. 6. & 9. ff. de lib. & posth.*

Castrati.) Quia impedimento perpetuo laborant. Aliud constituit Leo Imp. *Nou. 26.* Castrati a Sacris quoque arcentur *Deut. 23. v. 1.* Ceterum hos dispensatione Principis adoptare posse, non dubito, cum negotium hoc sit mere ciuile. Matrimonii alia ratio est.

Ad §.10. *Feminæ.*) Viduæ scilicet, non maritatæ, nec *virgines;* his tamen permisit Leo Imp. *Nou. 7.* Imo filiam Pharaonis adoptasse Mosem constat ex *Act. 7. v. 21.* In effectu ratione successionis conuenit cum adoptione minus plena *L. 5. C. h. t.*

Amissorum.) sc. in bello. Si ob alios liberos amissos adoptare velint, Principis consensu opus est.

Ad

per ſacrum oraculum fit, quod is, qui ros in poteſtate habet, ſi ſe adrogan- ı dederit, non ſolum ipſe poteſtati ad- atoris ſubiicitur, ſed etiam liberi eius iusdem fiunt poteſtate, tanquam nepo-.

Sic etenim diuus Auguſtus non ante erium adoptauit, quam is Germani- ı adoptaſſet: vt protinus adoptione facta peret Germanicus Auguſti nepos eſſe.

)e ſeruo adoptato vel filio nominato.

2. Apud Catonem bene ſcriptum refert quitas, ſervos, ſi a domino adoptati , ex hoc ipſo poſſe liberari. Vnde & eruditi, in noſtra Conſtitutione etiam ı ſeruum, quem dominus actis inter- ıientibus filium ſuum nominauerit, libe-

---

d §. 11. *Sacrum oraculum*) h. e. Reſcriptum cipis *l. 6. C. h. t.* hinc intelligitur adrogatio, ıdrogatus cum tota familia & bonis in poteſta- adrogatoris tranſit, *l.* 15. & 41. *ff. h. t.*

ı eiusdem) Qui enim ipſe in poteſtate eſt, ali- ſub ſua poteſtate habere nequit §. 3. *ſupra de* *. pot.*

c etenim) Exempla ad confirmandum adferri unt non ad decidendum *l.* 12. *ff. d. Offic. præſ.*

d §. 12. *Catonem*) ICtum in *l.* 2. §. 38. *ff. de* *l.* 4. §. 1. *ff. d. V. O.*

oſſe liberari) Dum enim ſeruum voluit filium, ıit etiam antecedens, ſc. vt liber ſit.

ctis interuenientibus) ſc. in iudicio apud Acta, ıationis cauſa.

Ius

liberum esse constituimus: licet hoc ad ius filii accipiendum ei non sufficiat.

TITVLVS XII.

D.I.7. C.IIX.49.

QVIBVS MODIS IVS PATRIÆ POTESTATIS SOLVITVR.

De morte naturali.

Videamus nunc, quibus modis, qui alieno iuri sunt subiecti, eo iure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur serui a potestate dominorum, ex iis intelligere possumus, quæ de seruis manumittendis super ius exposuimus. Hi vero, qui in potestate parentis sunt, mortuo eo, sui iuris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. Nam mortuo patre, sane omnimodo filii fili-

Ius filii) Sola nominatio non facit filium *l. 2. C. de testam.* facit tamen liberum; quia libertas ex arbitrio domini dependet, adoptio autem formam legibus præscriptam habet.

TITVLVS XII.

Ad Rubr. *Patriæ.*) Hæc vox in multis Codicibus non reperitur: Ita Contius, Hotomannus, Pacius legunt: *Quibus modis Ius potestatis soluitur.* Vnde & Hotomannus existimat agi hic de modis soluendi potestatem dominicam, sed frustra, vt inspectio docet.

Ad pr. *Superius*) *tit. de libertin. §. 1.*

Mortuo) Morte exspirant iura personæ *cohærentia* v. g. Vsusfructus, Patria potestas; non *in personam competentia* vt contractus. vid. Sebast. Medices *Tr. Mors omnia soluit.*

Sui

æue sui iuris efficiuntur: mortuo vero
› non omnimodo nepotes neptesue sui
is fiunt; sed ita, si post mortem aui
potestatem patris sui recasuri non sunt.
ȷue si moriente auo pater eorum viuit, &
›otestate patris sui est, tunc post obitum
in potestate patris sui fiunt. Si vero is,
› tempore auus moritur, aut iam mortuus
, aut per emancipationem exiit de pote-
e patris; tunc ii, qui in potestatem eius
ere non possunt, sui iuris fiunt.

De morte ciuili.

:. Cum autem is, qui ob aliquod malefi-
n in insulam deportatur, ciuitatem
ittit: sequitur, vt qui eo modo ex nume-
ciuium Romanorum tollitur, perinde
ısi eo mortuo, desinant liberi in pote-
e eius esse. Pari ratione & si is, qui in
estate parentis sit, in insulam deporta-
tus

---

ui iuris) Etiamsi adhuc sint infantes. Mox
ı commoda patrimonii percipiunt, licet ipsi
administrent.

er emancipationem) Hanc hodie per nuptias
paratam œconomiam fieri, supra dictum est;
viuo adhuc auo nepotes in patris potestate

d §. I. *In potestate.*) Est enim iuris ciuilis
ıen; hinc illam tanquam ciuilem, mors ciui-
›llit; aliud in iis quæ naturalia sunt; ita &
. deportato alimenta debentur *l.* 17. §. 1. *ff.*
:n. L. 73. §. 1. *ff. de Iure dot.*

Ex

tus fuerit, desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgentia Principis restituti fuerint, per omnia pristinum statum recipiunt.

De relegatione.

2. Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario, liberi relegati in potestate parentum remanent.

De seruitute Pœnæ.

3. Pœnæ seruus effectus, filios in potestate habere desinit. Serui autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestiis subiiciuntur.

De dignitate.

4. Filiusfamilias si militauerit, vel si Sena-

Ex indulgentia.) Hæc restitutio *gratiæ* dicitur, & solum redeundi facultatem largitur *L. 6. & 9. C. de sent. pass.* Nisi Princeps omnia iura ipsi restituta voluerit. Sed restitutio *Iustitiæ*, quæ probata innocentia fit, plena est. vid. Dn. Hopp. *in Comment. h. l.*

Ad §. 2. *Retinent.*) Quia relegatio non tollit ius ciuitatis *l. 4, & 7. §. 3. ff. de Interdict. & releg.* Licet facultatem commorandi in ciuitate adimat, retinet ergo domicilium. *l. 27. §. vlt. ad municip.* & ius suum per procuratorem exercere potest, *l. 20. ff. de minor.*

Ad §. 3. *Serui autem pœnæ.*) Hæc seruitus sublata per *Nou. 22. c. 8.* Condemnatio tamen in metallum, vel ad operas perpetuas, vel ad triremes, hodie superest, sed condemnati liberi manent Dn. Hopp. *h. l.* ciuitatis vero iura illos amittere, existimo. Ad

ator vel Consul factus fuerit, rema-
in potestate patris. Militia enim vel
sularis dignitas, de patris potestate fi-
ı non liberat. Sed ex Constitutione
ra summa Patriciatus dignitas illico,
erialibus codicillis præstitis, filium a
ia potestate liberat. Quis enim pa-
ır, patrem quidem posse, per eman-
ıtionis modum, potestatis suæ nexi-
filium liberare: Imperatoriam autem
itudinem non valere eum, quem sibi
pa-

d §. 4. *Senator vel Consul*) Quæ dignitates Ciuili non liberarunt, de quibus vide *L. fin. e Decur.* illæ nec hodie liberant: nisi accesse- eparata œcon'.mia, Dn. Parens *in Vsu Mod. dect. tit. de Adopt.* §. 24. In publicis tamen s filiusf. habetur pro patrefam. *L. filiusf. 9. ff. s qui sui vel al.*

Militia enim) Sc. in negotiis ad militiam non nentibus.

nstitutione nostra) quæ extat *L. vlt. C. de il.*

tricatus) His Patriciis nonnulli hodie com- nt Electores & Ppes Imp. Heig. P. 1. *quæst.* 4. ;. Gyphan. *ad h.* 9. sed frustra. Melius ipsis parantur Consiliarii intimi Imperatoris auc torum vel Principum. Ob rationem in fine additam.

nperialibus Codicillis) Die Bestallungs-Brie- Ex his recte colligitur, Priuilegia, & sic fa- m, alicui competere, a tempore præstitorum :illorum.

lsitudinem) tanquam patriæ patrem.

 Patrem

patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate?

De captiuitate & poſtliminio.

5. Si ab hoſtibus captus fuerit parens; quamuis ſeruus hoſtium fiat, tamen pendet ius liberorum, propter ius poſtliminii: quia hi, qui ab hoſtibus capti ſunt, ſi reuerſi fuerint, omnia priſtina iura recipiunt: idcirco reuerſus etiam liberos habebit in poteſtate: quia poſtliminium fingit eum, qui captus eſt, in ciuitate ſemper

---

Patrem) Sunt itaque conſiliarii quaſi patres Principis quod de *intimis* intelligendum.

Ad §. 5. *Capti*) Aliud in transfuga L. 19. §. 4. *ff. de Capt. & poſtl. reuerſ.* & qui ſe ipſum dedit, aut ſponte manſit. L. 17. & *l.* 20. *pr. ff. d. t.* A latronibus captus, non fit ſeruus *l.* 24. *d. t.*

Iura recipiunt) Non illa quæ facti ſunt, vt poſſeſſio *l.* 23. §. 1. *ff. de Acquir. poſſ.* Illuſtr. Dn. de Fuchs *in Paraphraſ. h. l.*

Fingit eum) Fictio illa vel *affirmatiua* ſ. poſitiua eſt, vbi qui in captiuitate moritur, fingitur ab initio mortuus, & ſic filius ibi natus, patre ante reditum mortuo, eſt ſpurius. *L. Diui Seuerus* 25. *ff. de Captiu.* quæ fictio etiam legis Corneliæ dicitur *l.* 22. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* vel *negatiua* ſ. translatiua, vbi captiuus reuerſus fingitur nunquam in captiuitate fuiſſe. Hodie iſtis fictionibus non eſt opus, cum captiui non fiant ſerui; illi vero qui a Turcis capiuntur, a nobis pro ſeruis non reputentur. vid. Dn. Schilter *ad Pand. Exercit.* 3. *th.* 2. *ſeq.*

fuiſſe. Si vero ibi deceſſerit; exinde
uo captus eſt pater, filius ſui iuris fuiſſe
tur. Ipſe quoque filius nepoſue, ſi
hoſtibus captus fuerit, ſimiliter dici-
, propter ius poſtliminii, ius quoque
ſtatis parentis in ſuſpenſo eſſe. Di-
n eſt autem poſtliminium a limine &
. Vnde eum, qui ab hoſtibus captus
& in fines noſtros poſtea peruenit,
liminio reuerſum recte dicimus.
n limina, ſicut in domo finem quen-
faciunt; ſic & imperii finem eſſe li-
, veteres voluerunt. Hinc & limen
um eſt, quaſi finis quidam & terminus.
o poſtliminium dictum eſt, quia ad idem
n reuertebatur, quod amiſerat. Sed &
captus victis hoſtibus recuperatur, poſt-
nio rediiſſe exiſtimatur.

De emancipatione.

. Præterea emancipatione quoque de-
nt liberi in poteſtate parentum eſſe.
emancipatio antea quidem vel per
uam Legis obſeruationem proce-
t, quæ per imaginarias venditio-
& intercedentes manumiſſiones
ce-

1 §. 6. *Imaginarias venditiones*) Pater ven-
filium alteri, & quaſi in ſeruitutem detrude-
quod trina vice peragebat, deinde alter eum
rebat. Vid. Gothofredus *ad LL. XII.*
. *l. 3. Tab. 4. p. 74.* Huberus *Vol. 1. b. t. §. 5.*

celebratur: vel ex imperiali Rescripto. Nostra autem prouidentia etiam hoc in melius per constitutionem reformauit: vt fictione pristina explosa, recta via ad competentes iudices, vel magistratus, parentes intrent: & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, a sua manu dimittant. Et tunc ex Edicto Prætoris in bonis eiusmodi filii, vel filiæ, vel nepotis, vel neptis, qui quæue a parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem iura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel ceteri; ipse parens ex manumissione tutelam eius nanciscitur.

Si

Imperiali rescripto) Ita adhuc hodie Comites Palatini Cæsarei ex priuilegio ab Imp. concesso, confirmare solent emancipationes.

Competentes iudices) Qui ordinariam in patrem & filium iurisdictionem habent. Quamuis hæc verba de competentia magistratus in genere capi possent, vt scil. habilis sit ad actum emancipationis, est enim hæc voluntariæ iurisdictionis. Qui modus adhuc hodie in vsu Bœkelm. *ad ff. h. t. n. 7.* Frequentior tamen est emancipatio tacita, dum filius separatam œconomiam instituit, permittente Patre Carpz. *P. 2. C. 10. d. 1.* filia hodie per solas nuptias emancipatur Carpz. *d. l. def. 2.*

Eadem iura) Hodie per *Nou. 118. C. 2.* pater æquali iure succedit emancipato quam suo.

Tutelam eius.) vid. infra *tit. de legit. parent. tutel.*

Ad

Si alii emancipentur, alii retineantur in potestate.

7. Admonendi autem sumus, liberum ·bitrium esse ei, qui filium, & ex eo ne- ɔtem vel neptem in potestate habet, fi- ım quidem de potestate dimittere, nepo- n vero vel neptem retinere: & e con- :rso filium quidem in potestate retinere, :potem vero vel neptem manumittere; vel nnes sui iuris efficere. Eadem & de pro- pote & pronepte dicta esse intelligantur.

De Adoptione.

8. Sed & si pater filium, quem in po- ·tate habet, auo vel proauo naturali se- ndum nostras constitutiones super his bitas in adoptionem dederit, id est, si ·c ipsum actis interuenientibus apud ımpetentem iudicem manifestauerit, ɛsente eo, qui adoptatur, & non con- dicente, nec non eo præsente, qui optat: soluitur quidem ius potestatis pa-

Ad §. 7. *liberum arbitrium*) Omnia enim de- ıdent ex voluntate patrisfamilias. vid. *L. in re ndata 21. C. mand.* Hodie tamen hanc liber- :m auo circa nepotes non amplius competere stimo, quia nepotes in patris, non aui potestate t. Nisi pater in conuicto aui manserit.

Ad §. 8. *Apud competentem.*) Vid. *not. ad §. 6, Non contradicente.*) Tacens ergo habetur pro sentiente vid. *l. 18. ff. Mand.* qui actum contra- :ndo impedire potuisset.

us potestatis.) Ius vero succedendi nihilomi- nus

patris naturalis, transit autem in huiusmodi parentem adoptiuum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimam antea diximus.

De nepote nato post filium emancipatum.

9. Illud autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium postea emancipaueris, vel in adoptionem dederis prægnante nuru tua; nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit; patris sui emancipati, vel aui adoptiui potestati subiicitur.

Parentes non coguntur liberos emancipare.

10. Et quidem neque naturales liberi, neque

nus saluum manet, quia potestatis ratio, iure nouo non amplius habetur, & sic casus adest, vbi duo patres in successione concurrunt, naturalis & adoptiuus. Dn. Parens *de Success. D.* I. *c.* I. §. 36.

Ad §. 9. *In potestate tua.*) Hoc enim partui olim erat vtilius, ob commodum successionis, quod amittebat per emancipationem. Hodie, cum & emancipati succedant, forte contrarium dicendum; cum ita partui vtilis sit, esse emancipatum, quia sic pleno iure bona capit.

Ad §. 10. *Pene.*) Nisi (1) pater filium durius contra pietatem habeat L. *vlt. ff. Si a parente.* (2) Si patri quid sub ea conditione relictum L. 42. *ff. de Cond. & demonst.* (3) vel filias prostituat, L. 12. *C. de Episc. audient. l.* 6. *C. de spectat.* (4) Si liberos exposuerit aut ægrotantes dereliquerit L. 2. *C. de Infant. exp.* (5) Si pater incestas nuptias contrahat *Nov.* 112. *c.* 2. (6) Si exponat infantem L. 2. *C. de infant. expos.* Co-

ẞue adoptiui vllo pene modo possunt
ẞere parentes, de potestate sua eos
ittere.

TITVLVS XIII.
D. XXVI. I.
DE TVTELIS.

De personis sui iuris.

TRanseamus nunc ad aliam diuisionem
· personarum. Nam ex his personis,
: in potestate non sunt, quaedam vel in
la sunt, vel in curatione, quaedam neu-
iure tenentur. Videamus ergo de his,
: in tutela, vel curatione sunt. Ita
n intelligemus ceteras personas, quae
tro iure tenentur. Ac prius dispicia-
s de his, quae in tutela sunt.

Definitio tutelae.

. Est autem TVTELA (vt Seruius defini-
vit).

gere) nec inuiti liberi emancipari possunt *in fin. C. de Emanc.* Nisi ex causis, vbi ex- latio licita *L.* 132. *ff. de V. O.*

TITVLVS XIII.

I pr. *In potestate*) Vel *dominica* vel *patria* *politica.*

utro iure) Tales sunt omnes illi, qui iustae s sunt, nec morbo, aut absentia rebus suis esse impediuntur.

vit) vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, Iure ciuili data ac permissa.

Etymologia tutoris.

2. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

A quo

Ad §. 1. *Potestas.*) Non est hæc potestas acquisitiua, qualis est domini & patris, cui contradistinguitur tutela *pr. h. t.* sed directiua ad educandam personam pupilli, & administranda eius bona.

In capite libero) sc. *pupillo*, quia tutor potest esse filiusfam. *pr. Inst. tit. seq.* Pupillus autem plene liber esse debet tam a dominica quam patria potestate. Ablatiuus hic pro accusatiuo positus quod in iure non infrequens *L. 12. ff. qui testam. fac. poss. L. 6. §. 7. ff. de iniust. rupt. L. 85. in fin. ff. de Leg. 3. l. 4. §. 12. & 21. ff. de Vsucap.*

Eum) Refertur ad personam pupilli, cui tutor datur; Eodem modo vti Terentius: *vbi est scelus, qui me perdidit.*

Ciuili) Formaliter tutela est Iuris Ciuilis, materialiter Iuris Naturæ & Gentium.

Data) sc. immediate a lege proximo agnato, quæ est tutela *legitima.*

Permissa) Vel *testatori*, quæ est testamentaria; vel *iudici*, quæ est iudicialis seu datiua.

Ad §. 2. *Quasi tuitores.*) Ob abusum diceres, quasi *tollitores*, dum interdum tollunt commoda pupilli in proprium vsum. Vormund der dem Pu-

ı quo & quibus testamento tutor datur.

3. Permissum est itaque parentibus, *libe-* *impuberibus*, quos in potestate habent, tamento tutores dare. Et hoc in filios iasque procedit omnimodo: *nepotibus* ro neptibusque ita demum parentes pos- ıt testamento tutores dare, si post mor- n eorum in potestatem patris sui non sunt casuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ npore in potestate tua sit, nepotes ex eo ı poterunt ex testamento tuo tutores ha- e, quamuis in potestate tua fuerint: scil. a mortuo te, in potestatem patris sui re- uri sunt.

De Posthumis.

4. Cum autem in compluribus aliis cau- sis

›illen das Brodt gleichsam vor dem Munde ınimmt. Carpz. *Decis. 120. n. 11.*

d §. 3. *In potestate*) Hæc quia exheredatione tollitur *L. fin. ff. unde legitimi.* hinc exhere- s etiam dari potest tutor *L. 4. & 10. §. 2. ff. de m. tut.* Cessat ergo in emancipato, *arg. §. ›. t.* item nec mater dare potest, nisi heredem tuerit filium *d. l. 4.* scilicet vltra legitimam; c enim non beneficia matris, sed legis habet. *estamento.*) *Perfecto L. 2. ff. de Confirm. tut.* Codicillis testamento confirmatis *L. 3. pr. ff. stam. tut. l. 2. C. eod.*

on sunt recasuri) Nam hi in potestatem pa- ransseunt, & sic tutela cessat. Respectu ma- orum bonorum autem curatores accipere pos- , patre ad secundas nuptias conuolante.

ſis *poſthumi* pro iam natis habeantur, & in hac cauſa placuit non minus poſthumis, quam iam natis teſtamento tutores dari poſſe: ſi modo in ea cauſa ſint, vt ſi viuis parentibus naſcerentur, ſui heredes, & in poteſtate eorum fierent.

De emancipatis.

5. Sed & ſi *emancipato* filio tutor a patre datus fuerit teſtamento, confirmandus eſt ex ſententia Præſidis omnimodo, id eſt, ſine inquiſitione.

TITVLVS XIV.

D. XXVI. 2. C. V. 28.

QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT.

Qui tutores dari poſſunt.

DAri autem tutor poteſt teſtamento non

Ad §. 4. *Pro iam natis*) Quando de commodo eorum agitur L. 26. *ff. de ſtat. hom.*

Ad §. 5. *Confirmandus*) Omnis defectus ſuppletur per confirmationem. Hodie & perfecte datus confirmandus per *Ordinat. Polit. de An.* 1584. *tit.* 31. §. 2. *&* *de Anno* 1577. *tit.* 32. §. 2. Inde tamen non tollitur diuiſio tutelæ, ſed remanet ratione ordinis, vt ſc. præcedat *teſtamentaria*, ſequatur *legitima* & hanc *iudicialis* ſeu *datiua*.

Inquiſitione) In mores tutoris, quos approbaſſe cenſetur pater L. 1. §. 2. *l.* 3. *&* 6. *ff. de confirmat. tut.* niſi vtilitas pupilli aliud ſuadet, vbi voluntatem patris negligit Prætor. L. *Vtilitatem* 10. *ff. eod.*

TITV-

n ſolum paterfamilias, ſed etiam filius-
nilias.

De ſeruo.

1. Sed & *ſeruus* proprius teſtamento cum ertate recte tutor dari poteſt. Sed ſcien-m eſt, eum & ſine libertate tutorem da-n, tacite libertatem directam accepiſſe leri: & per hoc recte tutorem eſſe. Pla-ſi per errorem, quaſi liber, tutor datus , aliud dicendum eſt. Seruus autem enus pure inutiliter teſtamento datur tu-: ſed ita, *cum liber erit*, vtiliter datur. Pro-ius autem ſeruus inutiliter eo modo tu-datur.

De

TITVLVS XIV.

Ad pr. *Filiusfamilias.*) Quia tutela eſt munus blicum *pr. Inſt. de Excuſ. Tut.* vbi pro Patref. etur L. 9. *ff. de his qui ſui vel alien. iur.* Requi-ir tamen in filiofam. vt ſit maiorennis §. 2. *h. t.* rum legitimus tutor eſſe nequit, quia viuente re proximus non eſt.

Ad §. 1. *Tacite libertatem,*) Nam qui vult fi-n, vult etiam media ad finem ducentia, vid. ad §. 2. *Qui & a quib. man.*

Per errorem) Quia hic ceſſat conſenſus L. 15. *de Iurisd.* & ſic tacite libertatem dediſſe non ſetur.

Pure inutiliter.) Quia eo ipſo non poterat ad-ngi Dominus ad manumittendum.

Inutiliter eo modo.) Non enim cenſeor dediſſe orem, cui libertatem non dedi, cum potue-

Ad

De furioso & minore 25. annis.

2. Furiosus vel minor viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut maior viginti quinque annis fuerit factus.

Quibus modis tutores dantur.

3. Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem posse dari tutorem non dubitatur.

Cui dantur.

4. Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest: quia *personæ*, non causæ vel rei tutor datur.

De

Ad §. 2. *Tunc erit.*) Non procedit in datiuo vid. §. *seq.*

Cum compos mentis.) Interim iudex alium dabit excluso legitimo *L. 10. §. 2. de Excus. tut.*

Maior viginti quinque) inde non sufficit impetrata ætatis venia, nisi veniam concedens hoc expresse indulserit, Dn. Schvveder. *I. P. part. spec. S. 1. c. 15. n. 7.*

Ad §. 3. *Tutorem*) Sc. testamentarium; aliud in iudiciali *L. 6. §. 1. ff. de Tut.* cum nemo interim alium dare possit, hinc actus legitimi debent esse puri, vid. *L. 77. ff. de R. I.*

Ad §. 4. *Dari non potest*) Nisi bona alibi sita, nam tum ob vtilitatem pupilli illis tutor dari potest *L. 15. ff. h. t.*

Personæ.) *Principaliter.*

vel rei) nisi *secundario* & per consequentiam, quia dissipatis bonis persona pupilli sustentatione priuatur.

Ad

De tutore dato filiabus, vel filiis.

ſ. Si quis filiabus ſuis, vel filiis tutores
lerit, etiam poſthumæ, vel poſthumo
liſſe videtur: quia filii vel filiæ appel-
one & poſthumus & poſthuma conti-
tur. Quod ſi nepotes ſint, an appel-
one filiorum & ipſis tutores dati ſint?
endum eſt, vt & ipſis quoque dati vi-
ntur; ſi modo liberos dixerit. Cete-
, ſi filios, non continebuntur. Ali-
enim filii, aliter nepotes appellantur.
e ſi poſteris dederit, tam filii poſthumi,
m ceteri liberi continebuntur.

Titvlvs XV.

D. XXVI. 4. C. V. 30.

LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

Sum-

---

d §. 5. *Non continebuntur.*) Niſi forte tantum tes habeat, nam ſic continebuntur nepotes; aſtranea ſit hæc diſpoſitio.

liter enim filii) Alias filiorum appellatione nentur nepotes *l. 84. 201. & 220. §. 1. ff. de* ſcilicet in cauſis *mere fauorabilibus*, tutela ex parte odioſa eſt, reſpectu tutoris. Ne-us autem, tutore a Iudice dato, conſulitur.

ſteris) Forte rectius poſthumis, propter *l. 6.* . *& l. 16. in fin. ff. b. t.* Bachov. *b.*

TITV-

Summa.

QVibus autem testamento tutor datus non est, his ex Lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

Qui sunt agnati.

1. Sunt autem agnati (cognati) per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi a patre cognati: veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, neposue ex eo. At qui

TITVLVS XV.

Ad pr. *Datus non est*) Ergo hæc demum locum habet cessante tutela testamentaria, tam de præsenti, quam futuro, vt nec hæc amplius speretur *l. 11. ff. h. t.* Iu tutelis vero Electorum Imperii legitima testamentariam præcedit A. B. *tit. 7. §. 2.* nisi aliqua publicæ salutis ratio obstet. vid. Dn. Parens *de Tutel. matern. Princip. Imperii c. 1. §. 9. seqq.*

Agnati) Ob certam spem succedendi *l. 1. ff. h. t.* quæ tunc solis agnatis competebat.

Legitimi) Ita dicti, quia immediate a lege tutelam vocantur *l. 5. pr. ff. h. t.*

Ad §. 1. *A patre*) Iure Saxonico agnati vocantur Schwerdtmagen. Cognati vero vocantur Spillmagen. quia illi iunguntur per hos, qui *gladium* tractant, hi per eos qui *colum*. Vox magen denotat cognatum in genere, & Magschafft, cognarionem.

Per feminini) Hi olim non poterant tutelam gerere legitimam, quia non succedebant. Aliud *hodie,* vbi æqualis agnatorum & cognatorum est successio per *Nou. 118. c. 4. & 5.* Iure feudali tamen adhuc circa tutelam obtinet illa differentia, quia eo iure cognati non succedunt. Brunnem. *ad Auth. Sicut C. de legit. Tut.* Ad

ii per feminini sexus personas cognatione
nguntur, agnati non sunt, sed alias natu-
li iure cognati. Itaque amitæ tuæ filius
on est tibi agnatus sed cognatus: & inui-
m tu illi eodem iure coniungeris: quia
ii ex ea nascuntur, patris non matris fa-
iliam sequuntur.

Quis dicatur intestatus.

2. Quod autem Lex duodecim tabularum
b intestato vocat ad tutelam agnatos, non
anc habet significationem, si omnino
on fecerit testamentum is, qui poterat
itores dare: sed si, quantum ad tutelam
ertinet, intestatus decesserit: quod tunc
uoque accidere intelligitur, cum is, qui
atus est tutor, viuo testatore decesserit.

Quibus modis agnatio finitur.

3. Sed agnationis quidem ius omnibus
mo-

Ad §. 2. *Agnatos*) Iure nouissimo ob singula-
m erga liberos affectum etiam Mater & Auia
trix esse potest, & omnibus legitimis præferen-
i. *Auth. Matri & Auiæ C. Quando mul. tut. off.*
ng. Nou. 118. c. 5. Modo renunciet secundis
uptiis & SCto Vellegano.

Decesserit) Morte sc. naturali *l. 6. ff. h. t.* non
ili; quem enim iudex hac morte puniuit, in
ius locum alium substituit *d. l. 11.*

Viuo) Imo etiamsi mortuo testatore decesserit,
tequam pubes factus pupillus *l. 11. §. 3. ff. de te-*
m. tut. L. 6. ff. h. t.

Ad §. 3. *Omnibus modis*) h. e. omni specie ca-
is diminutionis.

Ple-

modis capitis deminutione plerumque perimitur; nam agnatio iuris ciuilis nomen est: cognationis vero ius non omnibus modis commutatur; quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalis vero non vtique.

TITVLVS XVI.

D. IV. 5.

DE CAPITIS DEMINVTIONE.

Definitione & Diuisio.

Est autem *capitis deminutio* prioris status mutatio. Eaque tribus modis accidit. Nam aut *maxima* est capitis deminutio *aut minor* (quam quidam mediam vocant,) *aut minima*.

De

Plerumque.) Nam datur exceptio in fratre emancipato *l. 4. C. h. t.* & emancipati filio *l. vlt. C. de legit. hered.* illustr. Dn. de Fuchs *ad h. t.*

Iuris ciuilis) Ratione effectuum singularium, in participatione iurium familiae.

Non omnibus modis) Sed tantum maxima & media Capitis deminutione §. *6. seq. tit.*

Non vtique) Quia iura sanguinis nullo Iure ciuili dirimi possunt. *L. 8. ff. de R. I.*

TITVLVS XVI.

Ad pr. *Status*) Qui vel *libertatis* est, vel *ciuitatis*, vel *familiae l. 1. ff h. t.*

Tribus) in *L. 1. §. 4. ff. de suis & legit. hered.* duplicis tantum capitis diminutionis mentio fit, *magnae & minoris*. Sed ibi sub magna continetur maior & media, vti videre est ex *L. 5. §. 5. ff. de extraord. crim.*

Ad

De Maxima.

1. *Maxima* capitis deminutio eſt, cum
aliquis ſimul & ciuitatem & libertatem amit-
it: quod accidit in his, qui ſerui pœnæ
efficiuntur atrocitate ſententiæ: vel liber-
is, vt ingratis erga patronos condemna-
is: vel his, qui ſe ad pretium participan-
um venundari paſſi ſunt.

De Media.

2. *Minor*, ſiue media capitis deminutio
ſt, cum ciuitas quidem amittitur, libertas
ero retinetur: quod accidit ei, cui aqua
: igni interdictum fuerit, vel ei, qui in
ſulam deportatus eſt.

De

Ad §. 1. *Serui pœnæ*) vid. ſupra §. 3 *Quib.*
od. ius patr. pot. ſolu.

Ingratis) Vtebantur his verbis: *Superſedeo te*
bere ciuem, tanti muneris impium æſtimatorem,
c adduci poſſum vt credam vrbi vtilem, quem
mi ſceleſtum cerno. Abi igitur & eſto ſeruus,
oniam liber eſſe neſciuiſti. Conf. Sueton. *in*
a Claudii c. 25.

Ad §. 2. *Libertas*) Scilicet iuris *gentium*. Amit-
ur autem libertas iuris *ciuilis*, quæ ius ciuitatis
bet coniunctum, de qua agit *L. 5. §. vlt. ff. de*
tr. cogn. L. 4. §. fin. ff. de grad. Brunnem. *in*
ercit. h. l.

Aqua & Igni) In huius locum ſucceſſit depor-
o *L. 2. §. 1. ff. de pœn.*

Deportatus) Quo ipſo bona ſimul & ciuita-
a amittebat *L. 18. ff. de Interdict. & relig.*
i hodie comparari ſolet bannum Imperii, die

De minima.

3. *Minima* capitis deminutio eſt, cum ciuitas retinetur & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur, quod accidit in his, qui, cum ſui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri ſubiecti eſſe; vel contra: veluti ſi filiusfamilias a patre emancipatus fuerit, eſt capite deminutus.

De ſeruo manumiſſo.

4. Seruus autem manumiſſus capite non minuitur: quia nullum caput habuit.

De mutatione dignitatis.

5. Quibus autem dignitas magis, quam ſtatus permutatur, capite non minuuntur:

Reichs-Acht. Gail. *de Pace publ. l.* 2. *c.* 12. *n.* 15. Vox Vogel-frey denotat in hac materia, quod bannitus a quolibet capi quidem, ſed non occidi poſſit. Solet etiam deportationi comparari relegatio in perpetuum cum fuſtigatione, Harpr. *h. l. n.* 7. Brunnem. *Exercit. ad* §. 1. *quib. mod. Ius patr. pot. ſolu.*

Ad §. 3. *Status hominis*) Sc. familiæ.

Subiecti eſſe) Per adrogationem L. 2. §. 2. *ff. h. t.*

Emancipatus fuerit) Minuebantur olim capite, quia amittebant ius ſuccedendi; Hodie cum id aliter ſe habeat, per *Nou.* 118. *c.* 4. vix amplius pro deminutione capitis emancipatio habenda.

Ad §. 4. *Caput*) Scilicet ciuile in iure libertatis ciuitatis & familiæ conſiſtens. L. *fin. ff. h. t.* L. 32. *ff. de R. I.*

Ad §. 5. *Non minui.*) h. e. non mutatur ſtatus *ciuilis*, bene tamen *politicus*.

ır: & ideo a Senatu motos capite non mi-
ıi conſtat.

Interpretatio §. vlt. ſupra tit. prox.

6. Quod autem dictum eſt, manere co-
ıationis ius etiam poſt capitis deminutio-
em: hoc ita eſt, ſi minima capitis deminu-
ɔ interueniat: manet enim cognatio. Nam
maxima capitis deminutio interueniat, ius
ıoque cognationis perit, vtputa ſeruitute
cuius cognati: & ne quidem ſi manumiſ-
ſ fuerit, recipit cognationem. Sed & ſi
inſulam quis deportatus ſit, cognatio
uitur.

Ad quos agnatos tutela pertinet.

7. Cum autem ad agnatos tutela perti-
ıt, non ſimul ad omnes pertinet, ſed ad
ſtantum, qui proximiores gradu ſunt: vel
ſi

Ad §. 6. *Dictum eſt*) Sc. *in §. vlt. tit. præc.*
us quoque cognationis) Non ipſa cognatio,
effectus eius naturales. Ratio data *ad §. fin.*
præc. Hinc & filio extremo merita alimenta
ıralia debentur L. 17. §. 1. *ff. de pœn.* non ta-
ı *ciuilia* pro conditione parentis; hæc enim
ttit, ſi quicquam exheredatione dignum com-
ːrit.
ecipit) Niſi a Principe fuerit reſtitutus vid. §. 1.
b. mod. ius patr. pot. ſolu.
d §. 7. *Proximiores*) Nam ordo ſuccedendi
ıditur *l. 3. C. de legit. tut.* Modo legitimæ
is, hoc eſt maiorennes ſint *l. 8. ff. de legit. tut.*
ıaſculi *l. 1. C. quand. mut. tut. off.* In Saxonia
ɔr ex agnatis tutor eſt.

si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes pertinet, veluti si plures fratres sunt, qui vnum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.

TITVLVS XVII.
DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

EX eadem lege duodecim tabularum, libertorum & libertarum tutela ad Patronos liberosque eorum pertinet. Quæ & ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim in ea lege de hac tutela caueatur: sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introdu-

Ad omnes) *Conf. Auth. Sicut hereditas C. de legit. tut.* possunt tamen illi inter se vnum eligere, vel tutelam diuidere, *l. 2. C. de diuid. tut.*

TITVLVS XVII.

Interpretationem) Scilicet *extensiuam*, nam Imp. rationem LL. XII. Tabb. quia generalis est, ad casum non expressum extendit. Huic contradistinguitur interpretatio *restrictiua;* qua lex, licet generalior videatur, tamen ob specialitatem rationis ad causam expressam tantum restringitur. Nam ratio est anima legis *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* add. *L. scire 17. ff. de* LL.

Ac si verbis) Nota regulam: Quæ in ratione legis continentur, pariter reputantur, ac si verbis expressa essent.

Vbi

ducta esset. Eo enim ipso, quod hereditates libertorum libertarumque, si intestati decessissent, iusserat lex ad patronos, liberosue eorum, pertinere, crediderunt veteres, voluisse legem, etiam tutelas ad eos pertinere: cum & agnatos, quos ad hereditatem lex vocat, eosdem & tutores esse iusserit: quia plerumque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Ideo autem diximus *plerumque:* quia si a femina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, cum alius sit tutor.

Titvlvs XIIX.

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

EXemplo patronorum recepta est alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. Nam

Vbi successionis.) Ita enim Vasallo siue agnatis mortuo, & relicto filio impubere, Dominus feudi Tutor legitimus erit. Sic & idem inter principes confratres, simultaneè inuestitos obtinet: quia vbique adest spes succedendi.

TITVLVS XIIX.

Exemplo patronorum.) Ita vt quemadmodum patronus manumittendo retinebat ius tutelæ in libertum impuberem, ita & pater emancipando idem ius haberet *l. 1. ff. si a parente quis manum.* Hodie, sublata inter suos & emancipatos differentia, pater filii emancipati legitimus tutor est. Natu-

Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps, impuberes emancipauerit, legitimus eorum tutor erit.

TITVLVS XIX.
DE FIDVCIARIA TVTELA.

Est & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur. Nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps, impuberes manumiserit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi eius virilis sexus existant, fiduciarii tutores filiorum suorum, vel fratris, vel sororis, vel ceterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores. Quo

Naturalis vero tutela in patre nulla est. Vid. Dn. Hopp. *in Comment. Inst. h. t.* vnde si pater in iudicio nomine filiifam. compareat, male proponit, Er erscheine in natürlicher Vormundschafft seines Sohnes, sed dicendum in väterlicher Gewalt.

TITVLVS XIX.

Fiduciaria) Ita dicitur quod lex & pater hanc fiduciam de fratribus maiorennibus conceperint, quod ex fide tutelam sint gesturi.

Fiduciarii) Cur non legitimi? Quia emancipati suis non succedebant. Aliud ergo hodie post *Nou.* 118. *c.* 3. vbi supposito iure succedendi, revera sunt legitimi tutores.

Atqui) Obiectionem sibi fingit Imp. desumptam a liberis patroni; quod hi legitimi tutores sint

)uoniam filius quidem defuncti, si non esset viuo patre emancipatus, post obitum eius ii iuris efficeretur, nec in fratrum potesta-:m recideret, ideoque nec in tutelam. Li-ertus autem, si seruus mansisset, vtique odem iure apud liberos domini post mor-:m eius futurus esset. Ita tamen hi ad itelam vocantur, si perfectæ sint ætatis.)uod nostra constitutio in omnibus tutelis c curationibus obseruari generaliter præ-epit.

TITVLVS XX.

D. XXVI. 3. & 5. C. 29. 34. 36.

)E ATTILIANO TVTORE ET EO, QVI EX LEGE IVLIA ET TITIA DABATVR.

Ius antiquum. Si nullus sit tutor.

SI cui nullus omnino tutor fuerat, ei da-

---

nt, cur non ergo & liberi patris, fratrum mino-:nnium.

Quoniam) Hic respondet ad rationem dubi-ındi Imp. dando diuersitatis rationem. Quod :. filius patroni omne ius defuncti consequatur in bertum, non vero filius emancipatus ius defuncti atris in suos fratres.

Perfectæ ætatis) XXV. annorum *l. fin. C. de legit. ıtor.* L. I. §. 2. *ff. de minor.* procedit vero hoc in ıtela legitima & datiua *d. l. f.* non in testamentaria ı 2. *I. qui testament. tut.*

TITVLVS XX.

Ad pr. *Nullus omnino*) Scil. testamentarius, vel

dabatur, in vrbę quidem a prætore vrbano, & maiore parte tribunorum plebis, tutor ex lege Attilia: in prouinciis vero a præsidibus prouinciarum ex lege Iulia & Titia.

Si spes sit tutoris testamentarii.

1. Sed & si in testamento tutor sub conditione, aut ex die certo datus fuerat; quamdiu conditio, aut dies pendebat, ex iisdem legibus tutor alius interim dari poterat. Item si pure datus fuerat; quamdiu ex testamento nemo heres existebat, tamdiu ex iisdem legibus tutor petendus erat, qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies venerat, aut heres extiterat.

Si

---

vel legitimus. Ergo hæc tutela in subsidium tantum datur.

Dabatur) Hinc dicitur tutela *datiua*. Et obtinet etiam, quando ex pluribus tutoribus testamentariis vnus decessit. *l.* 11. *ff. de testam. tut.*

Ex lege) Ergo olim non competit vi iurisdictionis, sed ex dispositione legis L. 6. §. 2. *ff. de tutel.*

Ad §. 1. *Aliis interim*) vid. supra §. 2. *Qui testam. tut.*

Quamdiu) Herede enim plane repudiante, etiam tutela testamentaria expirabat, quia testamentum fiebat destitutum, in quo omnia corruunt, *l.* 9. *ff. de testam. tut.* Rescisso autem testamento per querelam inofficiosi, datio tutoris adhuc subsistit *Nou.* 115. *c.* 3. *in fin.* cum sola institutio vitietur.

Ad

Si tutor ab hostibus captus sit.

2. Ab hostibus quoque tutore capto, ex s legibus tutor petebatur: qui desinebat se tutor, si is, qui captus erat, in ciuitatem uersus fuerat. Nam reuersus recipiebat telam iure postliminii.

Cur desierint ita tutores dari.

3. Sed & his legibus tutores pupillis desiunt dari, posteaquam primo consules pullis vtriusque sexus tutores ex inquisitione are cœperunt, deinde prætores ex constitionibus. Nam supradictis legibus, neue de cautione a tutoribus exigenda, rem luam pupillis fore: neque de compellenis tutoribus ad tutelæ administrationem uicquam cauebatur.

Ius

Ad §. 2 *Petebatur.*) Quia adhuc incertum erat, non sit rediturus *l.* 1. §. 2. *de legit. tut.*

Ad §. 3. *Pupillis vtriusque sexus*) Nam antea minis dabatur etiam non impuberibus. *Vid. ragm. Vlp. tit.* 11. *pr.*

Inquisitione) Inquirebatur in mores tutoris. *id.* L. 21. §. *pen. & vlt. ff. de Tut. & Curat. atis.*

Cautione) Vid. infra *tit. de Satisdat. Tut. l. urat.*

Compellendis) Compelli possunt tutores, quia utela est munus publicum *pr. Inst. de Excusat. tut. Cur.* Compellitur autem vel mulctæ indictioe, vel pignoris captione *l.* 1. *pr. ff. de adm. tut.* lliud si iustam se excusandi causam habeat, vid. nfra *tit. d. Excus. tit.*

Ius nouum.

4. Sed hoc iure vtimur, vt Romæ quidem præfectus vrbi, vel prætor secundum suam iurisdictionem, in prouinciis autem præsides ex inquisitione tutores crearent, vel magistratus iussu præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates.

Ius nouissimum.

5. Nos autem per constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes, nec exspectata iussione præsidum disposuimus, si facultates pupilli vel adulti vsque ad quingentos solidos valeant, defensores ciuitatum vna cum eiusdem ciuitatis religiosissimo antistite, vel alias publicas personas, id est, vel magistra-

---

Ad §. 4. *Secundum suam iurisdictionem*) h. e. Quousque se extendit eius iurisdictio: Quia pupillus iudicis dantis iurisdictioni debet esse subiectus *l.* 1. §. *fin. ff. de tut. & Curat. dat.*

Ad §. 5. *Constitutionem nostram*) Quæ extat in *l.* 30. *C. de Episc. aud.* Hodie quilibet iudex ordinarius, etiam magistratus municipalis, pupillo sub sua iurisdictione tutorem dare potest vid. *Ord. Polit. de An.* 1577. tit. 32. §. 1. Imperio immediate subiectis Camera Imp. tntorem dat. Gail. L. 1. *obs.* 1. *n.* 47.

Facultates) Quantitas patrimonii hodie non attenditur, sed sola iurisdictione competentia.

Defensores ciuitatum) His hodie comparantur consules.

ratus, vel iuridicum Alexandrinæ ciuitatis, tores vel curatores creare: legitima caula secundum eiusdem constitutionis noram præstanda, videlicet eorum periculo, ii eam accipiunt.

Ratio tutelæ.

6. Impuberes autem in tutela esse, naturali iri conueniens est: vt is, qui perfectæ ætas non sit, alterius tutela regatur.

De rationibus reddendis.

7. Cum ergo pupillorum pupillarumque itores negotia gerant, post pubertatem tutelæ iudicio rationem reddunt.

Titvlvs XXI.

D. XXVI. 8. C. V. 59.

DE AVCTORITATE TVTORVM.

In

Ad §. 6. *Perfectæ ætatis*) Eadem ratio est in llis, qui non ætatis, sed iudicii defectu laborant.

Ad §. 7. *Post pubertatem*) Et in genere tutela inita *vid. tit. ff. de tut. & rat. distrah.* Hodie singulis annis offerendæ rationes *d. Ord. Polit. de Anno* 1557. *tit.* 32. §. 3.

Tutelæ iudicio) habet hinc pupillus vel actionem *tutelæ*, quæ in Codice appellatur arbitrium tutelæ, *t. t. C. arb. tut.* vel actionem *de ration. distrahendis* vid. *tit. ff. de tutel. & rat. distr.* L. 55. *ff. de Administr. & peric. tut.*

Rationem reddunt) Et hinc inuentarium conficiendum a tutore, *Rec. Imp. de Anno* 1558. *tit.* von Pupillen.

In quibus causis sit necessaria.

AVctoritas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria: vt ecce, si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Namque placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem vero

---

TITVLVS XXI.

Ad princ. *Auctoritas*) Hæc de tutore dicitur, *consensus* de curatore. Illa accedere debet ad integrandam personam pupilli, hic ad supplendam de bonis disponendi facultatem. Sine *illa* actus nullus est, sine *hoc* est rescindendus. Infans autem nihil gerit auctoritate tutoris, sed tutor omnia nomine infanris *l. Si infanti 18. C. de iure delib.* Possessionem tamen auctore tutore acquirere poteſt. L. *32. §. 2. ff. de acquir. possess.* Sic vt & solus acquirere potest possessionem rei donatæ mobilis L. *3. C. d. t.*

Stipulentur) Ergo sufficiens intellectus requiritur in pupillo L. *9. pr. ff. b. t.*

Non aliter) Si tamen ita pupilli conditio deterior reddita per auctoritatem tutoris, habet actionem contra tutorem, vel si hoc remedium pinguius sit, in integrum restituendus L. *17. in fin. ff. b. t. l. 1. & 2. C. si tutor. l. Curat. interuen.*

Cum tutoris auctoritate) Nisi *ex re* sit obligatio, hoc est, ex impensis in rem ipsius factis & hinc promota vtilitate. L. *Furiosus 46. ff. de O. & A.* vel

:ro non aliter, quam cum tutoris aucto-
:ate. Vnde in his caufis, ex quibus ob-
;ationes mutuae nafcuntur, vt in emptio-
bus, venditionibus, locationibus, condu-
ionibus, mandatis, depofitis, fi tutoris
ıctoritas non interueniat, ipfi quidem,
ıi cum his contrahunt, obligantur, at in-
cem pupilli non obligantur.

Exceptio in hereditate.

ı. Neque tamen hereditatem adire, ne-
ıe bonorum poffeffionem petere, neque
ereditatem ex fideicommiffo fufcipere ali-
r poffunt, nifi tutoris auctoritate, (quam-
s illis lucrofa fit) ne vllum damnum ha-
eant.

Quo

---

el pupillus locupletior factus *L. 1. & 5. §. 1. ff. t.* vel dolofe in contractu verfatus, *L. 4. §. 26. de dol. except.*

Pupilli non obligantur) Hinc dicitur hic con-actus claudicans. Vid. Dn. Hopp. *Diff. de con-actu claudicante Cap. 3.* Vrgere tamen poteft lter, vt pupillus auctoritate tutoris fe declaret, an are contractui velit, an inde difcedere, *arg. l. 13. 27 & 28. ff. de act. emt.*

Ad §. 1. *Hereditatem*) Sc. extranei, non *patris*, ıius ipfo iure heres eft *L. 8. pr. ff. de Acquir. ered.*

Adire) Ob latitans aes alienum, vid. *L. 4. in n. ff. ad SCt. Trebell. L. 62. ff. de R. I.* Aliud forte odie ob beneficium inuentarii, quod ab aere alieno eredem liberat. *L. f. C. de Iur. delib.*

Ad

Quomodo interponi debet.

2. Tutor autem ſtatim in ipſo negotio præſens debet auctor fieri, ſi hoc pupillo prodeſſe exiſtimauerit. Poſt tempus vero, vel per epiſtolam, aut per nuntium interpoſita auctoritas nihil agit.

Quo caſu interponi non poteſt.

3. Si inter tutorem pupillumque iudicium agendum ſit: quia ipſe tutor in rem ſuam auctor eſſe non poteſt: non prætorius tutor (vt olim) conſtituitur, ſed curator in locum eius datur: quo curatore interveniente, iudicium peragitur, & eo peracto, curator eſſe deſinit.

Titvlvs XXII.
QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

De

Ad §. 2. *In ipſo negotio*) Quia hic conſenſus ad formam negotii requiritur. Sufficit tamen ſi in continenti accedat negotio L. 9. §. 5. *ff. h. t.* iuncta L. 7. §. 5. *ff. de pact.* Hodie ſufficit ſi ex intervallo conſenſerit tutor. Struu. *Synt. I. Ciu. Exerc.* 31. *th.* 42. Brunn. *in Exercit. h. l.*

Ad §. 3. *In rem ſuam*) Hoc eſt propriam vtilitatem L. 1. & 7. *ff. h. t.* Quia nemo poteſt actoris & rei perſonam ſimul ſuſtinere L. 9. *ff. de pact.*

In locum eius) Donec iudicium fuerit finitum L. 19. *h. t.*

TITV-

De pubertate.

PVPILLI pupillæque, cum puberes esse cœperint, a tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putauit: quod in feminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo nostra sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum illico initium accipere disposuimus: antiquitatis normam in feminis bene positam in suo ordine relinquentes, vt post duodecim annos completos viri potentes esse credantur.

De

TITVLVS XXII.

Ad pr. *Inspectionem*) Confundit hic omnino Tribonianus inspectionem exteriorem corporis, quæ adhuc hodie iure canonico obtinet *C. Puberes X. de Desponsat.* cum inspectione genitalium; illam tantum veteribus vsitatam fuisse credo, non hanc, ill. Dn. de Fuchs *in Paraphrasi h. §.* Licet & hæc Saxonum iure quodam obtinuerit Land-Recht *lib.* 1. *Art.* 42.

Constitutione) quæ est in *L. vlt. C. quando tut. esse des.*

Duodecim annos) In criminalibus femina æque ac masculus anno XIV. pubes fit. *Const. Crim. art.* 164.

De capitis deminutione pupilli.

1. Item finitur tutela, si adrogati sint adhuc impuberes, vel deportati. Item si in seruitutem pupillus redigatur, vel si ab hostibus captus fuerit.

De conditionis euentu.

2. Sed & si vsque ad certam conditionem datus sit tutor testamento, aeque euenit, vt desinat esse tutor existente conditione.

De Morte.

3. Simili modo finitur tutela morte vel pupillorum, vel tutorum.

De

---

164. Saxones pubertatem in feudalibus ex anno 14. coepto aestimant. 13. annos & 6. septimanas exigendo. Carpz. *P. 2. C. 11. d. 9.*

Ad §. 1. *Adrogati sint*) Nam adrogatus in patriam potestatem transit §. *1. sup. de Adopt.*

Deportati) Et hodie in genere, vbi ius ciuitatis a . ittit impubes.

Captus fuerit) Aliud hodie, quia nostri captiui non amittunt iura libertatis & ciuitatis.

Ad §. 2. *Testamento*) Quid si a iudice? Resp. no.i potest hic sub conditione tutorem dare, *vid. not. ad §. 3. Qui test. tut. dar. poss.*

Ad §. 3. *Tutela morte*) Non autem actio tutelae, quae, cum ex quasi contractu sit, & contra heredes datur. *L. 1. §. 16. ff. de tutel. & rat. distr.* Tenetur etiam heres negotium coeptum continuare si possit *L. 1. & 4. ff. de fideiuss. & hered. tut.* vbi tamen latam tantum culpam praestat *d. l. 4. §. 1. & L. 4. ff. de Magistr. conuen.*

Vel tutorum) Hoc tamen casu non in totum finitur, sed tantum respectu huius tutoris.

Ad

De capitis deminutione Tutoris.

4. Sed & capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel ciuitas amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tantum tutela perit: ceteræ non pereunt. Sed pupilli & pupillæ capitis deminutio, licet minima sit, omnes tutelas tollit.

De tempore.

5. Præterea qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finito eo deponunt tutelam.

De remotione & excusatione.

6. Desinunt etiam tutores esse, qui vel remouentur a tutela ob id, quod suspecti visi

---

Ad §. 4. *Legitima tantum*) Quia minima capitis diminutio agnationem tollit, & sic quoque legitimam tutelam, quæ solis agnatis deferebatur. Cum itaque hodie & cognati tutores sint, vt supra dictum; ideo nulla tutela per minimam capitis deminutionem tutoris perit. Brunnem. *in Exerc.* §. *h.*

Ceteræ non) Quia & filiusf. tutor esse potest. *pr. Inst. qui testam. tut.*

Licet minima sit) Hoc certum in adrogatione; vide supra §. *1. h. t.* De emancipatione otiosa quæstio, quia ante emancipationem tutorem habere non potuit.

Ad §. 5. *Tempus*) Quæ ad certum tempus concessa, lapso tempore reuocantur. *Cap. 4. X. de Offic. delegat.*

G TITV-

viſi ſunt: vel qui ex iuſta cauſa ſe excuſant & onus adminiſtrandæ tutelæ deponunt, ſecundum ea, quæ inferius proponemus.

Titvlvs XXIII.
D. XXVII. 10.
DE CVRATORIBVS.

De adultis, cur curatores recipiant.

MAſculi quidem puberes, & feminæ viri potentes, vsque ad viceſimum quintum annum completum curatores accipiunt: qui licet puberes ſint, adhuc tamen eius ætatis ſunt, vt ſua negotia tueri non poſſint.

A qui-

TITVLVS XXIII.

Ad pr. *Viceſimum quintum*) Nec eſt hoc caſu differentia inter feminas & maſculos, ne illæ citius beneficio reſtitutionis priuentur. In veniæ antem impetratione eſt differentia, vbi feminæ XIIX. maſculi XX. annorum eſſe debent L. 2. *C. de his qui ven. æt.* Quamquam non præciſe ad annos reſpici ſoleat a Principe veniam concedente, quia LL. annales ſunt poſitiuæ, & ſic diſpenſabiles.

Completum) Nec diem vltimum cœptum eſſe ſufficit, L. *3.* §. *9. de minor.* in Saxonia vsque ad XXI. annum completum Land-R. *l. 1. art. 24.* Electores Imperii anno XIIX. maiorennes fiunt *A. B. c. 7. & 20.* Quod & alii quidam principes ex priuilegio habent, quo ceſſante, vtuntur iure in prouinciis recepto.

Tueri) Scil. perfecte. Eſt enim inter minores & pupillos differentia, quod *borum* actus ſine auctoritate tutoris geſtus ſit ipſo iure nullus, *illa-*

A quibus dentur Curatores.

1. Dantur autem curatores ab eisdem magiſtratibus, a quibus & tutores. Sed curator teſtamento non datur: datus tamen confirmatur decreto prætoris vel præſidis.

Quibus?

2. Item inuiti adoleſcentes curatores non accipiunt, præterquam in litem, curator enim & ad certam cauſam dari poteſt.

De

---

illorum vero actus ſine curatoris conſenſu initus ſit reſcindendus, probata læſione, *L. 24. §. 1. ff. de Minor. L. 101. ff. de V. O. L. 3. C. de in integr. reſt. min.*

Ad §. 1. *Magiſtratibus*) Hodie ab iis qui modo mixtum imperium habent. Brunn. *in Exercit. hic.*

Teſtamento) Ratio eſt in §. *ſeq.*

Confirmatur) Si minore volente fiat; nam hunc alium ſibi petere poſſe exiſtimo.

Ad §. 2. *Non accipiunt*) Cum enim primum prodigi & furioſi curatores acceperint *l. 2. & 34. ff. h. t* quædam turpitudinis nota erat, non permittere libero homini rerum ſuarum liberam adminiſtrationem *L. 2. ff. ſi quis a parent. manum.* Hodie etiam inuiti accipiunt curatorem *Ord. Pol. de Ao. 1577. tit. 32. §. 1.* Hinc & teſtamento hodie curator dari poteſt.

In litem) Ratio eſt in *L. 4. C. de auctor. præſt.* ne ex iuuenili calore vel imprudentia aliquid proponant vel omittant, quod ipſis maxime ſit damnoſum. Curator ad litem hodie vocatur ein Kriegiſcher Vormund, qui ab alio curatore minoris in hoc differt, quod adminiſtratione bonorum non gaudeat.

 Ad

De furiosis & prodigis.

3. Furiosi quoque & prodigi, licet maiores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum, ex lege duodecim tabularum. Sed solent Romæ præfectus vrbi, vel prætores, & in prouinciis præsides, ex inquisitione eis curatores dare.

De mente captis & morbo laborantibus.

4. Sed & mente captis, & surdis & mutis, & qui perpetuo morbo laborant, (quia

---

Ad §. 5. *Prodigi*) Quibus scilicet bonis interdictum *L. 1. pr. & L. 10. ff. de Curat. furios.* quod eo ipso fit, postquam per sententiam pro prodigis declarati. *L. 6. ff. de V. O.*

Agnatorum) Potest hæc dici *curatela legitima.* Quæ alias non datur, cum post pubertatem agnatis certa succedendi spes non supersit *L. 4. C. qui testam. fac. poss.* Aliud E. in furiosis & prodigis qui testari nequeunt. Cessat autem hæc curatela remisso furore. Tempore interualli in suspenso est, & furiosus ipse administret *L. 6. C. de Curat. furios.*

Sed solent) Hæc vox *solent*, non corrigit priora, sed frequentiorem vsum indicat.

Ad §. 4. *Mente captis*) Hi sunt qui in silentio insaniunt, tranquilla mentis alienatione *L. 25. C. de Nupt. L. 2. ff. de inoff. testam.*

Surdis & mutis) Aliud si discretum sit eorum infortunium *L. Discretis 10. C. qui testam. fac.* & rebus suis superesse possint.

Perpetuo morbo) Tali scil. qui rebus agendis impedimento est, & hinc dicitur morbus sonticus *L. 60. ff. de Re Iud.*

Su-

(quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt.

De pupillis, quibus Curator dari potest.

5. Interdum autem & pupilli curatores accipiunt, vtputa si legitimus tutor non sit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. Item si testamento datus tutor, vel a prætore aut præside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administret; solet ei curator adiungi. Item loco tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus a tutela excusantur, solent curatores dari.

De

Superesse non possunt) Hinc etiam feminis in Saxonia curator dandus. *Const. Elect. P. 2. C. 15.* & *ibi Carpz.*

Ad §. 5. *Legitimus tutor*) Si in eo impedimentum est ab initio. *L. 3. §. 8. ff. de leg. tut.* Nam si ex postfacto impedimentum oriatur, tum successioni locus *d. l. 3. §. 6.* Nisi impedimentum sit a iudice, vt si remotus; sic enim iudex alium substituit *L. 11. ff. de testam. tut.*

Dari non potest) Quia primo tutori iam ius quæsitum est. Aliud ergo, si prior tutor consentiat, vel plures eodem tempore dentur. *L. 23. ff. de Tutor. & Curat. dat.* alia exceptio est in *L. 21. §. 2. & vlt. ff. de Excusat.*

Nec tamen fraudulenter) Nam si de fraude constaret, remouendus esset a tutela.

Ad tempus) Quod pubertatem non excedit. Quod si *perpetuum* sit impedimentum; h. e. annos pubertatis excedens; (hoc enim respectu tu-

De constituendo actore.

6. Quod si tutor vel aduersa valetudine, vel alia necessitate impediatur, quo minus negotia pupilli administrare possit, & pupillus vel absit, vel infans sit, quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, prætor, vel qui prouinciæ præerit, decreto constituet.

TITVLVS XXIV.

D. XXVII. 7. & XLVI. 6. C. V. 57.

DE SATISDATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

Qui satisdare coguntur.

NE tamen pupillorum pupillarumue, & eorum, qui quæue in curatione sunt, ne-

---

telæ est perpetuum) alius ipsi tutor dandus. Vid. *L. 4. C. in quib. caus. tut. habenti* L. 28. §. *fin. ff. de Excus. tut.*

Ad §. 6. *Vel absit vel infans*) Qnod si enim præsens sit & infantiam egressus, ipse auctore tutore potest constituere procuratorem. L. 24. *ff. de Admin. Tut.* 11. *C. de Procur.*

Actorem) Non *procuratorem*, quia hic tantum a domino constituendus, *l. 1. ff. de Procurat.* qualis non est tutor. Datur autem actor tantum ad certum aliquod negotium *d.* L. 24. *ff. de Admin. tut.* Si ad vniuersa negotia sibi aliquem adiungi petat, in *adiutor* dicitur *in l. 13. §. 1. ff. de tutel.*

Decreto) Sufficit etiam hodie solum mandatum, quod *actorium* vocatur Carpz. *l. 3. Resp.* 14. *n.* 2.

TITV-

negotia a curatoribus tutoribusue consumantur, vel diminuantur, curet prætor, vt & tutores & curatores eo nomine satisdent. Sed hoc non est perpetuum, nam tutores testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore adprobata est. Item ex inquisitione tutores vel curatores dati, satisdatione non onerantur: quia idonei electi sunt.

Quando testamentarii satisdent.

1. Sed si ex testamento, vel inquisitione duo pluresue dati fuerint, potest vnus offer-

TITVLVS XXIV.

Ad pr. *Satisdent*) Datis fideiussoribus *l. 7. ff. de prætor. stipulat.* Est enim satisdare proprie, datis fideiussoribus cauere *l. 1. ff. qui satisd. cog.* Quod si itaque plures fideiussores dati, singuli in solidum tenentur, nec beneficium diuisionis habent, quod hic singulare L. *vlt. ff. rem pupilli salvam for.*

Adprobata est) Nisi post mortem patris aliquid superueniat, quod patri ignotum erat, tutorem vero suspectum reddit *l. 4. ff. de testam. tut.* L. *10. ff. de confirm. tut.*

Ex inquisitione) Nam fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis L. *13.* §. *fin. ff. de tut. dat.* Huius exceptio est in §. *1. h. t.* si plures dati sint, & vnus præferri velit.

Non onerantur) Hodie omnes tutores etiam testamentarii cauere tenentur. *Ord. Pol. de Anno 1577. tit. 32.* §. *3.* Quod tamen intelligo sub limitatione: nisi immobilia possideant. L. *15. ff. qui satisd. cog.*

offerre ſatisdationem de indemnitate pupilli vel adoleſcentis: & contutori ſuo, vel concuratori præferri, vt ſolus adminiſtret; vel vt contutor aut concurator ſatis offerens præponatur ei, vt & ipſe ſolus adminiſtret. Itaque per ſe non poteſt petere ſatisdationem a contutore ſuo, vel concuratore: ſed offerre debet, vt electionem det concuratori vel contutori ſuo, vtrum velit ſatis accipere, an ſatisdare. Quod ſi nemo eorum ſatis offerat, ſiquidem adſcriptum fuerit a teſtatore, quis gerat, ille gerere debet, quodſi non fuerit adſcriptum, quem maior pars elegerit, ipſe gerere debet, vt edicto prætoris cauetur. Sin autem ipſi tutores diſſenſerint circa eligendum eum vel eos, qui gerere debent, prætor partes ſuas inter-

---

Ad §. 1. *Offerre ſatisdationem*) Nam pupillorum intereſt, vnum potius quam omnes adminiſtrare, cum vnus facilius in iudicio agere & conueniri poſſit *L. 1. & l. 3. §. 6. ff. de admin. tut.* Niſi ſatisdans perſona turpis ſit, vbi non admittendus *L. 17. §. 1. ff. de teſt. tut.*

Satis accipere) Quia contutoris intereſt, cum periculum etiam ad eum redundet L. *3. §. 2. & 8. ff. de Adm. tut.*

Nemo eorum) Si plures ſatis offerant, is qui magis idoneus eſt præfertur. *l. 18. ff. de teſtam. tut.*

Adſcriptum) Nam & hoc caſu defuncti iudicium leges ſequuntur L. *36. ff. de excuſ. tut.*

Prætor partes) Quod ſi tamen nec prætori ſe ſub-

terponere debet. Item & in pluribus ex inquisitione datis comprobandum est: id est, vt maior pars eligere possit, per quem administratio fiat.

De actione subsidiaria.

2. Sciendum autem est, non solum tutores vel curatores pupillis vel adultis, ceterisque personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ vltimum eis præsidium possit adferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisdari non curauerunt, aut

---

submittere velint, omnibus permittenda administratio *L. 3. §. fin. ff. de admin. tut.* Vbi enim æquali iure gaudent partes, iudex vnum reliquis inuitis præferre nequit. Conf. *Auth. Sicut. hereditas C. de legit. tutor.*

Ad §. 2. *Accipiunt*) Scil. magistratus. *Tot. tit. ff. & C. de Magistr. conuen.*

Præsidium) Hinc vltimum perfugium & sacra quasi anchora dicitur *in L. 4. & 5. C. de Magistr. conuen.*

Non idonee) Hoc tamen interest, quod si omnino non cautum, statim magistratus conueniri possit, si minus idonee cautum, fideiussores & heredes eorum prius conueniendi. Quodsi ab initio idonee cautum, sed postmodum illa cautio, citra dolum & culpam, inidonea facta non tenetur magistratus, vtpote qui infelicem euentum non præstat. *L. 1. §. 11. & 13. ff. de Magistr. conf.*

 Etiam

aut non idonee passi sunt caueri. Quæ quidem tam ex prudentum responsis, quam ex constitutionibus imperialibus etiam in heredes eorum extenditur.

Si tutor cauere nolit.

3. Quibus constitutionibus & illud exprimitur, vt nisi caueant tutores & curatores, pignoribus captis coerceantur.

Qui dicta actione non tenentur.

4. Neque autem præfectus vrbi, neque prætor, neque præses prouinciæ, neque quisquam alius, cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodo, qui satisdationem exigere solent.

TITVLVS XXV.

D. XXVII. 2. C. V. 62. vsque ad 69.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM VEL CVRATORVM.

De numero liberorum.

EXcusantur autem tutores & curatores variis ex causis: plerumque tamen 1. propter liberos, siue in potestate sint,

Etiam in heredes) Ex dolo & lata culpa defuncti magistratus, non ex leui *L. 2. C. & L. 4. ff. d. t.* ex qua tamen ipse magistratus conueniri potest *L. 7. ff. eod.*

Ad §. 3. *Pignoribus captis*) Vel remotione ab officio *L. 2. C. de tut. vel Curat. qui satisd. non deb.*

Ad §. 4. *Exigere solent*) Hoc hodie incumbit omni illi, cuius est tutorem dare.

ſint, ſiue emancipati. Si enim tres liberos ſuperſtites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in prouinciis quinque, a tutela vel cura poteſt excuſari, exemplo ceterorum munerum. Nam & tutelam & curam placuit publicum munus eſſe. Sed adoptiui liberi non proſunt: in adoptionem autem dati naturali patri proſunt. Item nepotes ex filio proſunt, vt in locum patris ſui ſuccedant: ex filia, non proſunt. Filii autem ſuperſtites tantum ad tutelæ vel curæ muneris excuſationem proſunt; defuncti au-

---

TITVLVS XXV.

Ad pr. *Tres liberos*) Tot & hodie ſufficere volunt, ob communicatum ius ciuitatis Romanæ; verum cum hoc iam ante Iuſtinianum conceſſerit Antonius in L. 17. *ff. de ſtat. hom.* & nihilominus Imp. Romæ pauciores liberos admiſerit, ſtandum apud nos erit quinario numero.

Munerum) Vid. L. 3. §. 6. & L. 4. *pr. ff. de muner.* L. 24. *C. d. Decur.* Conf. Dn. Petr. Schulz *Diſſ. de Polypedia.*

Publicum munus) Non ratione *adminiſtrationis,* vtpote quæ pupilli matrimonium tantum reſpicit: Sed ratione *auctoritatis,* hinc & inuitus tutelam ſuſcipere tenetur L. 1. *ff. de Vacat. & Excuſ. mun.*

Non proſunt) Quia hæc beneficia patribus data, qui numero ciuium Remp. duxerunt.

Ex filio) Sc. mortuo L. 2. §. 7. *h. t.*

Ex filia non) Sed hi proſunt patri ſuo.

In

autem non prosunt. Sed si in bello amissi sunt, quæsitum est, an prosint? Et constat, eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. Hi enim, qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur.

De administratione rei fiscalis.

1. Item diuus Marcus in Semestribus rescripsit, eum, (2) qui *res fisci administrat*, a tutela, vel cura, quamdiu administrat, excusari posse.

De absentia reipublicæ causa.

2. Item (3) qui *reipublicæ causa absunt*, a tutela, vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores vel curatores dati, deinde reipublicæ causa abesse cœperint, a tutela, vel cura excusantur, quatenus reipublicæ

In acie) Vid. *L. 18. ff. h. t.* ergo non qui occasione belli perierunt, forte in obsidione; nisi & hi pugnantes perierint.

Ad §. 1. *Res fisci.*) Quia eius bona iam fisco obligata *L. 1. C. de Priuil. Fisc.* Cum itaque pupillo etiam obligari debeant *L. 20. C. de Admin. tut.* facile vel fisco vel pupillo damnum contingere posset. Aliud in conductoribus rerum fiscal. *L. 8. C. h. t.*

Ad §. 2. *Reip. causa*) Hoc est publici alicuius muneris, l. officii causa, vid. *L. 32. 35. & 38. ff. ex quib. caus. maior.*

Iun

blicæ cauſa abſunt: & interea curator loco eorum datur: qui ſi reuerſi fuerint, recipiunt onus tutelæ, nam nec anni habent vacationem, vt Papinianus libro V. reſponſorum ſcripſit: nam hoc ſpatium habent ad nouas tutelas vocati.

De poteſtate.

3. Et (4) qui poteſtatem *aliquam habent*, ſe excuſare poſſunt, vt diuus Marcus reſcripſit: ſed ſuſceptam tutelam deſerere non poſſunt.

De lite cum pupillo.

4. Item (5) *propter litem*, quam cum pupillo vel adulto tutor, vel curator habet,

---

Interea curator) Si ſc. eius abſentia ſit *temporaria* ſiue vltra annos pubertatis ſe non extendens *vid. ſupra* §. 5. *de Curat.* Alias ſi *perpetua* ſit, ſiue annos pubertatis excedens, tutor dandus. *L. 12. ff. de tut.*

Nec anni) Sc. qui iam tutelam ſuſceperunt, & a ſuſcepta ſe excuſant, ſtatim poſt reditum eam recipere tenentur *L. 2. ſi tut. vel Curat. Reip. cauſ. abſ.*

Ad nouas tutelas) h. e. quibus durante abſentia noua tutela delata; Illi poſt reditum adhuc per annum excuſationem habent.

Ad §. 3. *Poteſtatem aliquam*) Itaque ſola dignitas non excuſat *L. 15. §. 2. ff. h. t.* niſi poteſtas ſit coniuncta, vt olim in magiſtratibus maioribus *L. 17. §. 4. ff. h. t.* Hodie in omnibus.

bet, excusari non potest: nisi forte de omnibus bonis, vel hereditate controuersia sit.

De tribus oneribus tutelæ.

5. Item (6) *tria onera* tutelæ non affectatæ vel curæ præstant vacationem, quamdiu administrantur: vt tamen plurium pupillorum tutela, vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro vna computetur.

De

Ad §. 4. *Excusari non potest*) Hoc mutatum per *Nou. 72. c. 1. & 2.* vbi ob quamlibet litem repellitur tutor a tutela: ne hostis magis quam curator detur adolescenti, & hinc instrumenta litteraria subtrahantur *d. Nou. c. 3. in fin.* Excipitur (1) mater & auia *Auth. Adhæc C. quand. mul. tut. off.* (2) debitum notorium, (3) si testator id sciuit (4) debitum modicum (5) quod post susceptam tutelam deberi incipit. Vid. Brunnem. *in Exercit. h. l.*

Ad §. 5. *Tria onera*) Ne pupillorum negotia negligantur *L. pen. ff. h. t.* Nisi sint honorariæ tutelæ, in quibus cessat difficultas administrationis *L. 15. §. 9. ff. h. t.* Nonnunquam vna tutela vel cura sufficit, veluti si ita diffusa sit, vt pro pluribus cedere possit *L. 31. §. fin. ff. h. t.* interdum autem ne tres quidem sufficiunt, si forte vna sit modici patrimonii *L. 15. §. 15. ff. h. t.* vel si pupillus pubertati proximus *l. 17. pr. ff. h. t.*

Non affectatæ) h. e. quas vltro accersiuit, vt ab vlteriori onere securus esset *d. l. 15. §. 15.* Affectata enim onera, seu impedimenta, nunquam præbent excusationem legitimam.

Pro vna) Quia simplicem rationum redditionem

De paupertate.

6. Sed & (7) propter *paupertatem*, excusationem tribui, tam diui fratres, quam per se diuus Marcus rescripsit, si quis imparem se oneri iniuncto possit docere.

De aduersa valetudine.

7. Item (8) propter *aduersam valetudinem*, propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest, excusatio locum habet.

De imperitia litterarum.

8. Similiter (9) eos, *qui litteras nesciunt*, esse excusandos, diuus Pius rescripsit: quam-

---

nem & vnicam administrationem exigit. Aliud si diuiserint fratres, vbi tot tutelæ, quot patrimonia *l. 31. ff. h. t.*

Ad §. 6. *Paupertatem*) Sc. non leuem, sed talem, vbi omne tempus comparando victui impendendum L. *fin. C. de his qui num. lib. vel paup. excus.* Vnde patet, Tutorem stricto iure salarium petere non posse, cum alias paupertas non excusaret, vid. L. *38. ff. de Neg. gest.*

Diui fratres) Illi sunt Marcus Antonius Philosophus, & Ælius Verus L. *2.* §. *4. ff. de tut. & Curat. dat. l. 6. ff. h. t.*

Ad §. 7. *Ne suis quidem*) Ergo non omnis morbus excusat, sed sonticus. Vid. L. *60. ff. de Re Iud.* L. *Vn. C. qui morb.* Qui & a suscepta tutela liberat. L. *11. ff. h. t.* Cæcitas autem a suscipienda tantum excusat *l. 1. C. qui morb.* L. *3. C. qui dar. tut.* non a suscepta L. *16. ff. de auct. tut.*

Ad §. 8. *Excusandos*) Propter necessitatem reddendarum rationum; scilicet si tutela ampla sit & prolixas rationes desideret L. *6.* §. *vlt. ff. h. t.*

Quam-

quamuis & imperiti litterarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.

De inimicitia & de tutore consentiente.

9. Item, (10) si *propter inimicitias* aliquem testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum præstat excusationem: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

De ignorantia testatoris.

10. Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo vtitur, quod ignotus patri pupillorum sit, diui fratres rescripserunt. De

---

Quamuis &) Hæc non est ratio dubitandi, vt cum Accursio putarunt nonnulli, sed exceptio, regulæ antea traditæ. *d. l. 6. §. vlt.*

Sufficere) Sc. si tutela leuis sit, & difficilem administrationem non exigat. Vtpote vbi bacillis fissis, durch Kerbhölzer, rationes reddi possunt. vid. Dn. Parens *Diss. de bacillis fissis Vol. III. Dispp.*

Ad §. 9. *Propter inimicitias*) Vt cum litibus & negotiis inuoluat *l. 6. §. 17. ff. h. t.*

Promiserant) Posset hæc quarta tutelæ species constitui, *tutela promissa*. Quæ a testamentaria differt partim, quod sola promissio sufficiat, etiamsi postea in testamento tutor constitutus non sit, maxime hodie ex vi pactorum; partim quoque, quod se excusare nequeat, quod tamen testamentarius potest. *L. 15. §. 1. ff. h. t. L. 29. in fin. ff. de test. tut.* Comparantur tamen testamentario & præfertur legitimis & datiuis.

Ad §. 10. *Ignotus*) Sc. quoad personam, aliud si & ignotus quoad mores fuerit *l. 223. ff. de V. S.*

Ad

De inimicitiis cum patre pupilli.

11. *Inimicitiæ* (11), quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit; si capitales fuerunt, nec reconciliatio interuenit, a tutela vel cura solent excusare.

De status controuersia.

12. Item (12) is, qui *status controuersiam* a pupillorum patre passus est, excusatur a tutela.

De ætate.

13. Item (13) *maior septuaginta annis* a tutela & cura se potest excusare. Minores autem

---

Ad §. 11. *Cum patre*) Idem si cum pupillis *l.* 3. §. 12. *ff. de suspect. tut.*

Capitales) Inimicitia capitalis est proprie, quæ ex capitali accusatione oritur. *l.* 6. §. 17. *h. t.* In genere autem, quæ vitam, bona, aut famam adficit. Dn. Hopp. *Diss. de Inimic. capital.*

Nec reconciliatio) Omnes enim effectus inimicitiæ tolluntur per reconciliationem: Cauendum tamen & ab inimico reconciliato.

Solent excusare) Imo a tutela iam suscepta repellunt inimicitiæ *l.* 3. §. 12. *ff. de suspect. tut.*

Ad §. 12. *Status*) Hoc hodie ad controuersiam status politici non inique applicaueris, v. g. si nobilitatis quæstio ipsi mota.

Ad §. 13. *Septuaginta annis*) Quia senectus venerabilis L. 5. *ff. de Muner.* Ex hoc §. explicanda L. *vlt. C. qui ætat. l. prof.* & pro LV. legendum LXX. In iure diuino maior Ætas L. annis excusabat Leuitas ab administratione cultus diuini *Num.* 8. *v.* 24. *seq.*

Potest excusare) Etiam a tutela suscepta L. 2. *ff. h. t.*

H *Con-*

autem viginti quinque annis, olim quidem excuſabantur; noſtra autem conſtitutione prohibentur ad tutelam, vel curam adſpirare; adeo vt nec excuſatione opus ſit. Qua conſtitutione cauetur, vt nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: cum ſit inciuile, eos, qui alieno auxilio in rebus ſuis adminiſtrandis egere noſcuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam, vel curam ſubire.

De militia.

14. Idem & in milite obſeruandum eſt, vt nec volens ad tutelæ onus admittatur.

De Grammaticis & Medicis.

15. Item (14) Romæ grammatici, rhetores, & medici, & qui in patria ſua has artes exer-

---

Conſtitutione) Quæ eſt in L. *vlt. C. de legit. tut.*

Ad §. 14. *Milite*) Ne a militia abſtrahatur L. 4. *C. qui dare tut. vel cur.* Etiam poſt miſſionem excuſatur, ſi ſit veteranus, qui viginti annorum ſtipendia meruit *l.* 8. *pr.* §. 2. & 3. & *l.* 9. *ff. h. t.* Superueniens quoque militia facit ceſſare tutelam *l.* 11. *C. h. t.* idem in epiſcopis & monachis *Auth. Presbyteros C. de Epiſc. & Cler.* iuncta *l.* 42. §. 1. *C. eod.* Alterius tamen clerici liberorum tutores eſſe poſſunt *l.* 23. §. 1. *ff. h. t.*

Ad §. 15. *Romæ*) Et ſic in qualibet academia ab Imp. confirmata.

Grammatici) Seu profeſſores eloquentiæ. Item philoſophi L. 6. §. 5. *h. t.*

Medici) Qui περιοδευταὶ ſeu circulatores, i. e. circuitores, vel circumforanei vocantur L. 6. §. 1. *h. t.*

exercent, & intra numerum ſunt, a tutela & cura habent vacationem.

De tempore proponendi excuſationes.

16. Qui autem vult ſe excuſare, ſi plures habeat excuſationes, & de quibusdam non probauerit, aliis vti intra tempora conſtituta non prohibetur. Qui autem excuſare ſe volunt, non appellant, ſed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognouerunt ſe eſſe tutores vel curato-

---

h. t. Inde de medicis ſedentariis dubitat Cuiac. *ad d. l. 6.* Non ICti *d. l. 6.* §. 12. niſi ſint Profeſſores actu docentes *d. l. 6.* §. 4. aut conſiliarii *l. 30. ff. eod.*

Intra numerum) Ergo profeſſores extraordinarii non excuſantur; niſi excellenter docti L. 6. §. 10. *ff. h. t.*

Ad §. 16. *Intra tempora*) Scil. 50. dierum L. 38. *ff. h. t.*

Non appellant) Quia nondum grauati ſunt, cum adhuc ſe excuſare poſſint. Vbi autem nullum grauamen, ibi nulla appellatio. Quod ſi cauſa excuſationis allegata, vt inſufficiens reiecta fuerit, tum appellare licebit. L. 13. *pr. ff. h. t.* L. 2. §. 1. *ff. quando appell.*

Continuos) Qui continuo & naturali ordine currunt etiam ignorantibus; his contradiſtinguuntur dies *utiles*, ſc. quibus ius dicitur, (vt ita deducantur feriæ,) & hi tantum ſcientibus currunt. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. t.*

Ex quo cognouerint) Ergo hoc tempus ab initio vtile eſt, quia ſcientiam prærequirit, ſed poſtea continuum. L. 6. *C. h. t.*

ratores datos, se excusare debent, cuiuscunque generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores, si intra centesimum lapidem sunt ab eo loco, vbi tutores dati sunt. Si vero vltra centesimum lapidem habitant, dinumeratione facta viginti millium diurnorum & amplius triginta dierum: qui tamen (vt Scæuola dicebat) sic debent computari, ne minus sint, quam quinquaginta dies.

De excusatione pro parte patrimonii.

17. Datus autem tutor ad vniuersum patrimonium datus esse creditur.

De

Excusare debent) Et omnes excusationis causas initio nominare L. 13. §. 8. *ff. h. t.*

Cuiuscunque generis) Hinc & legitimi se excusare possunt *l.* 4. *C. de legit. tut.* L. 3. §. 8. *ff. eod. l.* 9. *C. qui dar. tut. l.* 30. §. 2. *ff.* Quia lex, tutelam illis deferens, non excludit causas excusandi aliis indultas.

Qualitercunque dati) Vel a *testatore*, vel a *iudice*, vel a *lege*. Nam & hi dati dicuntur *l.* 52. *pr. C. de Episc. & Cler.*

Centesimum lapidem) Hodie tempus vel statutis determinatum, vel arbitrio iudicis statuendum; vulgo V. milliaria substituunt.

Diurnorum) Neque enim dies noctesque quavis tempestate spreta, iter facere, aut duplomate (der Post) vti tenetur L. *Continuus* 137. §. 2. *ff. de V. O.*

Ad §. 17. *Vniuersum patrimonium*) Nisi quoad nonnulla bona alibi sita se excusauerit. Idem de Curatore in genere dato intelligendum L. 2. *C. h. t.*

Ad

De excusationibus curatorum.

18. Qui tutelam alicuius gessit, inuitus curator eiusdem fieri non compellitur: in tantum, vt licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eundem curatorem dare; tamen inuitum eum curam suscipere non cogendum, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

De marito.

19. Iidem rescripserunt, maritum vxori suae curatorem datum, excusare se posse, licet se immisceat.

De falsis allegationibus.

20. Si quis autem falsis allegationibus excu-

Ad §. 18. *Non compellitur*) Nam amico in paucis gratificari sufficit *l.* 39. §. 2. *ff. de Admin. & peric. tut.* L. 20. *C. de Neg. gest.* Exceptio est in liberto, quem patronus liberis suis tutorem dedit *l.* 5. *C. h. t.* vide tamen L. 14. §. 3. *& l.* 24. *ff. eod.*

Ad §. 19. *Curatorem*) Scil. in bonis receptitiis: nam in paraphernalibus legitimus administrator, *l. fin. C. de pact. conuent.* & in dotalibus plane dominus est. *pr. Inst. quib. al. lic.* Procurator vero ad litem esse potest etiam sine mandato, si modo caueat de rato. L. *Maritus* 21. *C. de Procurat.* Moribus plerumque est curator legitimus, maximus in Saxonia LandR. *l.* 1. *art.* 31. *&* 48. *& l.* 3. *art.* 45. Carpz. *P.* 2. *C.* 15. *d.* 19.

Excusare se posse.) Imo ne quidem admittitur ad administrationem *l.* 2. *C. qui dare tut.* nisi vxor sit maiorennis *l. Maritus* 95. *pr. ff. ad* L. *Falc.*

Immisceat) Hoc est curam iam susceperit.

excusationem tutelæ meruerit, non est liberatus onere tutelæ.

TITVLVS XXVI.

D. XXVI. 10. C. V. 43.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS VEL CVRATORIBVS.

Vnde suspecti crimen descendat.

Sciendum est, suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendere.

Qui de hoc crimine cognoscunt.

1. Datum est autem ius remouendi tutores suspectos, Romæ prætori & in prouinciis Præsidibus earum, & legato proconsulis.

Qui suspecti fieri possunt.

2. Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere. Nunc videamus, qui suspecti fieri

---

Ad §. 2. *Non est liberatus*) Sed suo periculo cessauit *l.* 1. *C. si fals. alleg.* Sententia enim ex falsis instrumentis rescinditur. L. 33. *ff. de Re Iud.*

TITVLVS XXVI.

Ad pr. *Crimen*) Hinc non *ciuiliter* modo agi potest, vt remoueatur, vel curator ipsi adiungatur *l.* 9. *ff. h. t.* Sed & *criminaliter*, vt pro arbitrio iudicis puniatur L. 1. §. *fin. ff. h. t.*

Ad §. 1. *Remouend:*) Hodie qui dat tutorem, eum etiam remouere potest: punire autem is, qui ius puniendi seu merum imperium habet. Brunn. *Exerc. hic.*

Ad

fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, siue sint testamentarii, siue non sint, sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, famæ patroni parcendum esse, licet vt suspectus remotus fuerit.

Qui possunt suspectos postulare.

3. Consequens est, vt videamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est, omnibus patere. Quinimo & mulieres admittuntur ex rescripto diuorum Seueri & Antonini: sed hæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: vtputa mater, nutrix quoque & auia; potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam Prætor propensa pietate intellexerit, sexus vere-

---

Ad §. 2. *Famæ patroni*) Et ita omnium illorum, quibus singularis debetur reuerentia, nam & legitimis potius curator adiungendus, quam vt cum infamia remoueantur *l.* 9. *ff. h. t.*

Ad §. 3. *Publicam*) Publicum dicitur quasi *populicum*, dum cuiuis ex populo accusandi ius est. *§. 1. Inst. de publ. Iud.*

Omnibus patere) Si nemo adsit, qui tutorem suspecti arguit, ipse prætor in suspicionem inquirere debet. L. 3. §. 4. *ff. h. t.*

verecundiam non egredientem, sed pietate productam, non sustinere iniuriam pupillorum, admittet eam ad accusationem.

An impubes vel pubes.

4. Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare: puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere: & ita diui Seuerus & Antonius rescripserunt.

Quis dicatur suspectus.

5. Suspectus autem est, qui non ex fide tutelam gerit, licet soluendo sit, vt Iulianus quoque scripsit. Sed & antequam incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum remoueri, idem Iulianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

De effectu remotionis.

6. Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum, famosus est: si ob culpam, non æque. De

---

Non egredientem) Cui opponitur Carfania impudentissima fæmina L. 1. §. 5. *ff. de postul.*

Ad §. 4. *Necessariorum*) Hoc est cognatorum.

Possunt arguere.) Etiam ante XVII annum, quia suam vindicant iniuriam *l.* 11. *pr. ff. de Accus.* L. 4. *C. de Auct. præst.*

Ad §. 5. *Non ex fide*) Hoc est vel dolose, vel segniter *l.* 5. *C. h. t.*

Antequam incipiat) Melius enim est intacta iura seruare, quam post vulneratam causam remedium quærere L. *fin. C. in quib. Caus. rest. in integr. non est necess.* Et turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. *Cap.* 25. *X. de iurei.*

Ad

De effectu accusationis.

7. Si quis autem suspectus postulatur, quod cognitio finiatur, interdicitur ei administratio, vt Papiniano visum est.

Quibus modis cognitio finitur.

8. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator decesserit, extinguitur suspecti cognitio.

Si

Ad §. 6. *Dolum*) Modo doli mentio in sententia facta fuerit *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* alioqui magis ob culpam quam dolum condemnatus videtur; quia sententia benignius interpretanda.

Ob culpam non aeque) Etiam latam, propter L. *fin. C. h. t.* Vtut enim haec alias dolo aequiparetur *l.* 32. *ff. deposit.* Hoc tamen in ciuilibus tantum procedit, non criminalibus, vbi ad intentionem & propositum semper respiciendum. Conf. *l.* 7. *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Ob leuem culpam ne quidem vt suspectus accusari potest, quia haec salua fide admitti L. 32. *ff. de Cond. & demonst.* & damnum actione tutelae ordinaria reparari potest.

Ad §. 7. *Interdicitur ei*) Et interim curator datur *l.* 7. *C. h. t.* Aliud si officium non sit mere gratuitum, vt tutela, sed salarium habeat annexum, vbi non statim quis suspendendus ab officio Carpz. *Iurispr. Eccles.* 3. *d.* 114. *n.* 5.

Ad §. 8. *Decesserit*) Quia crimina morte expiant *l.* 20. *ff. de Accus.* L. 1. & 2. *C. Si reus vel acc. mort.* Actio tamen tutelae, qua damnum datum reperitur, ad heredes transit. *l.* 1. *C. h. t.*

Extinguitur) Et in genere: extincta tutela, extincta est suspecti cognitio *l. pen. ff. h. t.*

Si tutor copiam sui non faciat.

9. Si quis tutor copiam sui non faciat, vt alimenta pupillo decernantur: cauetur epistola diuorum Seueri & Antonini, vt in possessionem bonorum eius pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi iubentur. Ergo vt suspectus remoueri poterit, qui non præstat alimenta.

Si neget alimenta, vel tutelam redemerit.

10. Sed si quis præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum eum esse ad præfectum vrbi puniendum, placuit: sicut

---

Ad §. 9. *Decernantur*) Sc. a Magistratu pro ratione facultatum pupilli *l.* 3. §. 1. *& fin. ff. Vbi pupill. educ.* vel ab ipso tutore *l. fin. C. de Alim. pupill. præstand.*

Bonorum eius) Sc. tutoris *l.* 1. §. 2. *ff. h. t.*

Mittatur) Et ex bonis alatur. Quod hic speciale, cum alias immissus ex primo decreto (qualis hæc immissio est) ex bonis non sit alendus *l.* 7. *pr. ff. quib. ex caus. in poss. eatur.*

Mora deteriora) Siue quæ tempus corrumpere solet.

Ad §. 10. *Remittendum*) Nam olim vrbi præfectus cognitionem & vindicationem criminum habebat, præter solam iurisdictionem. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. l.*

Puniendum) Quia velut prædo alienis bonis incumbit, & ita non modo vt suspectus remouendus, sed & puniendus *l.* 1. §. *vlt. & l.* 3. §. 15. *ff. h. t.*

Remit-

:ut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelæ acquisiuerit, vel redeerit.

De liberto fraudulenter administrante.

11. Libertus quoque, si fraudulenter tu·lam filiorum, vel nepotum patroni, gesſſe probetur, ad præfectum vrbi remittiır puniendus.

Si suspectus satis offerat.

12. Nouissime autem sciendum est, eos, ui fraudulenter tutelam administrant, tiamsi satis offerant, remouendos esse a ıtela: quia satisdatio tutoris propotum maleuolum non mutat, sed .iutius grassandi in re familiari facultatem

Remittitur) Et pœna corporali afficitur *d. l. 3.* .15. *h. t. & l. 17. de Offic. praef. vrb.*

Data pecunia) Nam & eo ipso suspectus est, uod operam suam obtruserit alteri *l. 25. ff. de pro- ır.* dum enim pretium offert, non pupilli commoum, sed proprium lucrum intendit.

Ad §. 11. *Remittitur puniendus*) Et eo magis, uo arctius pupillo libertus obligatur, propter daım libertatem *tot. tit. ff. de Obsequ. Patron. & 'arent.*

Ad §. 12. *Satis offerant*) Quia magis expedit ıupillo rem saluam habere, quam tabulas cautioıis *l. 5. & 6. ff. h. t.* add. *l. fin. C. in quib. caus. in ntegr. rest. necess. non est.*

Diutius grassandi) Non obstat, quod fraude ap- ›: rente remoueri possit; Hæc enim sæpe tegitur :allide, ne iudici vel cognatis innotescat.

Mo-

tatem præstat. Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit. Enimvero tutor vel curator, quamuis pauper sit; fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus.

IN-

Moribus) Hinc nascitur præsumptio ex vita antea male vel bene acta L. 5. §. *a barbaris ff. de Re milit.*

Quasi suspectus) paupertas enim neminem facit suspectum, sed mores *l.* 5. *C. h. t. l.* 21. *ff. de tut.& Cur. dat.* etiamsi ante tutelam pauper & postea locuples reperiatur *l.* 10. *C. arbitr. tutel.* vide tamen Brunn. *in Exerc. h. l.* Sed si quid metuatur, adiungi potest curator *l.* 6. *C. h. t.* aut honeste dimittendus, non remouendus.

LIBER

NSTITVTIONVM IVRIS DIVI IVSTINIANI

LIBER II.

TITVLVS I.

D. I. 8. XLI. I.

E RERVM DIVISIONE ET ACQVIRENDO IPSARVM DOMINIO.

Prima rerum diuiſio.

SVperiore libro de Iure perſonarum expoſuimus, modo videamus de rebus: quæ vel *in noſtro patrimonio*, vel

---

LIBER II.

TITVLVS I.

Ad Rubr. *Rerum*) Res ad iurisprudentiam per-ent, non qua tales, ſed quatenus acquirendæ, ſeruandæ & transferendæ *l. fin. ff. de* LL.

Acquirendo ipſarum dominio) Hanc partem ɔricæ ab omnibus manuſcriptis abeſſe, teſtantur ıntius & Pacius; nec Theophilus illam habet. rum id ſine dubio incuria deſcribentium fa-ım eſt. Cum & nigrum de acquirendo domi-ɔ agat §. 11. *ſeqq. h. t.* Hinc Pacium refutat chou. *in Comment. ad h. l.*

Ad pr. *Rebus*) Res dicitur omne illud quod ho-num vſibus inſeruit. Ergo & iura res ſunt *l. 23. de V. S. l. 5. ff. eod.*

Patrimonii) h. e. in bonis alicuius priuato-n. Siue: quædam ſunt in commercio, quædam extra

vel *extra patrimonium* nostrum habentur. Quædam enim naturali iure (1) *communia* sunt omnium, quædam (2) *publica*, quædam (3) *vniuersitatis*, quædam (4) nullius, pleraque (5) singulorum: quæ ex variis caussis cuique acquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.

De rebus communibus.

1. Et quidem naturali iure communia sunt omnium hæc: aër, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris. Nemo igitur

---

extra commercium. Aliter Caius *in l.* 1. *pr. ff. h. t.* Quod omnes res vel *diuini iuris* sint, vt sacræ, religiosæ, & quodammodo sanctæ; vel *humani*, vt publicæ & priuatæ.

Quædam enim) Non est species prioris diuisionis, vt nonnulli putant, sed eius explicatio; quod ex voce *enim* patet.

Ad §. 1. *Communia*) Commune hic dicitur, quod ad omnium vsum a natura proditum, nullius dominio continetur c. 14. *ff. de A. R. D.*

Aqua profluens) Quæ in flumine publico in perpetuo cursu est. Sc. est communis quoad potandum, lauandum &c. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. l.*

Mare) Sc. vniuersum, nam pro parte est, & potest esse, in dominio, vt contra Grotium *tr. de Mari libero* probauit Seldenus *Tr. de Mari clauso.* Cuius sententiæ adstipulatur *l.* 10. *ff. de R. V.* L. 14. *ff. de Iniur.* L. 3. §. 1. *ff. Ne quid in loc. publ.* Dominii maris effectus sunt, detractio veli, captura halecum Vid. Conring. *de Dominio Maris.*

Per hoc.) h. e. per consequentiam; cum maris vsus

tur ad littus maris accedere prohibetur: in tamen a villis & monumentis & ædiiis abstineat: quia non sunt iuris gentium, ut est mare.

De fluminibus & portubus.

2. Flumina autem omnia & portus, pu-ca sunt. Ideoque ius piscandi omnibus mmune est in portu fluminibusque.

Definitio littoris.

3. Est autem littus maris, quatenus hy-rnus fluctus maximus excurrit.

De casu & proprietate riparum.

4. Riparum quoque vsus publicus est iure gen-

is nullus fit, non ad littus adpellere liceat.

Ad §. 2. *Flumina*) Sc. nauigabilia, & illa quæ a reddunt nauigabilia. Nam dantur & flumina uata *l.* 8. *ff. de Aqu. & aqu. pluu.*

Publica sunt) In sensu Reip. democraticæ, vbi id publicum dicitur, quod populi; quia penes pulum est summa potestas. Hæc autem per L. giam in Principem translata §. 6. *Inst. de I. N. & Ciu.* sequitur, quæ olim publica fuerunt, ea statu Monarchico Principis esse. Casp. Ziegl. *de* *. Maiest. l.* 1. *c.* 7. §. 15. & sic etiam flumina, ic pertinet *Ius* Geranii, Ius *Stapulæ*, Ius *Grutiæ*, Ius exstruendi *Molendinum.*

Omnibus) In Rep. *democratica*, non *Monarca*, vt modo dictum. Vbi ius piscandi is ha-t, cui id Princeps concessit.

Ad §. 3. *Excurrit*) Siue qua maxime fluctus æstuat L. 112. *ff. de V. S.*

Ad

gentium, ſicut ipſius fluminis. Itaque naves ad eas adpellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt, ſicut per ipſum flumen nauigare. Sed proprietas earum illorum eſt, quorum prædiis hærent: qua de cauſa arbores quoque in iisdem natæ eorundem ſunt.

De vſu & proprietate littorum.

5. Littorum quoque vſus publicus eſt, & iuris gentium, ſicut & ipſius maris. Et ob id cuilibet liberum eſt, caſam ibi ponere, in quam ſe recipiat, ſicut retia ſiccare, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum poteſt intelligi nullius eſſe, ſed eiusdem iuris eſſe, cuius & mare, & quæ ſubiacet mari, terra vel arena.

De rebus vniuerſitatis

6. Vniuerſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ

Ad §. 4. *Sicut*) Ergo ſi flumen eſt priuatum, ripa quoque talis eſt. Hodie flumen eius Principis dicitur, qui vtriusque ripæ dominus eſt.

Quorum prædiis) Adhuc hodie, quia ripæ olim non *populi*, ſed priuatorum fuerunt.

Ad §. 5. *Caſam*) Non ædificium, inhabitandi cauſa.

Ad §. 6. *Vniuerſitatis*) Omne collegium dicitur vniuerſitas; quam tres perſonæ conſtituunt. *l.* 85. *ff. de V. S.* vnus autem conſeruat L. 7. §. *fin. ff. quod cuiusque Vniuerſ. nom.*

Non ſingulorum) Sc. quoad *proprietatem*, bene tamen quoad *vſum*.

Ad

æ in ciuitatibus ſunt, theatra, ſtadia, & his ...ilia, & ſi qua alia ſunt communia ciuium.

De rebus nullius.

7. Nullius autem ſunt res ſacræ, & reli... ...ſæ, & ſanctæ. Quod enim diuini iuris , id nullius in bonis eſt.

De rebus ſacris.

8. Sacræ res ſunt, quæ rite per Ponti... ...es Deo conſecratæ ſunt: veluti ædes ſa... ...e & donaria, quæ rite ad miniſterium ...i dedicata ſunt: quæ etiam per noſtram ...nſtitutionem alienari & obligari prohi... ...imus, excepta cauſa redemptionis captiuorum.

Ad §. 7. *Nullius*) Actu ſc. & potentia. Nam ...t etiam res nullius *actu* tantum, de quibus in ...2. *h. t.*

Nullius in bonis) Niſi acceſſerit ſecularisſatio, ...m ſalus publica quandoque vrget, *vid. Inſtr.* ...c. *art. 5.*

Ad §. 8. *Conſecratæ*) Apud nos deſtinatio & vſus ...n ſacram faciunt. Dn. Parens *in not. ad.* Brunn. *Eccleſ. l. 2. c. 2. §. 1.* ſc. quoad effectus ciuiles, ...e tamen deſtinatio ipſam naturam priſtinam ...n mutat.

Conſtitutionem) Quæ eſt *in l. 21. C. de S. S. Ec...* ...add. *Nou. 7. & Nou. 120.*

Captiuorum) Ab infidelibus, illorum enim ...mæ vaſis omnibus ſacris ſunt pretioſiores, *d. l.*

Sed ob vrgens æs alienum permiſſa rei ſacræ ...enatio *Nou. 46. & 54. c. 2. Nou. 67. c. 4. & 120.* ... *§. 2. & c. 16.* item ob cauſam alendorum pau... ...um *d. l. 21.* Res vero *Eccleſiaſticæ* etiam extra

vorum. Si quis autem auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. Locus autem, in quo aedes sacrae sunt aedificatae, etiam diruto aedificio, sacer adhuc manet, vt & Papinianus scripsit.

De religiosis.

9. Religiosum locum vnusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. In communem autem locum purum inuito socio inferre non licet. In commune vero sepulchrum etiam

---

illos casus alienari possunt L. *17.* §. *1. C. de S. S. Eccl. Nou. 95. & 67.* Huc pertinet concessio precariae *l. 14.* §. *fin. C. d. t.* Exceptis decimis & titulis *c. 19. X. de decim. & primit.* Conf. Guilielm. Redoanus *Tr. de rebus Eccl. non alienandis.*

Auctoritate sua) Publica ergo auctoritas requiritur. Apud nos Consistorii.

Adhuc manet) Igitur non est in commercio L. *73. pr. ff. de Contr. empt.* qui est locus Papiniani, quo prouocat Imp. Est vero hoc ex gentilismo & papatu.

Ad §. 9. *Sua voluntate*) Hodie publica *C. 4. X. de Relig. & domib.* Add. Carpz. *Iurispr. Consist. l. 2. def. 385.*

Purum) Qui nec sacer, nec sanctus, nec religiosus est *l. 2.* §. *4. ff. de Relig.*

Inuito socio) Nam in re communi melior est ratio prohibentis. L. *28. ff. Comm. diuid.*

Sepulchrum) Hodie *Sepulchra* vel *familiae* sunt Geschlechts-Begräbniß, vel *hereditaria* Erb-Begräbniß.

Etiaminuitis ceteris) Haec est limitatio *d. l. 28.* Scilicet: nisi res ad certum vsum destinata, vt sepulchrum commune.

Non

ı inuitis ceteris licet inferre. Item si
:nus vsusfructus est, proprietarium pla-
, nisi consentiente vsufructuario, locum
igiosum non facere. In alienum locum
nsentiente domino licet inferre. Et li-
: postea ratum non habuerit, quam il-
us est mortuus, tamen locus religiosus

De rebus sanctis.

10. *Sancta* quoque res, veluti muri & por-
: ciuitatis, quodammodo diuini iuris sunt,
. ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem
ıuros sanctos dicimus: quia pœna ca-
:tis constituta est in eos, qui aliquid in
mu-

Non facere) Ne, illum locum vsibus hominum
: commercio eximendo, conditionem Vsufru-
tuarii deteriorem reddat *l.* 13. §. 4. *ff. de Vsufr.*
quemadm. L. 74. *ff. de R. I.*

Non habuerit) Legendum affirmatiue *habuerit*;
ropter L. 6. §. 4. *ff. de Rer. diu.* Quam lectio-
ıem etiam Pandectæ Florentinæ agnoscunt. Quod
i vero hæc negatiua lectio placeat, poterit eius ra-
io hæc esse, quod nemo consilium suum in alterius
niuriam mutare possit L. 75. *ff. de R. I. c.* 21. *de*
R. *I. in* 6. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. l.*

Ad §. 10. *Sancta*) Tales dicuntur, quæ speciali
sanctione a violatione hominum, sub grauiori pœ-
na, munitæ L. 8. §. 1. *l.* 9. §. 3. *ff. h. t.*

Quodammodo) h. e. improprie, quia in vno ter-
tio; quod sc. inalienabiles sint, conueniunt.

Pœna capitis) Ratio huius sanctionis est in *l.*
fin. ff. h. t. quod *hostile & abominandum sit, ciues*
Romanos alia quam per portas egredi via. Hodie
I 2 non

muros deliquerint. Ideo & Legum eas partes, quibus pœnas constituimus aduersus eos, qui contra Leges fecerint, Sanctiones vocamus.

De rebus singulorum.

II. Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. Quarundam enim rerum dominium nanciscimur iure naturali, quod (sicut diximus) appellatur ius gentium: quarundam vero iure ciuili. Commodius est itaque a vetustiore Iure incipere. Palam est autem, vetustius esse Ius naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Ciuilia autem

---

non aliter, quam si hostili animo fiat. Carpzou. *pr. Cr. qu. 40. n. 24.* Nam & *d. l. fin.* ex iure militari orta videtur *L. 3. §. 17. ff. de Re milit.*

Sanctiones) vid. *L. Sanctio 41. ff. de pœn.*

Ad §. II. *Multis modis*) Modi hi sunt vel originarii, vel deriuatiui, Grot. *de I. B. lib. 2. c. 3. §. 1.* illi sunt, vbi res, quæ huc vsque nullius, alicuius propria fit: Hi, vbi dominium iam acquisitum, ab vno homine in alium transit. Hodie autem in hoc titulo occurrunt III. Occupatio, accessio, & traditio.

Dominium) Hoc definitur, quod sit *ius, quo res cuiusque propria est.* Ab effectu autem describitur, *ius de re perfecte disponendi.* (si illam possideat *L. 21. C. mand.*) *eamque vindicandi* (si ab alio detineatur *L. 23. ff. de R. V.*) *nisi pacto vel lege prohibeatur pr. I. quib. al. lic.*

Ius gentium.) sc. primæuum, vt nonnulli volunt. Ad

:m Iura esse cœperunt, cum & ciuitates
ɔndi, & magistratus creari, & Leges
:ribi cœperunt.

De occupatione ferarum.

12. Feræ igitur bestiæ, & volucres & ıisces, & omnia animalia, quæ mari, cœo & terra nascuntur, simul atque ab aliıuo capta fuerint, iure gentium statim ilius esse incipiunt. *Quod enim ante nul'ius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Nec interest, feras bestias & volucres, vtrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, potest a domino, si is præuiderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis, eousque tuum esse intel-

Ad §. 12. *Iure gentium*) sc. in statu populari, nam in statu Monarchico hoc ius soli Principi competit, in quem illud a populo translatum. Hinc priuatus hodie vel concessionem docere debet, vel immemorialem præscriptionem.

Nullius est) Ita tamen, vt proprietatis capax sit; Reliquæ enim non cedunt occupanti *vid. sup.* §. 7.

An in alieno) Nam nullius adhuc est bestia, etiamsi in alieno sit, hinc nihilominus capienti cedit *L. 15. & 16. ff. de act. Emt.* vid. Ahasu. Fritsch *in Corp. Iur. Venat. Forestali c. 6. n. 1. seqq.*

Prohiberi) Et si nihilominus ingrediatur, potest actione iniuriarum conueniri *L. 13. §. fin. ff. de iniur.*

Custodia) Alias dominium semel quæsitum non amittitur re nostræ custodiæ exempta. Sed alia

telligitur, donec tua custodia coercetur. Cum vero tuam euaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis sit eius persecutio.

De vulneratione.

13. Illud quaesitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, statim tua esse intelligatur? Et quibusdam placuit, statim esse tuam, & eousque tuam videri, donec eam persequaris: Quodsi desieris persequi, desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. Alii vero putauerunt, non aliter tuam esse, quam si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quod multa accidere soleant, vt eam non capias.

De apibus.

14. Apium quoque fera natura est. Itaque

ratio est in feris libertati restitutis, quae quodam quasi postliminio gaudent.

Ad §. 13 *Quibusdam placuit*) Vid. L. 5. §. 1. *ff. h. t.*

Persequaris) Huc hodie pertinet ius feram vulneratam persequendi in alterius syluam, die Jagdfolge, quod tamen in Saxonia sine strepitu fieri debet.

Ceperis) Quia dominium non spe, sed occupatione acquiritur. *arg.* L. 55. *ff. h. t.*

Ad

que apes, quæ in arbore tua consederint, antequam a te alueo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Fauos quoque, si quos effecerint, eximere quilibet potest. Plane integra re, si præuideris ingredientem fundum tuum, poteris eum iure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alueo tuo euolauerit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio eius est; alioquin occupantis fit.

De pauonibus & columbis.

15. Pauonum quoque & columbarum fera natura est: nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine euolare & reuolare solent. Nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Ceruos quoque quidam ita mansuetos habent, vt in sylvam ire & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo

Ad §. 14. *Alueo includantur.*) Nam eo ipso apprehenduntur & possidentur L. 3. §. 14. *ff. h. t.*

Ne ingrediatur.) Nisi docere possit, examen ex suo alueo euolasse & in alterius fundum se contulisse, per verba subsequentia huius §.

Ad §. 15. *Pauonum*) In L. 37. *ff. de Furt.* tamen pauonis mansueti mentio fit; sed forte mansuefactus intelligitur.

mo negat. In iis autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est, vt eousque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant. Nam si reuertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cum reuertendi consuetudinem deseruerint.

De gallinis & anseribus.

16. Gallinarum autem & anserum non est fera natura: idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ, quas feras vocamus: item alii sunt anseres, quos feros appellamus. Ideoque si anseres tui, aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati turbatæue euolauerint, licet conspectum tuum effugerint, quocunque tamen loco sint, tui tuæue esse intelliguntur: & qui lu-

---

Consuetudinem) Nam tum in naturalem libertatem se recepisse videntur. & ita fiunt denuo res nullius L. *44.* & *55. ff. h. t.* nisi ab alio malitiose detenta L. *8.* §. *1. fam. here.*

Deseruerint) Sc. sua sponte: Nam si ex alterius insidiis id factum, nostra manent, & scienter occupans furtum committit, L. *37. ff. de furt.* vid. §. seq.

Ad §. 16. *Loco*) Vnde si Titius porcum Meuii faucibus lupi eripuerit, hic reddendus est Meuio L. *44. ff. h. t.*

Tui tuæue) Idem in aliis bestiis mansuetis obtinet. L. *44. ff. b. t.*

Fur-

lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur.

De occupatione in bello.

17. Item ea, quæ ex hoſtibus capimus, iure gentium ſtatim noſtra fiunt: adeo quidem, vt & liberi homines in ſeruitutem,

---

Furtum) Non obſtat, quod actio furti ſit famoſa, & hinc ob rem minimam non inſtituenda, vtpote quam Prætor non curat, L. *4. ff. de in int. reſt.* Reſp. non quantitas, ſed qualitas inſpicitur. Et actio hæc ordinaria eſt, *d. l. 4.* loquitur de remedio extraordinario reſtitutionis.

Ad §. 17. *Iure Gentium*) Quia eo iure bella ipſa introducta & ſic captiuitates etiam, & prædæ originem inde trahunt. Sequitur ergo, illa, quæ capta ſunt in bello iniuſto, noſtra non fieri, quia hoc bellum Iuri gentium refragatur vid. L. *12. ff. de Captiu.*

Statim) Poſtquam *res mobiles* intra præſidia & in ſecuritatem deductæ L. *5. §. 1. & l. 19. §. 5. ff. eod.* & res *immobiles* ita poſſidentur, vt a violentia hoſtium defendi poſſint. Grot. *de I. B. & P. l. 3. c. 6. §. 3.*

Noſtra fiunt) Hac Imp. loquitur, cuius eſt prædam diſtribuere. Stricto iure omnia in bello capta tam mobilia, quam immobilia, illius ſunt, qui ius belli habet, non ſingulorum. Inde qui rem ab hoſtibus captam ſubripuit, Lege peculatus tenetur L. *pen. ff. ad* L. *Iul. pecul.* de rebus immobilibus minus dubii habet; ob L. *20. §. 1. de captiu.* Solent tamen res mobiles ſæpe militibus priuatis conced vid. L. *pen. §. 1. C. de donat.* vnde explicanda L. *51 ff. h. t.*

tem nostram deducantur. Qui tamen si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.

De inuentis in littore maris.

18. Item lapilli, & gemmæ, & cetera, quæ in littore maris inueniuntur, iure naturali statim inuentoris fiunt.

De fœtu animalium.

19. Item ea, quæ ex animalibus dominio tuo subiectis nata sunt, eodem Iure tibi acquiruntur.

De

Pristinum statum) Iure postliminii, de quo supra *tit. quib. mod. ius patr. pot. solu. §. 5.*

Ad §. 18. *Inueniuntur*) Et alterius non sunt L. 43. §. 4. & 11. *ff. de furt.*

Statim) Sc. postquam apprehensa L. 1. §. 1. *ff. de Acqu. poss.* quod manu, non oculis fieri debet. *L. 3. §. 3. ff. eod.* Hodie, vbi res pretiosæ eiiciuntur, quale exemplum in succino, princeps has sibi vindicat.

Ad §. 19. *Item ea*) Est hic alter modus acquirendi *per accessionem*, & quidem naturalem.

Nata sunt) Nec interest, an animal nostrum pariens, ex nostro vel alieno imprægnatum, fœtus enim ventrem sequitur L. 7. C. & L. 5. §. 2. *ff. de R. V.* Sed quid si alterius domini fuerit gallus, alterius gallina, quæ ouum edidit, alterius gallina quæ fouit ouum? Pro gallina fouente decidendum esse, refert Besold. *Thesaur. practic. voce* Hennen.

Ad

De alluuione.

20. Praeterea quod per alluuionem agro uo flumen adiecit, Iure gentium tibi acquiritur. *Est autem alluuio incrementum atens.* Per alluuionem autem id videtur idiici, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligi non possit, quantum quoquo temporis nomento adiiciatur.

De vi fluminis.

21. Quod si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit, & vicini praelio attulerit, palam est, eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini haeserit, arboresque, quas secum raxit, in eum fundum radices egerint, ex o tempore videntur vicini fundo acquisitae esse.

De

Ad §. 20. *Agro tuo*) Non limitato, s. sacrificio . 16. *ff. h. t.* Quod hodie adhuc obtinet Meu. . 7. *Dec.* 301. Hinc vbi aggeribus inclusum umen, terra, quae aggeri per flumen adiicitur, ublica est.

Flumen) Non stagnus & lacus L. 12. *ff. h. t.*

Latens) H. e. lente progrediens, vt non appa:at, nisi post aliquot dies, vel septimanas. L. 7. . 1. *ff. h. t.* L. 1. *C. de Alluu.*

Ad §. 21. *Acquisitae esse*) Imputet enim sibi al:r, quod non in tempore illam vindicauerit.)ominus tamen illius partis vtilem rei vindicaonem habet, ad aestimationem *L. 5. §. 3. de R. V.* el potest haec Lex explicari de Domino ignoante & non negligente.

Ad

De Insula.

22. Insula, quæ in mari nata est, quod raro accidit, occupantis fit: nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata, quod frequenter accidit, si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab vtraque parte fluminis prope ripam prædia possident: pro modo, scilicet, latitudinis cuiusque fundi, quæ prope ripam sit. Quod si alteri proximior sit parti, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. Quod

Ad §. 22. *Raro accidit*) Ob altitudinem, & perpetuum fluxum & refluxum maris.

Occupantis) Sc. ratione dominii, non iurisdictionis; pro qua parte occupauit & terminis inclusit. Et ex hoc iure Veneti libertatem suam inter alia vindicant.

Prædia possident) Quia præsumitur flumen ex ripis vicinorum aliquid terræ detraxisse, & inde insulam formasse. Ripa tamen illius insulæ publica est L. *pen.* §. *fin. h. t.* item insulæ natantes *d. l. pen.* §. *1.* quæ eiusdem naturæ cum flumine.

Eorum est tantum) Et permanet etiam, licet postea alterius ripæ incipiat esse vicinior L. *56.* §. *1. ff. h. t.* L. *30.* §. *2. ff. eod.* Iurisdictio autem pertinet ad Principem, cuius flumen est. Hodie ipsæ etiam insulæ iure accessorii eius fiunt. Sixt. *de Regal. lib. 2. c. 3. n. 29.* Quod intelligo, si flumen aliquem aluei locum siccum reliquerit. Gryphiander *de Insulis c. 12. n. 18.* Alias standum iuri communi Meu. *P. 7. Dec. 301.* LandR. *l. 2. art. 56.* licet praxis variet.

Ad

Quod si aliqua parte diuisum sit flumen, deinde infra vnitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat.

De alueo.

23. Quod si naturali alueo in vniuersum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit; prior quidem alueus eorum est, qui prope ripam eius prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, qui prope ripam sit. Nouus autem alueus eius iuris esse incipit, cuius & ipsum flumen est, id est, publicus. Quod si post aliquod tempus ad priorem alueum reuersum fuerit flumen; rursus nouus alueus eorum esse incipit, qui prope ripam eius prædia possident.

De inundatione.

24. Alia sane causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit. Neque enim inundatio fundi speciem commutat. Et ob id, si reces-

---

Ad §. 23. *Qui prope ripam*) Hoc hodie in quibusdam locis adhuc obtinet, Carpz. *P. 3. C. 31. D. 14. & seqq.* in quibusdam non, Gryphiander *d. tr. c. 11. n. 45.*

Rursus nouus alueus) Hoc ita iure stricto, *L. 38. ff. h. t.* aliud si ex æquitate res decidenda *L. 7. §. 5. in fin. ff. eod.* præsertim si mutatio aluei non fuerit diuturna.

Ad §. 24. *Fundi speciem*) Et ita nec dominium interuertit *L. 5. §. 6. ff. h. t.* nisi quoad effectus; vel ita diu substiterit, vt inde alueum effecerit, vti explicanda *L. 23. ff. quemadm. vsusfr. amitt.* possessio

cesserit aqua, palam est, eum fundum eius manere, cuius & fuit.

De specificatione.

25. Cum ex aliena materia species aliqua sit facta ab aliquo, quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus sit: vtrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit? Vt ecce, si quis ex alienis vuis, aut oliuis, aut spicis, vinum aut oleum, aut frumentum fecerit: aut ex alieno auro, vel argento, vel ære, vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit: vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut collyrium composuerit: vel ex aliena lana vestimentum fecerit: vel ex alienis tabulis nauem, vel armarium, vel subsellia fabricauerit. Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambiguitatem, placuit media sententia, existimantium, si ea species ad priorem & rudem materiam reduci possit,

---

sessio tamen aufertur L. 3. §. 11. *ff. de acqu. vel amit. poss.* Et sic etiam commoda possessionis, s. perceptio fructum; Hinc dominus ius piscandi in eo loco prætendere nequit, durante inundatione.

Ad §. 25. *Species*) Sequitur accessio industrialis, *specificatio*, vbi requiritur, vt species sit, neque noua tantum figura, aut nouus color speciei accedat, etiamsi color purpureus L. 16. §. 3. *ff. h. t.*

Tabulis) Adhuc rudibus, aliud in illis, quæ iam præparatæ L. 61. *ff. de R. V.* vid. Brunn. *in Exercit. hic.*

Ma-

sit, eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit: si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit. Vt ecce, vas conflatum potest ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci: vinum autem, vel oleum, aut frumentum, ad vuas, vel oliuas, vel spicas reuerti non potest. Ac ne mulsum quidem ad vinum & mel resolui potest. Quod si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit quis; veluti ex suo vino & alieno melle mulsum miscuerit, aut ex suis & alienis medicamentis emplastrum, aut collyrium, aut ex sua lana & aliena vestimentum fecerit: dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum, qui fecerit: cum non solum operam suam dederit, sed & partem eiusdem materiæ præstiterit.

De

Materiæ dominus) Quia ita res eadem adhuc est, & sic vindicari potest vid. *L. 78. §. 4. ff. de Leg. 3.*

Eum potius) Si in bona fide fuerit *L. 12. §. 3. ff. ad Exhib.* aliud si in mala fide *L. 52. ff. de R. I.*

Vel spicas) Hoc ex *L. 7. §. 7. ff. h. t.* supplendum, quod is, qui spicas excutit, non nouam speciem faciat, sed tantum eam, quæ adest, detegat, & sic frumentum ad dominum spicarum pertineat. Aut hic textus explicandus de casu, vbi non proprio nomine spicas excussit.

Non solum operam) Adest ergo hic duplex vinculum acquirendi dominium; non tamen & hic excludenda est bona fides, nec Domino materiæ deneganda actio in factum ad repetendam æstimationem.

Ad

De accessione.

26. Si tamen alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice cedit vestimento: & qui dominus fuit purpuræ, aduersus eum, qui subripuit, habet furti actionem & condictionem, siue ipse sit, qui vestimentum fecit, siue alius: nam extinctæ res, licet vindicari non possint, condici tamen a furibus & quibusque aliis possessoribus possunt.

De

Ad §. 26. *Licet pretiosior*) Manet enim accessorium, vtpote cum ornandæ rei caussa accedat, *L. 19. §. 13. ff. de Aur. & Arg. leg. L. 34. pr. ff. de contr. empt.*

Qui subripuit) Itaque hac ratione malæ fidei possessor fit dominus rei furtiuæ. Scilicet, quia res periisse censetur. *L. 23. §. 5. ff. de V. S.* Vtilis tamen rei vindicatio, ob hoc, quod res dolo amissa vel consumpta, institui potest, *L. 27. §. 3. ff. de R. V.* Si enim separari posset, actio ad exhibendum competeret. Brunn. *in Exercit. hic.*

Extinctæ) Quæ sc. per accessionem ad rem alienam nostræ esse desierunt; vel in eo iam statu sunt, vt integræ repeti nequeant.

A furibus) Sc. condictione furtiua.

Quibusque aliis) Condictione sine causa; non condictione furtiua, quæ tantum contra furem & eius heredes datur *L. 5. ff. de Cond. furt. L. 13. §. 2. ff. de Iurei.* Hinc errat Theophilus *hoc loco* condictionem furtiuam contra quoscunque extendens.

Possessoribus) Qui furi similes, seu m. f. rem consumserunt. Alia ratio est b. f. possessoris.

Ad

De confusione.

27. Si duorum materiæ voluntate dominorum confusæ sint; totum id corpus, quod ex confusione fit, vtriusque commune est. Veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti vel auri conflauerint. Sed & si diuersæ materiæ sint, & ob id propria species facta sit, forte ex vino & melle mulsum, aut ex auro & argento electrum: idem iuris est. Nam & hoc casu communem esse speciem non dubitatur. Quod si fortuito, & non voluntate dominorum confusæ fuerint vel eiusdem generis materiæ, vel diuersæ: idem iuris esse placuit.

Ad §. 27. *Confusione*) Alia est confusio actionum, quando creditor debitori succedit: Alia confusio seruitutum, quando quis vtriusque prædii dominus fit. Alia confusio rerum liquidarum, quæ huc pertinet.

Electrum) Quod separari non posse, statuitur *in L.* 5. §. 1. *ff. de R. V.* Aliud hodie, vbi omnino hæc inuicem separari queunt, quod olim erat incognitum.

Communem esse) Pro ratione cuiusque materiæ *L.* 3. §. 2. *ff. de R. V.* non ergo æqualiter ratione mensuræ, sed bonitatis.

Idem iuris) Nisi res separari possint, vt si argentum cum plumbo confusum, sic enim quilibet suam materiam repetit *d. L.* 5. §. 1. & *L.* 12. §. 1. *ff. h. t.*

De commixtione.

28. Quod ſi frumentum Titii frumento tuo miſtum fuerit, ſi quidem voluntate veſtra, commune eſt: quia ſingula corpora, id eſt, ſingula grana, quæ cuiusque propria fuerunt, conſenſu veſtro communicata ſunt. Quod ſi caſu id miſtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe: quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant. Sed nec magis iſtis caſibus commune fit frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint. Sed ſi ab alterutro veſtrum totum id frumentum retineatur; in rem quidem actio, pro modo frumenti cuiusque competit: arbitrio au-

Ad §. 28. *Miſtum fuerit*) Commixtio rerum aridarum eſt, vbi alterum ab alterius ſubſtantia nihil participat.

Non videtur commune) Exceptio in nummis L. 78. *ff. de Solut.* Qui in his eadem ſemper æſtimatio L. 1. *pr. ff. de Contr. emt.* Quod ſecus in frumento. Imo & idem forte in nummis diſparis bonitatis.

Quam grex) Conueniunt in eo, quod vtroque caſu res permixtæ priorem ſubſtantiam retineant. Sed in eo diſconueniunt, quod in grege ſingula corpora vindicari poſſint, L. 23. §. *ff. de R. V.* non in frumento.

Pro modo frumenti) Eſt hæc vindicatio *generalis*, ad reſtituendum tantum, quantum apparet in illo aceruo cuiusque eſſe L. 5. *pr. ff. d. t.*

Quale

autem iudicis continetur, vt ipse æstimet, quale cuiusque frumentum fuerit.

De ædificatione in suo solo.

29. Cum in suo solo aliquis ex aliena materia ædificauerit, ipse intelligitur dominus ædificii: *quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit.* Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus eius esse: sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter Legem XII. Tabularum, qua cauetur, ne quis tignum alienum, ædibus suis iunctum, eximere cogatur: sed duplum pro

---

Quale) Respectu habito ad quantitatem & qualitatem rei commixtæ. Vt illi plus assignetur, cuius frumentum melius alterius frumento deteriori iunctum & ita pariter vilius redditum.

Ad §. 29. *Solo cedit*) Nisi inædificatum in alium locum transferri possit, L. 60. *ff. h. t.* qualia sunt molendina pneumatica secundum mores nonnullorum locorum.

Desinit dominus) Sed retinet dominium *naturale* seu quiescens, nam dominium *ciuile* est penes dominum soli.

Eximere cogatur) Imo nec volens potest id eximere L. 6. *ff. ad exhib.* L. 98. §. *vlt. ff. de Solut.* ne vrbs ruinis deformetur L. 2. *ff. de tigno iunct.* Idem in vinea, ne eius cultura prohibeatur. L. 1. *ff. h. t.*

Duplum pro eo) Si sc. tignum sit furtiuum *l.* 63. *ff. de Donat. inter vir. & vxor. l.* 98. §. *fin. de Solut.* l. 1. *ff. de tign. iunct.* Quod hic singulare, cum alias b. f. possessor simplicem æstimationem tantum

pro eo præſtet, per actionem, quæ vocatur de tigno iuncto. Appellatione autem tigni omnis materia ſignificatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideo prouiſum eſt, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit. Quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, poterit materiæ dominus, ſi non fuerit duplum iam conſecutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea agere.

De ædificatione in ſolo alieno.

30. Ex diuerſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificauerit, illius fit domus, cuius & ſolum eſt. Sed hoc caſu materiæ dominus proprietatem eius amittit, quia voluntate eius intelligitur eſſe alienata, vtique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare; & ideo licet diruta

---

præſtare teneatur. Interim Domino hic ſuccurrendum, qui re ſua carere compellitur, poſſeſſor vero regreſſum inſtituat contra venditorem tigni, Brunnem. *in Exercit. h.*

Si non fuerit duplum) Hoc ipſo differt b. f. poſſeſſor a m. f. poſſeſſore, quod etiamſi hic duplum iam præſtitiſſet, tamen rei vindicatione adhuc conveniri poſſet.

Vindicare) Etiam poſt tempora vſucapionis *L.* 23. §. *vlt. ff. de R. V. L.* 23. *ff. de Vſur.* nam ante non valuit agere, vid. *L.* 1. *C. de ann. except.*

Ad §. 30. *Alienata*) Nam ſciens in alieno ædificans, donaſſe videtur *L.* 7. §. 12. *ff. h. t. l.* 82. *ff. de R. Iur.*

Vin-

ruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest. Certe illud constat, si in possessione constituto ædificatore, soli dominus petat domum suam esse, nec solvat pretium materiæ & mercedes fabrorum, posse eum per exceptionem doli mali repelli, vtique si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificauit. Nam scienti alienum solum esse, potest obiici culpa,

Vindicare non potest) Ob amissam proprietatem *l.* 7. §. 12. *ff. h. t.* nisi probauerit ædificans, se non donandi animo ædificasse *l.* 2. *C. de R. V.* quod contingere potest, si incertum loci sit dominium *l.* 37. *ff. eod.*

Pretium materiæ) Nam b. f. possessor necessarias & vtiles impensas repetit, voluptuarias vero tollit, quantum saluo ædificio potest *l.* 38. *ff. de R. V.* compensat tamen impensas cum fructibus *l.* 48. *ff. eod.*

Exceptionem) Nam actio non datur stricto iure, si possessionem amiserit *l.* 33. *ff. de cond. indeb. l.* 48. *ff. de R. V.* Ex æquitate conceditur condictio ex *l.* 32. *ff. de reb. cred.*

Doli mali) Hæc exceptio toties datur, quoties contra æquitatem quid petitur, *l.* 1. §. 1. *ff. de dol. except.* siue vbi dolus non est in ipso negotio, sed in sola petitione.

Nam scienti) Hoc de impensis vtilibus accipiendum; vel dicendum, aliud obtinere, si impensæ factæ in ædificium iam exstructum. Nam alias potest m. f. possessor repetere necessarias impensas, & vtiles tollere *l.* 5. *C. de R. V.* Nisi fur sit, vel rem ... possideat *l.* 1. *C. de infant expos.*

pa, quod ædificauerit temere in eo solo, quod intelligebat alienum esse.

De plantatione.

31. Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diuerso, si Titius suam plantam in Meuii solo posuerit, Meuii planta erit: si modo vtroque casu radices egerit: ante enim quam radices egerit, eius permanet, cuius fuerat. Adeo autem ex eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur, vt, si vicini arbor ita terram Titii presserit, vt in eius fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus: Ratio enim non permittit, vt alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.

De

Ad §. 31. *Radices egerit*) Nam in radicibus consistit vita arboris, per illas enim ex terra alimentum trahit L. 7. *ff. de arb. furt. cæs.*

Titii effici) Et qvamvis fructus in alienum deciderint, tamen Titio competit facultas fructus repetendi intra triduum *tit. ff. de glande leg.* Iure Saxonico maior ramorum, quam radicum ratio habetur, vt alter eatenus fructuum dominus sit, quatenus se rami in eius aream extendunt.

Arborem) Non obstat *l. 6. §. vlt. ff. de arb. furt. cæs.* aliud enim radices agere in alieno fundo, aliud radices in eum porrigere.

Communis fit) Proportionabiliter, prout in eius-

De' satione.

32. Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt; eadem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Ceterum sicut is, qui in alieno solo ædificauit, si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundum ea quæ diximus; ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa, bona fide conseuit.

De scriptura.

33. Litteræ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis, membranisue cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur. Ideoque si in chartis, membranisue tuis carmen, vel historiam, vel

---

iusque fundo radices egit *l.* 8. *ff. h. t.* postquam tamen eruta, pro indiuiso communis est *l.* 19. *pr. ff. comm. diu. l. pen. ff. pro socio.* Vnde in *d. l.* 8. pro *indiuiso* legendum *diuiso.*

Ad §. 32. *Eadem ratione*) In hoc tantum aliud est in frumento, quod semen statim post intectionem acquiratur domino soli *l.* 14. *ff. de Donat.* Non enim æque separari potest a terra, quam plantæ.

Bona fide) Aliud si *mala fide.* Hic tamen per implorationem officii iudicis vtiles impensas repetit, arg. *l.* 37. *ff.* & *l.* 5. *C. de R. V.*

Ad §. 33. *Perinde*) Hoc est iure accessionis; nam charta quasi campus, stylus quasi vomis est, scriptura instar sementis, vt eleganter Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. l.*

vel orationem, Titius ſcripſerit, huius corporis non Titius, ſed tu dominus eſſe videris. Sed ſi a Titio petas tuos libros, tuasue membranas, nec impenſas ſcripturæ ſoluere paratus ſis; poterit ſe Titius defendere per exceptionem doli mali: vtique ſi earum chartarum, membranarumue poſſeſſionem bona fide nactus eſt.

De pictura.

34. Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturæ cedere, aliis videtur, picturam, qualiscunque ſit, tabulæ cedere: ſed nobis videtur melius eſſe, tabulam picturæ cedere. Ridiculum eſt enim, picturam Apellis, vel Parrhaſii, in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere. Vnde ſi a domino tabulæ imaginem poſſidente, is qui pinxit, eam petat, nec ſol-

vat

Scripſerit) Idem eſſe puto in typographo alienam chartam adhibente, cum modus non variet rem.

Ad §. 34. *Quidam putant*) Vt Caius *in l.* 9. §. 2. *ff. h. t.*

Aliis videtur) Vt Paulo *in l.* 23. §. 3. *ff. de R.V.*

Tabulam picturæ) Etiam ignobiliori, ob excellentiam artis *L.* 9. §. 1. *ff. h. t.*

Apellis & Parrhaſii) Hi celeberrimi ex pictoribus fuerunt. Plinius *lib.* 35. *c.* 9. Sed leuioris notæ pictoribus, ob generalitatem h. paragr. idem ius competit.

Is qui pinxit) Sed quid in picturis mediante cupro chartæ impreſſis in den Kupfferſtichen? R.

Scul-

vat pretium tabulæ; poterit per exceptionem doli mali submoueri. At si is, qui pinxit, eam possideat; consequens est, vt vtilis actio domino tabulæ aduersus eum detur: quo casu si non soluat impensam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli: vtique si bonæ fidei possessor fuerit ille, qui picturam imposuit. Illud enim palam est, quod siue is, qui pinxit, subripuit tabulas, siue alius, competit domino tabularum furti actio.

De fructibus bona fide perceptis.

35. Si quis a non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaue qualibet iusta causa, æque bona fide acceperit: naturali

---

Sculptura ad se trahit cuprum, per h. paragr. sed charta ad se trahit picturam impressam per §. *praced.*

Vtilis actio) Hæc videntur antea dictis contrariari. Nam si tabula picturæ cedit, certe tabulæ dominus non habebit ius offerendi pretium picturæ & repetendi tabulam. Itaque supponendus casus, si pictor non habeat intentionem sibi seruandi picturam, sed illam vendendi; vbi ipsi perinde est, a quo pretium accipiat.

Ad §. 35. *Dominum esse crediderit*) Est hæc descriptio *bonæ fidei*, qua quis credit rem esse suam, & fuisse autoris sui.

Iusta causa) Seu titulo ad transferendum dominium habili.

rali ratione placuit, fructus, quos percepit, eius esse, pro cultura & cura. Et ideo si postea dominus superuenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei vero, qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere.

A fru-

Percipit) Nam percipiendo, fructus suos facit b. f. professor *L.* 48. *pr. ff. h. t.* aliud in pendentibus, cum pars fundi sint *L.* 44. *ff. de R. V.* Dicuntur autem fructus percepti, qui a fundo separati *L.* 78. *ff. d. t.* licet nondum in horrea delati *L.* 13. *in fin. ff. quib. mod. vsusfr. amit.*

Cultura & cura) Vox cultura ad *industriales*, cura ad *naturales* refertur; vtrosque enim suos facit *L.* 40. *in fin. ff. b. t. l.* 4. §. 2. *ff. fin. reg.* vid. Brun. *in Exercit. h.*

Consumptis) Extantes ergo restituit *L.* 22. *C. de R. V. d. l.* 4. §. 2. Non obstat, quod & perceptos suos fecisse dicatur irreuocabiliter *d. l.* 48. *pr.* Nam hoc intelligendum respectu tertii, non respectu domini.

Non potest) Etiamsi b. f. possessor exinde locupletior factus *d. l.* 4. §. 2. *ff. fin. reg. l.* 4. §. 19. *ff. de Vsucap.* Aliud in iudiciis vniuersalibus s. hereditatis petitione *L.* 25. §. 11. *ff. de hered. pet. l.* 1. *C. eod.* nam hereditas augmenta & decrementa recipit *L.* 10. §. *fin. ff. de Leg.* 2. Res vero singularis per fructus non augetur.

Licet consumpti) Imo etiam percipiendos, quos sc. dominus percipere potuisset L. 5. *C. de R. V. l.* 22. *C. eod.* Quo ipso differt m. f. possessor a credito-

re

A fructuario vel colono perceptis.

36. Is vero, ad quem vsusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad heredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur. Eadem fere & de colono dicuntur. Qua-

re, dum hic quidem etiam ad fructus percipiendos tenetur, sed illos, quos ipse *creditor*, pro sua conditione percipere potuisset L. 3. *C. de pignor. act.* Imo & ipse b. f. possessor a domino conuentus, post litis contestationem ad fructus percipiendos tenetur *d. l.* 22.

Ad §. 36. *Ipse*) Vel alius eius nomine *l.* 13. *ff. quib. mod. vsusfr. amitt.* qui sponte deciderunt, vel quos alius proprio nomine separauit, illos non prius acquirit, quam adepta possessione *l.* 12. *§. fin. ff. de vsufr. & l.* 13. *ff. quemadm. vsusfr. amitt.* Aliud in b. f. possessore, vbi nil interest, quomodo & per quemcunque fructus fuerint separati, quia iure soli percipit *l.* 25. §. 1. *ff. de Vsur.*

Non pertinent) Quia vsusfructus vt ius personale, cum persona exspirat L. 196. *ff. de R. I.* Nec fructus *ciuiles*, seu pensiones aliter percipit heres, quam si conductor fructus, propter quos pensionem soluit, iam perceperit L. 58. *ff. de vsufr.* Nisi pensio soluatur pro re, quæ singulis diebus fructus præstat, v. g. si ædes locatæ, tum enim pro rata temporis pensio inter vsufructuarii heredes & dominum proprietatis diuidenda. L. 26. *ff. eod.* Quid vsu obtineat vid. Dn. Hopp. *in Comment. ad h. l.*

Fere) Quantum ad fructus durante locationis tem-

Quae sunt in fructu.

37. In pecudum fructu etiam foetus est; sicuti laç, pilus & lana. Itaque & agni, hoedi, vituli, & equuli, & suculi statim naturali iure dominii fructuarii sunt. Partus vero ancillae in fructu non est: itaque ad dominum proprietatis pertinet. Absurdum enim videbatur, hominem in fructu esse: cum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparauerit.

De officio fructuarii.

38. Sed si gregis vsumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex foetu fructuarius submittere debet, (vt & Iuliano visum est) & in vinearum demortuarum, vel arborum locum alias debet sub-

tempore non perceptos. In eo tamen ius coloni plenius, quod durante tempore condictionis, ius suum in heredem deuoluat. §. *fin. Inst. de Locat. conduct.*

Ad §. 37. *Pecudum fructu*) Qui hic recensentur fructus, industrialibus adscribuntur; industria enim ad pecorum conseruationem necessaria.

Non est) Nam operae tantum seruorum in fructu sunt *l.* 3. & 4. *ff. de oper. seru.* Nec ancillae pariendi, sed seruiendi causa habebantur *l.* 27. *ff. de hered. petit.*

Ad §. 38. *Ex foetu*) Qui editus est post imminutionem gregis, qui enim pleno grege editus, ex illo foetu nihil submittere tenetur *L.* 70. §. 4. *ff. de Vsufr.* Simile est Ius Socidae das Eiserne Vieh, vid. Tabor. *tr. de Iur. Socidae.*

Ad

ftituere. Recte enim colere & quasi bopaterfamilias vti debet.

De inuentione thesauri.

39. Thesauros, quos quis in loco suo enerit, Diuus Adrianus naturalem uitatem secutus, ei concessit, qui eos enerit. Idemque statuit, si quis in sa- aut religioso loco fortuito casu inierit. At si quis in alieno loco, non a ad hoc opera, sed fortuito inuenerit, di-

---

id §. 39. *Thesauros*) Est hæc *accessio fortuita.* cribitur, quod sit *vetus depositio pecuniæ, cuius extat memoria, vt iam dominum non habeat* 1. §. 1. *ff. h. t.* Si itaque constet, a quo depos, ad heredes eius pertinebit *l. 67. ff. de* r.

n loco suo) Ergo Vsufructuarius thesaurum entum sibi non acquirit, quia nulla ex parte dominus est, nec thesaurus in fructu est *l. 63.* . *ff. h. t.* Aliud in domino vtili, veluti superirio, Emphyteuta, Vasallo, quia is re, vt sua ar & fruitur. Dn. Cornel. van Eck *in Princip. ad ff. h. t. §. 20.*

Qui eos inuenerit) Mediis *licitis*, alias Fiscus aurum capit *l. vn. C. de Thesaur. l. 5. C. de Ma- & Math.* Ratio acquisitionis thesauri est, quod es nullius, & quasi Dei beneficium ac fortunæ ium *d. l. vn.* & sic cedit occupanti.

Sacro aut religioso) Scil. priuato, nam & sacra dam priuata erant *L. 9. §. 1. ff. ad L. Iul. pecul.* is est si in loco religioso publico, seu fiscali. *l. 3. in. ff. de Iure Fisci.*

For-

dimidium domino soli concessit, & dimidium inuentori. Et conuenienter si quis in Cæsaris loco inuenerit, dimidium inventoris, & dimidium esse Cæsaris statuit. Cui conueniens est, vt si quis in fiscali loco, vel publico, vel ciuitatis inuenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci, vel ciuitatis.

De traditione.

40. Per traditionem quoque iure naturali res nobis acquiruntur. Nihil enim tam conueniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam

---

Fortuito) Nam si data opera, totus domino loci cedit. Quia non licet in alieno scrutari reconditas opes. *d. l. vn.*

Dimidium dominum soli) Si ergo totum thesaurum celet, pro dimidia parte fur erit, vbi torturæ locus esse potest. Quod si non celet, quantitatem tamen iuramento indicare debet Carpz. *P.* 2. *Const.* 53. *def.* 8.

Cæsaris loco) Qui sc. ad Cæsarem iure priuati patrimonii pertinet. Si vero inuentor thesaurum suppresserit, & celauerit, totum fisco, cum altero tanto, tradere tenetur. *l.* 3. §. *vlt. ff. de Iure fisci.*

Dimidium fisci) Totum ergo Princeps iure regalium vindicare nequit; nisi publica lex inuentionem præcesserit.

Ad §. 40. *Traditionem*) Ex præcedenti titulo factam, *l.* 3. *pr. ff. de O. & A. l.* 31. *ff. h. t.* nam solo contractu non transit dominium *l.* 20. *C. de pact.*

Voluntatem domini) Cum quilibet rei suæ moderator sit & arbiter *l.* 21. *C. mand.*

Cor-

n in alium transferre, ratam haberi: & ɔ cuiuscunque generis sit corporalis res, li potest, & a domino tradita alienatur. ue stipendiaria quoque & tributaria præ- eodem modo alienantur. Vocantur au- ı stipendiaria & tributaria prædia, quæ ɔrouinciis sunt: inter quæ, nec non & ica prædia, ex nostra Constitutione, la est differentia: sed si quidem ex cau- onationis, aut dotis, aut qualibet alia ex sa tradantur, sine dubio transferuntur.

2. Limitatio.

41. Venditæ vero res & traditæ, non aliter ptori acquiruntur, quam si is venditori tium soluerit, vel alio modo ei satisfece- velut expromissore, ant pignore dato. od quanquam cauetur ex Lege duo- im tabularum, tamen recte dici- & iure gentium, id est, iure natu- rali,

---

orporalis res) Incorporalis enim proprie tradi uit *l.* 43. §. 1. *ff. h. t.* Improprie tamen tradi- ɔer patientiam *l. fin. ff. de Seruit.* & possidetur exercitium.

Quilibet alia) Ad transferendum dominium ili; quæ causæ recensentur in *lib. XLI. ff. tit.* 4.

radantur) Accipienti *l.* 55. *ff. de O. & A.*

.d §. 41. *Expromissore*) Seu fideiussore. Alias otat eum, qui alienam obligationem in se sfert per nouationem *l.* 7. §. 3. *ff. de dolo mal.* ɔn. de Fuchs *in paraphr. h. l.*

ure naturali) Quia non pura, sed conditiona- lis

rali, id effici. Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris secutus fuerit; dicendum est, statim rem emptoris fieri.

3. Ampliatio.

42. Nihil autem interest, vtrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate eius alius, cui eius rei possessio permissa sit. Qua ratione, si cui libera vniuersorum negotiorum administratio permissa fuerit a domino, isque ex his negotiis rem vendiderit, & tradiderit; faciet eam accipientis.

De

---

lis videtur traditio esse; sc. si modo ab emptore solutum pretium, qua conditione deficiente, merito effectus etiam traditionis deficit *l.* 13. §. *vlt. ff. de stat. lib.*

Fidem emptoris secutus) Vel *expresse*, vel *tacite*, certum terminum solutioni constituendo *l.* 3. *C. de Pact. inter Empt. & vend.*

Ad §. 42. *Voluntate eius*) Nam quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est. *l.* 1. §. 1. *ff. de eo per quem fact. l.* 5. §. 3. *ff. de Admin. tut.*

Libera) Hic fundatum volunt mandatum *cum libera*, sc. potestate agendi omnia illa, quae dominus ipse agere potuisset & voluisset. Conf. *l.* 63. *ff. de Procur.* quod tamen clarius nititur Iure Can. *Cap.* 4. *de Procur. in* 6.

Permissa fuerit) Hoc *non generaliter* intelligendum, nam alienatio a procuratore facienda, speciale mandatum requirit *l.* 58. *ff. de Procur. & l.* 60. §. *fin. ff. mand.* sed de casu, si fiat alienatio in manifestam vtilitatem domini, veluti si res alias peritura. *l.* 63. *ff. de Procur.*

Ad

De ficta traditione.

43. Interdum etiam sine traditione, nuda ›luntas domini sufficit ad rem transferen-ım: veluti si rem, quam tibi aliquis com-odauerit, aut locauerit, aut apud te depo-erit, postea aut vendiderit tibi, aut dona-erit, aut dotis nomine dederit. Quamuis aim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo ımen ipso, quod patitur tuam esse, statim bi acquiritur proprietas, perinde ac si eo ıomine tibi tradita fuisset.

De traditione clauium.

44. Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claues horrei tra-

Ad §. 43. *Sine traditione*) Vera & reali.

Nulla voluntas) Quæ *ficta* traditio dicitur, seu *breuis manus*, vbi, ad ambages euitandas, traditio interuenisse præsumitur L. 43. §. 1. *ff. de Iure dot.* Alia traditio *longæ manus* est, quæ oculis fit v. g. si pecuniam in conspectu meo te deponere iubeam L. 79. *ff. de Solut.* vel rem e longinquo ostendam L. 51. *ff. de Acqu. vel amitt. poss. l.* 1. §. 21. *ff. eod.*

Tradita fuisset) Item si debitorem meum iussero tibi tradere pecuniam; vel si ex causa mandati mihi pecuniam debebas, & conueneris, vt crediti nomine eam retineas. L. 15. *ff. de Reb. credit.* Aut si v. gr. domum mihi venditam, statim per certum tempus conducas iterum, qnod dicitur constitutum possessorium L. 18. *ff. de Acqu. vel amit. possess.*

Ad §. 43. *Claues horrei*) Sc. in conspectu horrei, ex causa ad transferendum dominium ha-

 bili

tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem.

De missilibus.

45. Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata voluntas domini, transfert rei proprietatem, vt ecce, Prætores & Consules, cum missilia iactant in vulgus, ignorant, quod eorum quisque sit excepturus: & tamen quia volunt, quod quisque acceperit, eius esse, statim eum dominum efficiunt.

De habitis pro derelicto.

46. Qua ratione verius esse videtur, si rem pro derelicto a domino habitam occupa-

---

bili *l.* 74. *ff. de Contr. empt.* Aliud enim si custodiæ tantum causa traditæ L. 77. §. 21. *ff. de Leg.* 2. Hæc traditio *Symbolica* dicitur, quia claues sunt symbolum possessionis. Aliud exemplum est in traditis instrumentis L. 1. *C. de Donat.*

Ad §. 45. *Collata voluntas*) Habet hic proiiciens voluntatem generalem illi tradendi, qui rem apprehenderit.

Consules) Imp. Consulibus tantum reliquit argenti sparsionem; Aurum vero sibi reseruauit per *Nou.* 105. c. 2. §. 1. Postea tamen hoc iterum consulibus interdixit Leo Imp. *Nou.* 44. Quod intelligendum de nummis ad illam solennitatem cusis, von Schaupfennigen. Nam ordinariam monetam, vti quisque donare, ita etiam spargere potest.

Ad §. 46. *Occupauerit quis*) Sciens rem pro derelicto habitam esse L. 2. *ff. pro derelict.*

Ea

pauerit quis, statim eum dominum effici.
o derelicto autem habetur, quod dominus mente abiecerit, vt id in numero rerum urum esse nolit: ideoque statim dominus is esse desinit.

De iactis in mare vel de rheda amissis.

47. Alia sane causa est earum rerum, æ in tempestate leuandæ nauis causa eiiuntur, hæ enim dominorum permanent: ia palam est, eas non eo animo eiici, od quis eas habere nolit, sed quo magis n ipsa naui maris periculum effugiat. a de causa, si quis eas fluctibus expul, vel etiam in ipso mari, nactus, lucran-

---

a mente abiecerit) Voluntas ergo & factum ul requiritur, vt res pro derelicto habita dici sit; hinc non sufficit sola proiectio.

esse desinit.) Etiamsi alter nondum occupaue. L. 1. & 2. §. 1. *ff. eod.* Nam prius debet fieri nullius, antequam fiat occupantis add. *l.* 43. . *ff. de furt.*

Ad §. 47. *Dominorum permanent*) Nec fiscus ea vindicare debet *Auth. Nauigia C. de furt.* contraria consuetudo damnatur, add. *Const. m. art.* 128.

Non eo animo) Quia in necessitate nemo præsuur liberalis L. 18. *ff. de adimend. leg.* Nisi in & vasto mari, vbi nulla spes recuperandi res iectas superest, eiectæ, vel res illæ liquorem is diu ferre nequeant. *l.* 43. §. 11. *ff. de Furt.*

crandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longe videntur discedere ab his, quæ de rheda currente, non intelligentibus dominis, cadunt.

TITVLVS II.
DE REBVS CORPORALIBVS ET INCORPORALIBVS.

Secunda rerum diuisio.

QVædam præterea res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales hæ sunt, quæ sua natura tangi possunt:

Furtum committit) Nisi quis ex iusta causa existimauerit eas pro derelictis habitas esse *d. l.* 43. §. 7. Nec aliter vsucapere potest L. 6. *ff. pro derelict.* nisi ex iustissima causa ita existimauerit *arg.* L. 11. *ff. pro empt.*

Nec longe) Etiamsi inuentor nesciat, quis sit dominus L. 43. §. 4. *ff. de Furt.* vbi in dominum inquirendum *d. l.* 43. §. 8. *seq.*

TITVLVS II.

Tangi) Seu sensibus a priori percipi. Et hæ res corporales iterum vel *mobiles* sunt, vulgo Fahrnüß, vel *immobiles.* L. 15. §. 2. *ff. de Re iud.* Sub *mobilibus* continentur etiam se mouentes L. 93. *ff. de V. S.* Sub *immobilibus*, etiam illæ mobiles res, quæ vel cohærent immobili, ita vt vsum non præstent nisi terræ adfixæ, veluti molendina aquatica *l.* 21. *ff. de instr. & instrum. leg.* vel ad perpetuum rei immobilis vsum destinatæ *l.* 17. §. 7. *ff. de Act. Empt.* quæ ciuiliter immobiles dicuntur.

Tangi

nt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, gentum & denique aliæ res innumerabi- . Incorporales autem sunt, quæ tangi n possunt: qualia sunt ea, quæ in iure nsistunt: sicut hereditas, vsusfructus, ıs, & obligationes quoquo modo con- ıctæ. Nec ad rem pertinet, quod in he- ditate res corporales continentur. Nam fructus, qui ex fundo percipiuntur, cor- rales sunt: & id, quod ex aliqua obliga- ne nobis debetur, plerumque corporale : veluti fundus, homo, pecunia. Nam um ius hereditatis, & ipsum ius obliga- nis incorporale est. Eodem numero sunt a prædiorum vrbanorum & rusticorum, æ etiam seruitutes vocantur.

TITV-

Tangi non possunt) Siue non incurrunt in sensus riori; bene tamen a posteriori s. ratione exer- i. Exemplum in iurisdictione.

Obligationes) Non instrumenta obligationum, ius in iis comprehensum.

Plerumque) Non semper, veluti si factum sit in igatione *l.* 98. §. 6. *ff. de Solut.*

Pecunia) Sc. qua talis, non quatenus quantitas genere est in obligatione; Hæc enim interdum ponitur corpori L. 46. *ff. do Cond. indeb. l.* 49. 1. *ff. de Solut. l.* 5. *pr. ff. de impens. in rem dot. l.* . *ff. de Alim. leg.* scilicet certo *l.* 68. *ff. ad SCtum eb.*

Ius hereditatis) Hinc etiam hereditas definitur, od sit successio in vniuersum *ius*, quod defun- s habuit L. 24. *ff. de V. S.* Seu est ius vniuer- n, in quod succeditur.

TITVLVS III.

D. IIX. I. seq. vsque ad fin. C. III. 34.

DE SERVITVTIBVS RVSTICORVM ET VRBANORVM PRÆDIORVM.

De seruitutibus rusticis.

RVSTICORVM prædiorum iura sunt hæc: Iter, actus, via, aquæductus. *Iter*

TITVLVS III.

Ad Rubr. *Seruitutibus*) Hæc in *patiendo* & *non faciendo* consistere debet L. 25. *ff. de Seruit.* Si quid faciendum, pactum est, & vniuersales tantum successores stringit L. 13. *C. de Contr. & commit. stipul.* non singulares, quod tamen contingit in seruitute *l.* 12. *ff. Commun. præd.*

Rusticorum & vrbanorum) Ita dicitur a prædiis dominantibus, siue illis quibus debetur seruitus. Est autem Rusticum prædium, quod *agriculturæ* & fructuum: Vrbanum, quod inhabitandi seu *hominis* causa habetur L. 16. *de præd. & al. reb. min.* Seruitus ipsa in iure nunquam Rustica vel Vrbana, sed semper Rustici vel Vrbani prædii dicitur.

Prædiorum) Hinc quia res rei seruit, *Realis* dicitur *l.* 10. *ff. Comm. præd.* si res s. prædium personæ, *personalis* vocatur *l.* 1. *ff. h. t.* veluti vsusfructus, vsus & habitatio. Vtraque autem constituit ius in re, licet hoc in vsufructu, ad personam restrictum; nam & dominium ad dies vitæ restringi potest.

Ad pr. *Sunt hæc*) Non vero sola, nam alia etiam recensentur in §. 2. *h. t.*

Ius

r est ius eundi, ambulandi hominis, non
am iumentum agendi vel vehiculum.
tus est ius agendi iumentum, vel vehi-
um. Itaque qui habet iter, actum non
)et; sed qui actum habet, & iter habet,
que vti potest, etiam sine iumento. *Via*
ius eundi & agendi & ambulandi homi-
. Nam & iter & actum via in se con-
et. *Aquaeductus* est ius aquae ducendae
r fundum alienum.

De

Ius eundi) Etiam equitandi & lectica vehendi
. & 12. *ff. de S. P. R.*

Ambulandi) Per consequentiam hoc fluit ex iu-
tineris. *Principaliter* enim vt ambulare, s. spa-
i amoenitatis causa, in alieno liceat, non est ser-
us *l.* 8. *ff. de Seruit.*

Vel vehiculum) Nisi actus angustior nominatus
L. 13. *ff. de S. P. R.* nam ex conuentione homi-
n determinandus *d. l.* 13. §. 2.

Et iter habet) Regulariter. *l.* 2. *ff. quemadm.
t. amitt.* interim tamen & actus sine itinere con-
li potest. L. 4. §. 1. *ff. si seruit. vind.*

Via) Huius latitudo esse debet in porrectum
in anfractum 16. pedum L. 8. *ff. de S. P. R.*
tam altum spatium concedi debet, vt hastam
ctam ferre liceat *l.* 7. *ff. eod.*

Aquae ducendae) Non vero ex lacu *l.* 28. *ff. de S.
R.* ne exhauriatur. Seruitus tamen nauigandi
eo constituitur. *l.* 23. *ff. de S. P. R.* Ita vero
cenda, ne damnum domino praedii seruientis
tur *l.* 15. *ff. eod.*

Fundum) Etiam *domum*, quo casu vrbana
uitus fit *l.* 11. §. 1. *ff. de publ. in rem act.*

De seruitutibus urbanis.

1. Prædiorum vrbanorum seruitutes sunt hæ, quæ ædificiis inhærent: ideo vrbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia vrbana prædia appellamus, etsi in villa ædificata sint. Item vrbanorum prædiorum seruitutes sunt hæ: vt vicinus onera vicini sustineat: vt in parietem eius liceat vicino tignum immittere: vt stillicidium vel flumen recipiat quis in ædes suas, vel in aream, vel

---

Ad §. 1. *Etsi in villa*) Modo tamen hominis gratia habeantur, nam locus non facit prædium vrbanum vel rusticum, sed materia seu vsus. *l.* 198. *ff. de V. S.*

Onera vicini) Vocatur seruitus *oneris ferendi*, vbi seruiens murum vel columnam, cui onus impositum est, reficere tenetur *l.* 33. *ff. de S. V. P. l.* 6. §. 2. *ff. si seru. vind.* vnde hanc seruitutem *Anomalam*, vel *Spuriam* vocant; quod ita in faciendo consistat, contra *l.* 15. §. 1. *ff. de seruit.* sed non consistit in faciendo, factum enim per consequentiam aduenit, vt pati possit; Potest autem seruiens murum vel columnam derelinquere *d. l.* 6. §. 2. Et quid si murus vel columna non opus habeat refectione? Sic nullum adest factum.

Tignum immittere) Dicitur seruitus *tigni immittendi*, das Tram-Recht.

Stillicidium) Est aqua pluuiatilis guttatim decidens. Seruitus stillicidii vocatur, Trauff-Recht.

Flumen) Aqua pluuiatilis collecta per tubos & canales decidens vid. *l.* 20. §. 3. *seq. ff. de S. V. P.*

Cloa-

in cloacam, vel non recipiat: & ne al-
s quis tollat ædes suas, ne luminibus vi-
i officiat.

De seruitutibus rusticis.

2. Inter rusticorum prædiorum serui-
es quidam computari recte putant
aquæ

Cloacam) Seruitus cloacæ est Ius, quo vicinus
i debet, vt sordes in mea area collectas, per
dum ipsius deriuem L. 1. *ff. de Cloac.*

Non recipiat) Sed pati tenetur, vt mihi ex al-
us area vel tecto flumen vel stillicidium exci-
: liceat.

Ne altius) Ab hac seruitute *altius non tollendi*
ert seruitus *altius tollendi*, qua vicinus pati de-
vt ego altius tollam, quod per statutum inuito
no non licebat. vid. *l.* 12. §. 1. *C. de ædific. pri-*

Hoc statuto sepolito, etiam sine seruitute
ıs ædificare licet *l.* 9. *C. de Seruit.*

Luminibus) In vicini pariete factis.

Officiat) Quod præter constitutam seruitutem
:st, dummodo in suo fundo ædificet, iure enim
quis vti potest, etiamsi alteri per consequen-
ı noceat *l.* 24. & 26. *ff. de damn. infect.*

ad §. 2. *Quidam*) Neratius scilicet, & Vlpianus
5. §. 1. *ff. de S. R. P.*

Computari) Hæ & similes seruitutes dicuntur
minatæ, quia non nomen iuris, sed facti ha-
t. Hinc plures adhuc excogitari possunt. Et
iuersitate prædii dominantis, possunt diuerso
ectu rusticæ & vrbanæ dici.

Aquæ haustum) Hic aquam perennem desiderat
§. 5. *ff. de Aqu. quot.* nam in omni seruitute
a debet esse perpetua *l.* 28. *ff. de S. V. P.* Et
stu concesso, iter quoque ad hauriendum con-
ım videtur *l.* 3. §. *fin. ff. de S. R. P.*

aquæ haustum, pecoris ad aquam adpulsum, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

De seruitutis constitutione.

3. Ideo autem hæ seruitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædiis constitui non possunt. Nemo enim potest seruitutem acquirere vrbani vel rustici prædii, nisi qui habet prædium: nec quisquam debere, nisi qui prædium habet.

De

Ius pascendi) Vbi tamen dominus seruiens sua pecora simul pascere potest, si vsus vtrique sufficiat *l. 2. §. fin. ff. de S. R. P.* Ab hoc differt *Ius compascui* die Koppelweide, quod mero iure familiaritatis vt precarium reciprocum exercetur; & hinc omni tempore reuocari & non præscribi potest. Carpz. *P. 2. C. 41. d. 9.* Eadem ratio est iuris venandi & conuenandi in alieno.

Ad §. 3. *Constitui*) Promitti tamen, & futuro ædificio acquiri potest L. 10. *ff. de S. R. P. l. 23. §. fin. ff. de S. V. P. l. 25. §. 10. ff. fam. hercisc.*

Habet prædium) In dominio, vel pleno, vel minus pleno *l. 15. §. fin. ff. de vsufr.* quia conditionem meliorem reddit. vid. L. 39. *ff. de Neg. gest.*

Qui prædium habet) Et quidem pleno iure *l. 6. pr. & l. 8. ff. Commun. præd.* ita proprietarius, neque consentiente vsufructuario fundo seruitutem imponere potest. *d. l. 15. §. fin.* Nisi fructuarii conditio non reddatur deterior L. 16. *ff. eod.* Nec vasallus fundo feudali 2. *F.* 8. §. *E contrario.* Nec maritus fundo dotali *l. 5. ff. de fund. dotal.* Nec socius fundo communi L. 2. §. 1. *ff. de Seruit. l. 4. ff. de S. R. P.*

Ad

De modis constituendi.

4. Si quis velit vicino aliquod ius constituere, pactionibus atque stipulationibus efficere debet. Potest enim testamento is heredem suum damnare, ne altius lat ædes suas, ne luminibus ædium vi-
ıi officiat: vel vt patiatur eum tignum parietem suum immittere, stillicidium aduersus eum habere; vel vt patiatur m per fundum ire, agere, aquamue ex ducere.

Titvlvs IV.

D. VII. 1.2.3.4.5.6.7.9. C. III. 33.

DE VSVFRVCTV.

De-

Ad §. 4. *Vicino*) Itaque *vicinitas* requiritur, in ıstituenda seruitute; Sc. ratione *vtilitatis*, non *tignitatis*, nam tum nocet prædium intermedi-, si vsum seruitutis impediat *l.* 1. *pr. l.* 38. & 39. *le Seruit. vrb. P. l.* 7. *§.* 1. & *l. fin. C. de S. R. P.*

Constituere) Seu promittere, non acquirere, n id patientia & vsu fieri debet *l.* 11. *§.* 1. *ff. de l. in rem act. l.* 3. *ff. de Vsufr.* Promissione ius *sonale*, vsu ius *reale* producitur.

Pactionibus) Vel illis modis, quibus alias domim transfertur.

Efficere debet) Etiam præscriptionibus *l. vlt. in C. de long. temp. præsc.*

TITV-

Definitio.

VSusfructus est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua rerum substantia. Est autem ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est.

Quibus modis constituitur.

1. Vsusfructus a proprietate separationem recipit: Idque pluribus modis accidit. Vt

TITVLVS IV.

Ad pr. *Vsusfructus*) Hic quia in gratiam hominis constitutus, *seruitus personalis* dicitur, quo & pertinet *vsus* & *habitatio*.

Alienis) Ergo re propria non fruor iure vsusfructus, vt sic distinctio in *formalem* & *causalem*, nullius momenti sit, sed iure dominii. Nam res mea mihi non seruit *l.* 26. *de S. V. P.*

Salua rerum substantia) Hinc nec in melius rem mutare potest *l.* 44. *ff. h. tit.* in quo vsusfructus a dominio vtili differt, quod plenum ius de vtilitate disponendi continet, nisi qua dominium directum interuertitur. Porro vsufructuarius modice rem reficere tenetur, ob præsentem fructuum necessitatem *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* Quam in rem cauet de re non deterioranda, sed finito vsufructu restituenda *tot. tic. ff. vsufr. quemadm. cau.*

Quo sublato) Tanquam *principali*.

Ipsum) Tanquam *accessorium L.* 7. *ff. de pecul. leg.*

Ad §. 1. *Pluribus modis*) Constituitur autem Vsusfructus triplici potissimum modo (1) Dispositione iuris singulari, veluti patri in bonis aduentitiis filii. (2) Officio iudicis v. g. in iudiciis diviso-

t ecce, si quis vsumfructum alicui legaue-
:. Nam heres nudam habet proprieta-
n, legatarius vero vsumfructum. Et con-
ı, si fundum legauerit, deducto vsufructu,
gatarius nudam habet proprietatem, heres
ro vsumfructum. Item alii vsumfructum,
i defuncto eo fundum legare potest. Sine
tamento vero si quis velit vsumfructum
i constituere, pactionibus & stipulatio-
ous id efficere debet. Ne tamen in vni-
sum inutiles essent proprietates, semper
cedente vsufructu; placuit certis modis
ingui vsumfructum, & ad proprietatem
erti.

Quibus in rebus constituitur.

2. Constituitur autem vsusfructus non
tum in fundo & aedibus, verum etiam
eruis & iumentis, & ceteris rebus, ex-
tis iis, quae ipso vsu consumuntur.
n hae res neque naturali ratione, ne-
que

---

riis (13) Voluntate domini per modum actus
r viuos vel mortis causa declarata, h. e. quo
transfertur dominium.

educto eo) Si enim simpliciter vni fundum,
i vsumfructum legauerit; ambo in vsufructu
urrunt *l.* 19. *ff. de Vsu leg.* quia sub fundi no-
e etiam fructus continentur *l.* 4. *ff. h. t.*

d §. 2. *Vsu consumuntur*) Quia sic non salua
et substantia.

eque naturali) Quia contraria sunt eiusdem
us & abusus.

Ve-

Definitio.

VSusfructus est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua rerum substantia. Est autem ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est.

Quibus modis constituitur.

1. Vsusfructus a proprietate separationem recipit: Idque pluribus modis accidit. Vt

---

TITVLVS IV.

Ad pr. *Vsusfructus*) Hic quia in gratiam hominis constitutus, *seruitus personalis* dicitur, quo & pertinet *vsus* & *habitatio*.

Alienis) Ergo re propria non fruor iure vsusfructus, vt sic distinctio in *formalem* & *causalem*, nullius momenti sit, sed iure dominii. Nam res mea mihi non seruit *l.* 26. *de S. V. P.*

Salua rerum substantia) Hinc nec in melius rem mutare potest *l.* 44. *ff. h. tit.* in quo vsusfructus a dominio vtili differt, quod plenum ius de vtilitate disponendi continet, nisi qua dominium directum interuertitur. Porro vsufructuarius modice rem reficere tenetur, ob præsentem fructuum necessitatem *l.* 7. §. 2. *ff. h. t.* Quam in rem cauet de re non deterioranda, sed finito vsufructu restituenda *tot. tit. ff. vsufr. quemadm. cau.*

Quo sublato) Tanquam *principali*.

Ipsum) Tanquam *accessorium L.* 7. *ff. de pecul. leg.*

Ad §. 1. *Pluribus modis*) Constituitur autem Vsusfructus triplici potissimum modo (1) Dispositione iuris singulari, veluti patri in bonis aduentitiis filii. (2) Officio iudicis v. g. in iudiciis diviso-

Vt ecce, si quis vsumfructum alicui legauerit. Nam heres nudam habet proprietatem, legatarius vero vsumfructum. Et contra, si fundum legauerit, deducto vsufructu, legatarius nudam habet proprietatem, heres vero vsumfructum. Item alii vsumfructum, alii defuncto eo fundum legare potest. Sine testamento vero si quis velit vsumfructum alii constituere, pactionibus & stipulationibus id efficere debet. Ne tamen in vniversum inutiles essent proprietates, semper abscedente vsufructu; placuit certis modis extingui vsumfructum, & ad proprietatem reuerti.

Quibus in rebus constituitur.

2. Constituitur autem vsusfructus non tantum in fundo & aedibus, verum etiam in seruis & iumentis, & ceteris rebus, exceptis iis, quae ipso vsu consumuntur. Nam hae res neque naturali ratione, neque

visoriis (13) Voluntate domini per modum actus inter viuos vel mortis causa declarata, h. e. quo alias transfertur dominium.

Deducto eo) Si enim simpliciter vni fundum, alteri vsumfructum legauerit; ambo in vsufructu concurrunt *l.* 19. *ff. de Vsu leg.* quia sub fundi nomine etiam fructus continentur *l.* 4. *ff. h. t.*

Ad §. 2. *Vsu consumuntur*) Quia sic non salua manet substantia.

Neque naturali) Quia contraria sunt eiusdem rei vsus & abusus.

Ve-

que ciuili recipiunt vsumfructum. Quo in numero sunt vinum, oleum, vestimenta. Quibus proxima est pecunia numerata. Namque ipso vsu assidua permutatione quodammodo extinguitur. Sed vtilitatis causa Senatus censuit, posse etiam earum rerum vsumfructum constitui, vt tamen eo nomine heredi vtiliter caueatur. Itaque si pecuniæ vsusfructus legatus sit, ita datur legatario, vt eius fiat, & legatarius satisdet heredi de tanta pecunia restituenda, si morietur, aut capite minuetur. Ceteræ quoque res ita traduntur legatario, vt eius fiant: sed æsti-

Vestimenta) Sc. quotidiana, quæ, si non consumuntur vsu, tamen atteruntur. Aliud in vestimentis scenicis, & lugubribus, quo pertinet *l.* 9. §. 3. *ff. Vsufr. quemadm. cau. l.* 15. §. 4. *ff. h. t.*

Pecunia numerata) Alia ratio pecuniæ rarioris, veterumque numismatum.

Senatus censuit) Vt eo satior esset morientium voluntas *l.* 1. & 2. *ff. de Vsufr. ear. rer.* Eiusdem senatusconsulti mentio fit in *l.* 1. *C. h. t.* & *l.* 24. *ff. de vsufr. leg.*

Caueatur) Datis fideiussoribus. *l.* 8. *ff. d. t.* de re simili finito vsufructu restituenda. Inde hæc cautio, in effectu, facit ex re consumptibili non consumptibilem.

Morietur aut capite minuetur) Quia his modis quasi vsusfructus extinguitur L. 7. & 10. *ff. de Vsufr. ear. rer.*

Vt eius fiant) Itaque transfertur rei dominium in vsufructuarium.

Legatario) Causa impulsiua introducti quasi vsus-

æstimatis his satisdatur, vt si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fuerint æstimatæ. Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructum, nec enim poterat, sed per cautionem quasi vsumfructum constituit.

Quibus modis finitur.

3. Finitur autem vsusfructus morte vsufructuarii, & duabus capitis diminutionibus, maxima & media, & non vtendo per modum & tempus: quæ omnia nostra sta-

---

susfructus fuit fauor dispositionis testamentariæ. Vbi tamen semel introductus, etiam inter viuos constitui potest. Dn. Hopp. *hic.*

Nec enim poterat) Quia non poterat efficere, vt istarum rerum vsus esse possit, salua earum substantia.

Quasi) Hæc vox in iure denotat improprietatem obiecti, sed identitatem iuris.

Ad §. 3. *Morte*) Quia vsusfructus est ius personæ cohærens, & sic cum persona extinguitur. L. 3. §. *fin. quib. mod. vsusfruct. amitt. l.* 156. *de R. I.* & licet heredibus simul concessus, tamen cum primi gradus herede exspirat *l.* 14. *C. h. t.* Si ciuitati relictus vsusfructus, maximo spatio senescentium hominum amittitur h. e. centum annis *l.*56. *ff. h. t.*

Maxima & media) Non minima *l. pen.* §. *vlt. C. h. tit.*

Per modum) Si sc. certus modus, a Proprietario præscriptus, non fuerit obseruatus L. 10. §. 1. & L. 11. *ff. quemadm. vsusfr. amitt.* alias male vtendo non statim amittitur vsusfructus *l.* 13. §. 2. *ff. h. t.*

Tempus) X. vel XX. annorum *l. pen. C. de Seruit.* ex

ſtatuit Conſtitutio. Item finitur vſusfructus, ſi domino proprietatis ab vſufructuario cedatur: nam cedendo extraneo, nihil agitur; vel ex contrario, ſi vſufructuarius proprietatem rei acquiſierit; quæ res conſolidatio appellatur. Eo amplius conſtat, ſi ædes incendio conſumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio ſuo corruerint, extingui vſumfructum, & ne areæ quidem vſumfructum deberi.

Si

---

ex qua lege notandum, quod & actio perſonalis pro vſufructu conſtituendo, decennio exſpiret, cum alias 30. annis durare debeat. L. 2. *C. de præſcript. 30. vel 40. ann.*

Conſtitutio) Quæ eſt in *l. pen. C. h. t.*

Cedendo extraneo) Cedere hic eſt ipſum ius vſusfructus in alium transferre & ſe eodem abdicare, quod ipſi non licet, quia ſic vſusfructus nunquam rediret ad proprietarium. Commoda autem vſusfructus in extraneum bene transferri poſſunt L. 12. §. 2. *& l.* 38. *ff. h. t.* §. 1. *tit. ſeq.*

Nihil agitur) Scil. quantum ad ceſſionarium, ſed tamen ius ſuum amittit, nam ipſe ſe eo abdicavit, extraneo autem cedere non potuit; E. ad dominum reuertitur L. 66. *ff. de Iure dot.*

Ne areæ quidem) Etiamſi res noua iterum extructa L. 10. §. 1. *&* 7. *ff. quib. mod. vſufr.* aliud ſi res prior reſtituatur L. 36. *pr. l.* 71. *ff. de Vſufr.* aut in vſufructu vniuerſitatis vna perempta & reſtituta L. 34. §. 2. *ff. de Vſufr.* In ſeruitutibus realibus longe ſecus eſt, quia ipſi prædio ſeu areæ inhæret L. 14. *ff. quemadm. ſeru. amitt. l.* 20. §. 2. *ff. de S. V. P.*

Te-

Si finitus sit.

4. Cum autem finitns fuerit totus vsusfructus, reuertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem.

TITVLVS V.

D. VII. 8. C. III. 33.

DE VSV ET HABITATIONE.

Communia de vsufructu & vsu.

Iisdem illis modis, quibus vsusfructus constituitur, etiam nudus vsus constitui solet: iisdemque illis modis finitur, quibus & vsusfructus desinit.

Differentia vsusfructus & vsus.

1. Minus autem iuris est in vsu, quam in vsufructu. Nam is, qui fundi nudum habet vsum, nihil vlterius habere intelligitur,

---

Ad §. 4. *Totus*) Ita recte, nam si pro parte finitus fuerit, & alius coniunctus adsit, illi ea pars accrescit *tot. tit. ff. de vsufr. accresc.*

TITVLVS V.

Ad pr. *Iisdem illis modis*) Vid. §. 1 & 3. *prae. tit.* In eo tamen differunt, quod vsus non pro parte constitui & amitti possit, vt vsusfructus *l. 5. ff. de Vsufr. l. 19. ff. h. t.*

Ad §. 1. *Minus autem iuris*) Nam vsufructuarius omne commodum omnesque fructus percipit, *L. 7. & seq. ff. de Vsufr.* Sed vsuarius tantum naturales, non etiam industriales. *infra* §. 4. *h. t.*

tur, quam vt oleribus, pomis, floribus, fœno, ſtramentis & lignis, ad vſum quotidianum vtatur: in eoque fundo hactenus ei morari licet, vt neque domino fundi moleſtus ſit, neque iis, per quos opera ruſtica fiunt, impedimento: nec vlli alii ius, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere poteſt: quum is, qui vſumfructum habet, poſſit hæc omnia facere.

Ædium.

2. Item is, qui ædium vſum habet, hacte-

Vſum quotidianum) Qui tamen pro conditione & dignitate perſonarum æſtimandus. *L.* 12. §. 1. *ff. h. t.*

Domino fundi moleſtus) Si ſc. dominus fructuum colligendorum cauſa eo veniat; Nam alias domino, vt ibi habitet, permittere non tenetur *d. l.* 12. *pr. h. t. l.* 10. §. *fin. eod.*

Opera ruſtica) Aliud ſi dominus cum familia vrbana ibi habitare vellet, quod prohibere poteſt *d. l.* 10. §. *fin.*

Nec vlli alii) Quia alius alio plus indiget, nec omnium eadem eſt parſimonia. Niſi conditio vſuarii aliud ſuadeat, veluti ſi aurigæ vſus equi legatus *L.* 12. §. 4. *ff. h. t.* vel res alioquin inutilis foret vſuario, veluti in vſu ſylvæ remotæ. vid. *l.* 22. *pr. h. t.*

Poſſit hæc omnia) Si modo ipſe vſufructuarius maneat *l.* 12. §. 2. *ff. de Vſufr.* vbi etiam vſusfructus non cum perſona ceſſionarii, ſed cedentis, qui vſufructuarius eſt, extinguitur *l.* 31. *ff. de pign.* Aliud ſi omne ius ſuum in alium transferre velit. vid. §. 3. *tit. præc.*

Ad

ctenus ius habere intelligitur, vt tantum inhabitet, nec hoc ius ad alium transferre poteſt: & vix receptum eſſe videtur, vt hoſpitem ei recipere liceat, & cum vxore, liberisque ſuis, item libertis, nec non perſonis aliis liberis, quibus non minus quam ſeruis vtitur, habitandi ius habeat. Et conuenienter, ſi ad mulierem vſus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

Serui, vel iumenti.

3. Item is, ad quem ſerui vſus pertinet, ipſe tantum opera atque miniſterio eius vti poteſt: ad alium vero nullo modo ius ſuum

---

Ad §. 2. *Ad alium*) Locare tamen ædes & inquilinum recipere poteſt, ſi ipſe ſimul inhabitet. Totas vero ædes locare ipſi non permittitur, *L.* 3. *in fin.* & *l.* 4. *ff. h. t.*

Vix receptum) Ergo tamen permiſſum, licet difficulter. Sc. modo ipſe ſimul inhabitet *L.* 4. *pr. ff. h. t.* Vix enim fieri, dicitur quod fieri poteſt, ſed cum difficultate. Barboſ. *Diction.* 426.

Habitandi ius habeat) Sed quid ſi non omnes ædium partes occupauerit vſuarius, an dominus vacantibus partibus vti,& ſimul inhabitare poteſt? Reſp. Neg. *L. pen.* §. 1. *ff. h. t.* Quia vſus in poſterum maior eſſe poſſet *d. l. pen.*

Mulierem) Ergo & ſi vſus ædium virgini conceſſus, poſt nuptias cum marito ibi habitabit. *L.* 4. §. 1. *h. t.*

Ad §. 3. *Ipſe tantum*) Verum non modo ad ſuam, ſed & ſuorum vtilitatem, ſiue ad coniugis & familiæ miniſterium *L.* 12. §. 5. *ff. h. t.*

 Ad

ſuum transferre ei conceſſum eſt. Idem ſcilicet iuris eſt & in iumento.

Pecorum.

4. Sed & ſi pecorum vel ouium vſus legatus ſit, neque lacte, neque agnis, neque lana vtetur vſuarius; quia ea in fructu ſunt. Plane ad ſtercorandum agrum ſuum pecoribus vti poteſt.

De habitatione.

5. Sed ſi cui habitatio legata ſiue aliquo modo conſtituta ſit; neque vſus videtur, neque vſusfructus, ſed quaſi proprium aliquod ius; quanquam habitationem habentibus, propter rerum vtilitatem, ſecun-

Ad §. 4. *Vel*) Rectius *veluti*, quia pecorum appellatione haud dubie etiam oues veniunt. *L.* 12. §. 4. *ff. h. t.* §. 1. *Infra ad L. Aquil.*

Neque lacte) Niſi modico, ſi alias alimenta non habeat *d. l.* 2. §. 1.

Adſtercorandum) Habet ergo ſtercus pro ſolatio *L.* 7. *C. de curſ. publ.*

Ad §. 5. *Neque vſus*) Quia poteſt aedes ſeorſim locare, *h.* §. 5. *l.* 13. *C. de vſufr.* quod ſecus in vſu *l.* 8. *ff. h. t.*

Neque vſusfructus) Hic enim non vtendo & capitis diminutione perit §. 3. *de vſufr.* & alteri donari poteſt §. 1. *h. t.* Quod ſecus in habitatione *L.* 10. *pr. ff. h. t.* Quia magis in facto conſiſtit, h. e. in actuali habitatione, quam in iure, qualia non vtendo & capitis deminutione non pereunt. *L. penult. ff. de Cap. demin.* Ill. Dn. de Fuchs *h. l.*

No-

eundum Marcelli sententiam nostra decisione promulgata, permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare.

Transitio.

6. Hæc de seruitutibus, & vsufructu, & vsu & habitatione dixisse sufficiat. De hereditatibus autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summatim, quibus modis iure gentium res acquiruntur: modo videamus, quibus modis legitime & ciuili iure acquiruntur.

Titvlvs VI.

D. XLI. 3. C. VII. 26. & seqq. vsque ad 41.

DE VSVCAPIONIBVS ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIBVS.

Vsu-

Nostra decisione) Quæ est in *l.* 13. *C. de vsufr.*

Ad §. vlt. *Ciuili iure*) Vsucapionem indigitat Imperator & donationem; hancque non omnem, sed mortis causa & propter nuptias.

TITVLVS VI.

Ad Rubr. *Vsucapionibus*) Est *Vsucapio* adiectio dominii per continuationem possessionis, temporis lege definiti *L.* 3. *ff. b. t.* improprie etiam rebus incorporalibus applicatur *l.* 4. *§. fin. ff. b. t.*

Longi temporis) Sc. 10 vel 20 annorum. Cui opponitur longissimum tempus, quod est 30 vel 40 annorum.

Præscriptionibus) Hæc tribuit *exceptionem*, vsucapio *dominium*. Alias hodie quoad acquisitionem rerum, si bona fides adsit, conueniunt *l. vn. C. de Vsucap. transform.* & *l.* 8. *C. de Præscr.* 30. *ann.*

 Ad

Vsucapionis requisita 1. Bona fides. 2. Possessionis tempus. 3. Iustus titulus.

IVre ciuili constitutum fuerat, vt qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet dominum eum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliaue quauis iusta causa acceperit, is eam rem, si mobilis erat, anno vbique vno, si immobilis, biennio tantum in Italico solo vsucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et cum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis

Ad pr. *Iure ciuili*) Habet tamen vsucapio etiam fundamentum in iure Gentium; Et huc Iephta prouocat *Iud. II. v. 26.*

Bona fide) Quæ describitur §. *35. supra de Rer. diuis.* add. *l. 109. ff. d. V. S.* Et iure ciuili tantum ab initio desiderabatur, *l. 48. §. 1. ff. de Acquir. rer. dom. l. pen. ff. pro empt.* Iure canonico & moribus vsque ad finem, etiam in 30. ann. præscriptione *cap. fin. X. de Præscript.* in hac tamen & immemoriali præscript. præsumitur adesse, donec probetur contrarium.

Iusta causa) Seu titulo ad transferendum dominium habili, L. 27. ff. *h. t. l. 4. C. de præscr. long. temp.* qui tituli recensentur *l. 4. ff. tit. 4. & seqq.* In præscriptione iurium vero scientia & patientia domini est loco tituli *L. 2. C. de Seruit.*

Vbique) Tam in prouinciis, quam in Italia.

In incerto) Et negligentia dominorum puniretur *l. 2. pr. & l. vlt. in fin. C. de annal. except.*

Ad

minis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur: & ideo constitutionem super hoc promulgauimus, qua cautum est, vt res quidem mobiles per triennium: immobiles vero per longi temporis possessionem, id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis, vsucapiantur, & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni

---

Ad inquirendas res suas) Potest enim Princeps certum negligentiæ terminum ponere, & debitam statuere pœnam. Vnde iustitia vsucapionis omnium optime defenditur. Imo ex hac negligentia colligitur tacita alienatio. *l. 28. ff. de V. S.*

Constitutionem) quæ habetur in *l. vn. C. de Vsucap. transform.*

Triennium) Non attento, an quis præsens an absens fuerit. Saxones in mobilibus annum retinuerunt. In immobilibus autem 31. annos & diem, h. e. 6. septimanas & 3. dies exigunt, sine consideratione præsentiæ vel absentiæ.

Præsentes) Tales dicuntur, qui in eadem prouincia domicilium habent. *L. fin. C. de præscript. long. temp.*

Viginti annis) Itaque duo anni absentiæ efficiunt vnum annum præsentiæ. Hinc si partim præsens, partim absens fuerit, dimidiandi anni absentiæ & addendi annis præsentiæ, vbi si decennium completum, vsucapio etiam perfecta erit. Conf. *Nou. 119. c. 8.*

omni terra, quæ nostro Imperio gubernatur, dominia rerum, iusta causa possessionis præcedente, acquirantur.

Quæ vsucapi possunt, vel non.

1. Sed aliquando, etiamsi maxime quis bona fide rem possederit, non tamen illi vsucapio vllo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel

Possessionis) Nam sine possessione nulla est vsucapio *l. 25. ff. h. t.* sufficit tamen initium & finem possessionis probasse, medium præsumitur *l. 16. ff. de Probat.* Vera autem possessio esse debet, hoc est detentio rei cum animo sibi habendi.

Ad §. 1. *Si maxime quis*) *Ratio*, quia vbi lex possidenti resistit, b. f. ipsi non proficit *l. 24. pr. ff. h. t.*

Liberum hominem) Sed secundum LL. XII. tabb. vxor quasi vsucapiebatur, si intra annum per tres noctes non fuerit *vsurpata*, seu interrupta possessio, Rosin. *Antiq. Rom. l. 5. c. 38. in pr.*

Rem sacram &c.) Nam hæ res non sunt in commercio. Pertineat quoque eo res *inalienabiles L. 28. d. V. S.* uti fundus dotalis *l. 42. h. t.* res pupillorum *l. 48. pr. de acquir. rer. dom.* item res minorum licet alienabiles, vbi tamen tricennalis præscriptio obtinet *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. necess.* item bona filiorum aduentitia *L. 1. §. fin. C. de annal. except.* Res tamen Ecclesiasticæ immobiles 40. annis præscribuntur. *Nov. 116. C. vn.* mobiles triennio, *Quas actiones C. de SS. Eccles.*

Seruum

vel religiosam, vel seruum fugitiuum possideat.

De rebus furtiuis & ui possessis.

2. Furtiuæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, vsucapi possunt. Nam furtiuarum rerum Lex duodecim tabularum & Lex Attilia inhibent vsucapionem; vi possessarum Lex Iulia & Plautia. Quod autem dictum est, furtiuarum & vi possessarum rerum vsucapionem per Leges prohibitam esse, non eo pertinet, vt ne ipse fur, quiue per vim possidet, vsucapere possit; nam his alia ratione vsucapio non competit; quia scilicet mala fide possident; sed ne vllus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat. Vnde in rebus mo-

Seruum fugitiuum) Hic tamen 30. annis præscribi potest *L. 3. & 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.*

Ad §. 2. *Vsucapi possint*) Hinc domino a b. f. possessore restituendæ, etiam sine refusione pretii *l. 2. C. de furt.* Præscribi autem res furtiuæ possunt, etiam ab ipso fure *d. l. 3. & 4. & l. 2. C. de annal. except.* Aliud hodie, vbi absque bona fide nulla valet præscriptio *cap. fin. X, de præscript.*

Ne vllus alius) Quia vitium ambulat cum re, & ad quemcunque possessorem transit *l. 7. C. de Vsuc. pro emt.*

mobilibus non facile procedit, vt bonæ fidei possessoribus vsucapio competat. Nam qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum eius committit. Sed tamen id aliquando aliter se habet. Nam si heres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit, quin is, qui acceperit, vsucapere possit, dubium non est: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: cum vtique heres, qui bona fide tanquam suam alienauerit, furtum non committat. Item si is, ad quem ancillæ vsusfructus pertinet, partum suum esse credens, vendiderit, aut donauerit, furtum non committit. Furtum enim

Non facile) Quia contrectatio rei alienæ animo sibi habendi rem furtiuam facit, quod vitium etiam ad bonæ fidei possessorem transit.

Depositam) Vt ita defunctus eam sine vitio possederit, quia animum restituendi habebat.

Accipienti) E. traditio necessaria est.

Vendiderit) Ipse enim vsucapere non potest, quia titulo destituitur, *l. 1. ff. pro herede*, dum titulus *pro herede* non nouus est, sed continuatus, & in omnia vitia defuncti succedit heres *l. 11. ff. de diuers. & temp. præscr.* Vti ergo defunctus non poterat præscribere, ita nec heres. Emtor tamen vsucapit, quia titulum nouum ex contractu habet.

Aliis

enim ſine affectu furandi non committitur. Aliis quoque modis accidere poteſt, vt quis ſine vitio furti rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, vt a poſſeſſore vſucapiatur. Quod autem ad eas res, quæ ſolo continentur, expedit, ius ita procedit, vt, ſi quis loci vacantis poſſeſſionem propter abſentiam aut negligentiam domini, aut quia ſine ſucceſſore deceſſerit, ſine vi nanciſcatur; quamuis ipſe mala fide poſſideat, quia intelligit, ſe alienum fundum occupaſſe, tamen, ſi alii bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa poſſeſſione res acquiri: quia neque furtiuum, neque vi poſſeſſum acceperit. Abolita eſt enim quorundam veterum ſententia, exiſtimantium, etiam fundi lociue furtum fieri. Et eorum vtilitati, qui res ſoli poſſident, principalibus conſtitutionibus proſpicitur, ne cui lon-

Aliis quoque modis) V. g. Si gemma in littore maris amiſſa, & ab alio reperta. Item fructus extantes, ex re bona fide poſſeſſa percepti. L. 2. *ff. pro ſuo.*

Sine vi) Nam violenta poſſeſſio in immobilibus tantum reſiſtit vſucapioni *l. 4. §. pen. h. t.*

Longa poſſeſſione) Si ſc. iure nouo dominus ſciverit alienationem factam & tacuerit. Si ignorauerit, 30. annis opus eſt. *Auth. Malæ fidei. C. de præſcr. long. temp. Nou. 117. c. 1.*

Conſtitutionibus) In tit. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.

Ad

longa, & indubitata possessio debeat auferri.

De vitio purgato.

3. Aliquando etiam furtiua, vel vi possessa res vsucapi potest: veluti si in domini potestatem reuersa fuerit, tunc enim vitio rei purgato procedit eius vsucapio.

De re fiscali & de bonis vacantibus.

4. Res fisci nostri vsucapi non potest. Sed Papinianus scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis vsucapere posse: & ita Diuus Pius, & Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Regula religionis.

5. Nouissime sciendum est, rem talem esse

Ad §. 3. *Reuersa*) Sed nec sic aliter, quam secundum casum §. præc.

Ad §. 4. *Res fisci*) Ab his differunt bona Principis patrimonialia, quæ 30 vel 40 annis præscribuntur *tot. tit. C. ne res domin.* & domanialia Tafel-Güther, quæ non præscribuntur nisi immemoriali tempore *c.* 33. *X. de Iureiur.*

Vsucapi non potest) Si Fisco plene acquisita. Potest tamen præscribi 40. annis *L.* 4. *C. de Præscript.* 30 *vel* 40 *ann.* Regalia immemoriali tempore præscribuntur contra Principem, contra priuatum ordinario tempore *Cap.* 33. *X. de Iureiur.* & *c.* 26. *§. praterea X. de V. S.*

Papinianus) Hic locus Papiniani in Digestis non reperitur.

Nondum nunciatis) Quodsi nunciata & a fisco neglecta, quadriennio præscribuntur *L.* 1. *C. de Quadrienn. præsc.* Ad

esse debere, vt in se non habeat vitium; vt a bonæ fidei emtore vsucapi possit, vel qui ex alia iusta causa possidet.

De errore falsæ causæ.

6. Error autem falsæ causæ vsucapionem non parit: veluti si quis, cum non emerit, emisse se existimans, possideat, vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

De accessione possessionis.

7. Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat, prædium alienum esse. Quod si ille initium iustum non habuit, heredi & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio

---

Ad §. 5. *Vitium*) sc. *reale*.

Ad §. 6. *Non parit*) Plus enim valet, quod in rei veritate est, quam quod in opinione.

Emisse se) Aliud in errore facti alieni *l. 2. ff. de Iur. & fact. ign. l. fin. ff. pro soc.* exemplum in *l. 11. ff. pro empt.*

Ad §. 7. *Possessio*) Sc. *ciuilis*, quæ animo domini fit, non *naturalis*, qua quis rem solo corpore detinet.

Defuncto) Sc. quæ cum bona fide cœpit.

Licet ipse sciat) Iure ciuili enim bona fides tantum ab initio requiritur. Aliud iure canonico & moribus *cap. fin. X. de præscript.*

Licet ignoranti) Hoc est, licet in bona fide constituto, quia heres in vitia defuncti succedit *L. 11. ff. de diuers. & temp. præscr. l. 11. C. de acquir. poss. l. fin. C. comm. de Vsucap.*

Con-

ſio non prodeſt. Quod noſtra conſtitutio ſimiliter & in vſucapionibus obſeruari conſtituit, vt tempora continuentur.

8. Inter venditorem quoque & emtorem coniungi tempora, diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

De his, qui a fiſco emerunt.

9. Edicto D. Marci cauetur, eum, qui a fiſco rem alienam emit, ſi poſt venditionem quinquennium præterierit, poſſe dominum rei exceptione repellere. Conſtitutio autem diuæ memoriæ Zenonis bene proſpexit iis, qui a fiſco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt

---

Conſtitutio) in *l. vn. C. de Vſucap. transform.*

Continuentur) Aliud ergo, ſi interrumpatur poſſeſſio, vel per priuatam denunciationem *L.* 17. *C. de R. V.* vel per iudicialem citationem *L.* 2. *C. de Annal. except.* vel per naturalem deiectionem *l.* 5. *ff. h. t.* Quæ interruptio in iure vocatur vſurpatio, *l.* 2. *h. t.*

Ad §. 8. *Venditorem*) Idem in cauſis lucratiuis obtinet. *L.* 11. *C. de Præſcr.*

Coniungi tempora) Modo vterque bona fide poſſederit *L.* 13. §. 1. *& vlt. ff. de acquir. poſſ.* niſi emtor ex ſua perſona computare vſucapionis tempora velit, vbi non nocet mala fides anteceſſoris *L.* 5. *ff. de diuerſ. temp. præſcr.*

Ad §. 9. *Edicto D. Marci*) Cuius mentio fit in *l. fin. C. ſi aduerſ. fiſc.*

Zenonis) Quæ eſt in *l.* 2. *C. de Quadrien. præſc.*

Sta-

unt aliquid, vt ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, siue experiantur, siue conueniantur: aduersus autem sacratissimum ærarium vsque ad quadriennium liceat iis intendere, qui pro dominio vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putauerint, sibi quasdam competere actiones. Nostra autem diuina constitutio, quam nuper promulgauimus, etiam de iis, qui a nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfatæ Zenonianæ constitutionis continentur.

TITVLVS VII.
D. XXIX. 5. 6. C. IIX. 54. 55. 56. 57.
DE DONATIONIBVS.
De Donatione.

EST & aliud genus acquisitionis, donatio.

Statim fiant) Vt fiscus eo facilius emtorem inveniat, nec fides hastæ fiscalis facile conuellatur. *L.* 8. *C. de remiss. pign.*

Constitutio) Quæ extat in *l.* 3. *C. de Quadrienn. præscr.*

Hæc statuit) Quia omnia sunt Principis *d. l.* 3. sc. tam fiscalia quam patrimonialia. Quod male vulgo ad priuatorum bona trahitur.

Ad pr. *Acquisitionis*) Sc. iuris ciuilis per §. *fin. supra de vsu & habitat.* Non vero in genere, sed quoad certas donationis species, veluti donatio mor-

tio. Donationum autem duo sunt genera: *mortis causa*, & *non mortis causa*.

De mortis causa donatione.

I. Mortis causa *donatio est*, *quæ propter mortis fit suspicionem*: cum quis ita donat, vt si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit: sin autem superuixisset, is, qui donauit, reciperet: vel si eum donationis pœnituisset, aut prior decesserit is, cui donatus sit. Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per

---

mortis causa & propter nuptias. Nam in genere donatio ad modos acquirendi iuris gentium pertinet §. 40. *supra de Rer. Diu.*

Duo sunt genera) Primo donatio vel *simplex* est, vel *remuneratoria*. Huius exemplum habetur in *L.* 27. *ff. h. t.* quæ induit naturam contractus onerosi. Simplex iterum, vel mortis causa, vel inter viuos, quo & donatio propter nuptias pertinet.

Ad §. I. *Suspicionem*) Ita vt hæc suspicio donantem mouerit *L.* I. *seq. ff. de mort. caus. donat.* Aliud si executio tantum dilata ad tempus mortis *L.* 42. §. *fin. ff. eod.*

Quis) Pro regula tenendum, eum m. c. donare posse, qui testari valet *L.* 25. *pr. ff. d. t.* Filiusfam. tamen potest, patre permittente *d. l.* §. I. vtut ita testari nequeat. *pr. Inst. quib. non est perm. fac. testam.*

Superuixisset) Ergo & hic pariter, vt in aliis, per vltimam voluntatem relictis, corruit donatio, si donatarius præmortuus; nisi simul in heredem collata.

Alii

per omnia. Nam cum prudentibus ambiguum fuerat, vtrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret? & vtriusque causæ quædam habebat insignia: & alii ad aliud genus eam retrahebant: a nobis constitutum est, vt per omnia fere legatis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra constitutio eam formauit. Et in summa, *mortis causa donatio est, cum magis se quis velit habere, quam eum, cui donat; magisque eum, cui donat, quam heredem suum*. Sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo. *Odyss. 17. circa princ.*

Πείραι' ἐ γὰρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσαι τάδε ἔργα
Εἴ κεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρῃ κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσονται.
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν ἤ τινα τῶνδε.
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Id

Alii ad aliud) in *L. fin. C. de mort. caus. donat.*

Per omnia) Ita vtrobique 5. testes requiruntur *L. fin. C. eod.* nisi in casu, vbi in testamento pauciores sufficiunt, vt in patre, milite, & hodie tempore pestis. Detrahitur falcidia *L. 2. C. eod. & L. 5. C. ad L. Falc.* & reuocatur nuda voluntate.

Fere) Nam in eo differunt, quod legatum legatario vt indigno auferri possit a fisco, non donatio mortis causa *L. 5. §. 17. ff. de his quæ vt indign.* Legatum fiat absenti & ignoranti; donatio præsenti & acceptanti *L. 38. ff. de mort. caus. donat.*

 Pyræ)

Id est:

Cum, Piræ, homines lateant secreta futuri,
Si me forte proci sceleratis ad Styga mittant
Insidiis, patriasque velint ercifcere prædas:
Hæc ego præ reliquis multo tibi cedere malim.
Sin ego eos iustis prosternam cladibus vltor,
Hæc mihi tu gaudens media inter gaudia reddas.

De inter viuos donatione.

2. Aliæ autem donationes sunt, quæ sine vlla mortis cogitatione fiunt, quas inter viuos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ si fuerint perfectæ, temere reuocari non possunt. Perficiuntur autem, cum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestauerit. Et ad exemplum venditionis, nostra

Pyræ) Versio ad ductum verborum hæc est:

Peiræ, non enim scimus quomodo erunt hæc opera:
Si me proci feroces in domibus
Clam interfecto, paterna omnia diuident,
Ipsum habentem te volo frui, quam aliquem horum.
Si ego his cædem & mortem machinatus fuero,
Sane tunc mihi gaudenti feras ad domos gaudens.

Ad §. 2. *Non omnino*) Potius legendum omnino non, vti in *L. 8. §. 7. ff. de Fideiuss.* nam nulla ratione cum legatis conuenit donatio inter viuos.

Ma-

nostra constitutio eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit: vt etiamsi non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. Et cum retro Principum disputationes insinuari eas actis interuenientibus volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum; constitutio nostra eam quantitatem vsque ad quingentos solidos ampliauit: quam stare etiam sine

Manifestauerit) Et donatarius acceptauerit *L. 10. ff. h. t. l. 25. C. eod.* remissio tamen debiti sine acceptatione valet *L. 23. & 35. ff. de Solut.* favore liberationis *l. 47. ff. de O. & A.*

Nostra constitutio) Quæ extat in *l. 35. C. h. t.* per quam legem donatio, quæ olim nudum pactum & inefficax erat, reddita est pactum legitimum, & hinc condictione ex *d. l. 35.* petitur res donata *arg. l. vn. ff. de condict. ex L.*

Traditionis) Ergo & in venditione necessitas tradendi est, nec venditor præstando interesse liberatur. Nam propter quod vnumquodque tale est, illud magis est tale.

Constitutio nostra) Quæ est in *l. 36. fin. ff. h. t.*

Quingentos) Quodsi maior sit quantitas & non insinuata donatio, quoad summam *excedentem* inualida est *l. 34. pr. & §. 1. C. de donation.* singulæ autem donationes considerandæ, non plures simul computandæ *d. l. 34. §. 3.* nisi eodem tempore factæ.

Solidos) Quorum 72. conficiunt marcam f. libram auri *l. 5. C. de Suscept.* Communiter solidus pro aureo Hungarico accipitur.

ſine inſinuatione ſtatuit. Sed & quasdam donationes inuenit, quæ penitus inſinuationem fieri minime deſiderant, ſed in ſe pleniſſimam habent firmitatem. Alia inſuper multa ad vberiorem exitum donationum inuenimus: quæ omnia ex noſtris conſtitutionibus, quas ſuper his expoſuimus, colligenda ſunt. Sciendum eſt tamen, quod, etſi pleniſſimæ ſint donationes, ſi tamen ingrati exiſtant homines, in quos beneficium collatum eſt, donatoribus per noſtram conſtitutionem licentiam præſtitimus, certis ex cauſis eas reuocare: ne illi

Minime deſiderant) Hæ ſunt (1) donatio a principe facta *l. 34. pr. C. h. t.* (2) donatio priuati facta Principi *Nou. 52. c. 2.* (3) donatio propter nuptias *Nou. 119. c. 2.* (4) quæ a magiſtratu militum, militibus fit *L. 36. §. 1. C. h. t.* (5) facta ad redemtionem captiuorum *d. l. 36.* (6) remuneratoria *l. 27. ff. h. t.* (7) facta illis, quorum domus incendio vel ruina conſumta *d. l. 36. §. 2.* (8) donatio mortis cauſa *l. 4. C. de cauſ. mort. donat.* & (9) donatio ad pias cauſas, vt nonnulli volunt.

Donatoribus) Non ergo eius heredes eam reuocare poſſunt. Nam donator non reuocando, moriens iniuriam remiſiſſe cenſetur *l. fin. C. de reuoc. donat.* add. *l. fin. C. ad L. Iul. Repet.*

Conſtitutionem) Quæ habetur in *l. f. C. de reuoc. donat.*

Certis ex cauſis) Si ſc. donatarius famæ, vitæ vel bonis donantis periculum inferre tentauerit *d. l. fin. C. de reuoc. donat.* Alius reuocandi modus

illi, qui suas res in alios contulerint, ab his quandam patiantur iniuriam, vel iacturam, secundum enumeratos in constitutione nostra modos.

De donatione propter nuptias.

3. Est & aliud genus inter viuos donationis, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, postea autem a iunioribus diuis Principibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur, & tacitam in se conditionem habebat, vt tunc ratum

---

dus est, si liberos postea susceperit donator *L.* 8. *C. eod.* item si inofficiosa sit. *tit. C. de inoff. donat.* vbi tamen quoad legitimam tantum rescinditur L. 5. *in fin. C. d. t.* & denique, si conditioni adiectæ non satisfecerit donatarius *tit. C. de Donat. quæ sub mod.*

Ad §. 3. *Incognitum*) In ea specie prout hic describitur. Nam in genere donationes inter sponsum & sponsam non erant incognitæ L. 1. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. *& seqq. C. de donat. ante nupt.*

Ante nuptias vocabatur) Fit illa donatio a marito in securitatem & remunerationem dotis L. 19. *C. de donat. ante nuptias.* Hinc tanta esse debet, quanta dos *Authent. Æqualitas C. de pact. conuent.* Quod tamen hodie non obseruatur, nisi inter nobiles. Et hæc donatio contractibus adscripta in *Nou.* 119. *c.* 1. vbi quidem sponsalitiæ largitatis mentio fit, sed contextus docet, intelligi donationem hanc.

Conditionem) Ita etiam omne legatum vel promissum dotis, hanc tacitam conditionem habet, si nuptiæ sequantut *l.* 71. §. 3. *ff. de Condit. & demonstr.*

ratum esset, cum matrimonium esset insecutum. Ideoque ante nuptias appellabatur, quod ante matrimonium efficiebatur & nunquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem diuus Iustinus, pater noster, cum augeri dotes & post nuptias fuerat permissum; si quid tale eueniret, & ante nuptias augeri donationem, & constante matrimonio, sua constitutione permisit. Sed tamen nomen inconueniens remanebat, cum ante nuptias quidem vocabatur, post nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos plenissimo fini tradere sanctiones cupientes, & consequentia nomina rebus esse studentes, constituimus, vt tales donationes non augeantur tantum, sed etiam constante matrimonio initium accipiant: & non ante nuptias, sed propter nuptias vocentur: & dotibus in hoc exaequentur, vt

---

Pater noster) sc. adoptiuus, erat enim hic auunculus.

Sua constitutione) in *d. l.* 19. *C. de Don. ante nupt.*

Consequentia nomina) Sed ita commodius eam vocasset Imperator *donationem propter dotem.* Vti etiam graece ἀντιφέρνη s. *contrados*, das Gegenvermächtniß, appellatur.

Constituimus) in *l. vlt. C. d. t.*

Exaequentur) Ita etiam fructus donationis propter nuptias, sicvt ipsius dotis, percipit maritus durante

vt quemadmodum dotes constante matrimonio non solum augentur, sed etiam fiunt; ita & istæ donationes, quæ propter nuptias introductæ sunt, non solum antecedant matrimonium, sed eo etiam contracto augeantur & constituantur.

De iure accrescendi.

4. Erat olim & alius modus ciuilis acquisitionis, per ius accrescendi. Quod est tale: Si communem seruum habens aliquis cum Titio, solus libertatem ei imposuerit vel vindicta, vel testamento: eo casu pars eius amittebatur, & socio accrescebat. Sed cum pessimum fuerat exemplo, & libertate seruum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, sævioriviori-

durante matrimonio. Dn. Pagenstecher *ad Inst. h. t. n.* 75. Et eo dissoluto donationem hanc cum dote consequitur; verum hanc ex lege, illam ex pacto L. *fin. pr. C. d. t.* Differt ab hac donatione dotalitium, ein Leibgeding, quo vxor post mortem mariti, quadruplicatas dotis vsuras ex bonis mariti ad dies vitæ percipit. Sed hoc eligendo, amittit dotem cum donatione propt. nupt. Dn. Parens *de Success. ab Int. Diss.* 4. c. 2. §. 19. *seqq.*

Ad §. 4. *Socio accrescebat)* Quia pro parte liber esse non poterat. Alias ius accrescendi inter viuos non obtinet. L. 110. *pr. ff. de V. O.* Nisi si duobus quid a principe donatum, & alter sine herede decesserit. L. *vn. C. Si liberal. Imp. soc. sint. her. dec.*

vioribus autem dominis lucrum accedere: hoc quasi inuidia plenum, pio remedio, per nostram constitutionem mederi, necessarium duximus, & inuenimus viam, per quam & manumissor, & socius eius, & qui libertatem accepit, nostro beneficio fruantur, libertate cum effectu procedente, cuius fauore antiquos legumlatores multa etiam contra communes regulas statuisse manifestum est, & eo, qui eam libertatem imposuit, suæ liberalitatis stabilitate gaudente, & socio indemni conseruato pretiumque serui secundum partem dominii, quod nos definivimus, accipiente.

TITV-

Nostram constitutionem) Quæ est in *l.* 1. *C. de comm. seru. man.* Medela hæc erat: tenebatur alter condominus suam serui partem alteri, manumittere volenti, vendere *d. l.* 1. §. 1. vbi ne nimium exigat, certa taxa ab Imp. statuta in *d. l.* 1. §. 5.

Cuius fauore) A libertate ad piam causam procedit argumentum. Euerh. *top. leg. loc. a libertate.* Hinc & huius fauore a regulis iuris discedit ius canonicum & praxis, Manz. *Special. iur. voc. Pia causs.* Tiraquell. *Tract. de Priuileg. piæ causa.*

TITV-

TITVLVS VIII.
QVIBVS ALIENARE LICET, VEL NON LICET.

Summa tituli. De marito qui fundum dotalem alienare nequit.

ACcidit aliquando, vt qui dominus rei sit, alienare non possit: & contra, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat. Non dotale prædium maritus, inuita muliere, per legem Iuliam prohibetur alienare, quamuis ipsius sit, dotis causa

---

TITVLVS VIII.

Ad pr. *Non possit*) Vtut alias quilibet rei suæ moderator sit & arbiter *l.* 21. *C. mand.* sc. quia lex alienationem impedit.

Habeat) ex permissu legum.

Dotale prædium) Nisi *æstimato* in dotem datum *l.* 10. §. 4. *l.* 16. *de Iure dot.* modo tamen illa æstimatio venditionis, non taxationis causa facta, aut conuentum, vt prædium restituatur *l.* 96. §. 7. *ff.* & *l.* 5. & 21. *C. eod.* Aliud etiam in rebus dotalibus mobilibus L. 3. *C. de Iure dot. l.* 3. §. 2. *ff. de suis & legitim. Auth. Si a me* §. 1. *C. ad SC. Vellei.*

Ipsius sit) Itaque maritus est dominus dotis, sc. *ciuilis*, vt re dotali frui, eamque libere administrare, imo & vindicare possit L. *doce ancillam.* 9. *C. de R. V. l.* 1. §. 1. *l.* 13. §. 2. *de fund. dot.* Dominium tamen *naturale* penes vxorem remanet, sed eius effectus demum se exerit soluto matrimonio. L. 30. *C. de Iure dot.* Hinc repetere dotem nequit duran-

causa ei datum, quod nos, legem Iuliam corrigentes, in meliorem statum deduximus. Cum enim lex in solis tantummodo rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant & alienationes inhibebat, quæ inuita muliere fiebant, hypothecas autem earum rerum, etiam volente ea: vtrique remedium imposuimus, vt etiam in eas res, quæ in prouinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio, vel obligatio. Vt neutrum eorum neque consentientibus mulieribus procedat: ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur.

Creditor alienare pignus potest.

1. Contra autem creditor pignus ex pactione, quamuis eius ea res non sit, alienare

---

durante matrimonio, nisi maritus ad inopiam vergat L. 29. *C. eod.*

Dotis causa) Ad ferenda matrimonii onera L. 20. *C. eod.* Si simpliciter tantum ei datum ab vxore, iure paraphernalium censetur, quia dotis constitutio est facti.

Etiam volente ea) Quia facilius in oppignorationem, quam alienationem consentire solent; cum illic non adsit præsens amittendæ rei periculum.

Neque consentientibus) Quia hic consensus blanditiis maritalibus censetur elicitus. De iure canonico tamen & moribus sufficit, si vxor iurato consenserit *c. 28. X. de Iureiur.*

Ad §. 1. *Ex pactione*) Itaque ad pacta debitoris

nare poteſt. Sed hoc forſitan ideo videtur fieri, quod voluntate debitoris intelligitur pignus alienari, quia ab initio contractus pactus eſt, vt liceret creditori pignus vendere, ſi pecunia non ſoluatur. Sed ne creditores ius ſuum perſequi impedirentur, neque debitores temere ſuarum rerum dominium amittere viderentur; noſtra conſtitutione conſultum eſt, & certus modus impoſitus eſt, per quem pignorum diſtractio poſſit procedere: cuius tenore vtrique parti, creditorum & debitorum, ſatis abundeque proviſum eſt.

Pupillus ſine Tutore non alienat.

2. Nunc admonendi ſumus, neque pupillum, neque pupillam, vllam rem, ſine tutoris auctoritate, alienare poſſe. Ideoque ſi

ris & creditoris, reſpiciendum. Aut enim conventum, vt pignus vendatur, aut, ne vendatur, aut nihil conuentum. Primo & tertio caſu ſimplici, ſecundo, intra denunciatione opus eſt L. 4. *ff. de pign. act.* pactum vero commiſſorium in pignoribus prohibitum *l. fin. C. de pact. pign.*

Conſtitutione) quæ eſt in *l. vlt. C. de Iur. domin. impetr.* qua ſancitum, vt facta denunciatione & ſubſecuta ſententia iudicis, poſt triennii ſpatium res creditori addicatur. Vbi tamen poſt illam addictionem debitor adhuc intra biennium res ſuas recuperare poteſt *d. l. vlt.* Quibus ambagibus hodie non eſt opus, ſi pignora iudicialiter diſtrahantur.

Ad

ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit; non contrahit obligationem: quia pecuniam non facit accipientis: ideoque vindicari nummi poſſunt, ſicubi extant. Sed ſi nummi, quos mutuo minor dederit, ab eo, qui accepit, bona fide conſumti ſunt; condici poſſunt: ſi mala fide, ad exhibendum de his agi poteſt. At ex contrario omnes res pupillo & pupillæ ſine tutoris auctoritate recte dari poſſunt. Ideoque ſi debitor pupillo ſoluat, neceſſaria eſt debitori tutoris auctoritas; alioqui non liberabitur. Sed hoc etiam euidentiſſima ratio-

---

Ad §. 2. *Condici poſſunt*) Non quod conſumtio ſit modus transferendi dominii, ſed quia per conſumtionem excluditur vindicatio; & hinc, ne deſtituatur actione, pro mutuo habetur, & condictio certi locum habet *l.* 19. §. 1. *ff. de reb. cred.* idem ſi nummi alieni mutuo dati *l.* 11. §. *f. l.* 12. *&* 13. *ff. eod.*

Ad exhibendum) H. e. vtiliter vindicari posſunt, nam ob dolum finguntur extare *l.* 131. *ff. de R. I.* inde & actio ad exhibendum contra eum datur, qui dolo malo poſſidere deſiit *l.* 9. *pr. ff. ad exhib.*

Omnes res) Quæ pupillo non debentur; quia in his conditionem ſuam deteriorem reddere nequit.

Non liberabitur) Quia per ſolutionem tollitur prior obligatio *l.* 22. *de ſolut.* Et ſic ius aliquod amittitur, per conſequens tutoris auctoritas accedere debet.

In

ratione statutum est in constitutione, quam ad Cæsarienses advocatos ex suggestione Triboniani viri eminentissimi, quæstoris sacri palatii nostri, promulgauimus: qua dispositum est, ita licere tutori vel curatori debitorem pupillarem soluere, ut prius iudicialis sententia, sine omni damno celebrata, hoc permittat: Quo subsecuto, si & iudex pronunciauerit, & debitor solverit, sequatur huiusmodi solutionem plenissima securitas. Sin autem aliter, quam disposuimus, solutio facta fuerit, pecuniam autem saluam habeat pupillus, aut ex ea locupletior sit, ex adhuc eandem pecuniæ summam petat, per exceptionem doli mali poterit submoueri. Quod si male consumserit, aut furto aut vi amiserit, nihil proderit debitori doli mali exceptio, sed

In constitutione) Quæ est in *l. 25. C. de admin. tut.*

Plenissima securitas) Nam hac ratione nec pupillo nec minori restitutio datur *l. 7. §. 2. ff. de Minor.* Quæ alias daretur, si non in pupilli vtilitatem versa pecunia *l. 1. C. si aduers. sol.* Pensiones tamen annuæ, mercedes conductionis, item vsuræ, tutori secure solui possunt *l. 27. C. de peric. tut.*

Doli mali) Nam bona fides non patitur, vt bis idem exigatur, vel cum alterius damno alter locupletior fiat *l. 57. & l. 206. de R. I.*

ſed nihilominus condemnabitur: quia temere ſine tutoris auctoritate, & non ſecundum noſtram diſpoſitionem ſoluerit. Sed ex diuerſo, pupilli vel pupillæ ſoluere ſine tutoris auctoritate non poſſunt: quia id, quod ſoluunt, non fit accipientis: cum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit.

Titvlvs IX.
C. IV. 27.
PER QVAS PERSONAS CVIQVE ADQVIRITVR.

Summa tituli.

Adquiritur vobis non ſolum *per voſmetipſos*, ſed etiam *per eos, quos in poteſtate habetis:* item per *ſeruos*, in quibus vſumfructum habetis: item per *homines liberos* & per *ſeruos alienos*, quos bona fide poſ-

Sine tutoris) Imo rem *immobilem* nec cum tutoris auctoritate alienare poteſt, ſed decretum magiſtratus requiritur. *tit. C. de Reb. min. ſine decret. non alien.*

Accipientis) Sed poſſunt vindicari vel condici, *L. 14. §. vlt. de Solut. l. 29. de cond. indeb.*

TITVLVS IX.

Ad pr. *Adquiritur*) Vinculum poteſtatis tribuit nobis ius adquirendi, non vero illis, quos in poteſtate habemus, ius nos obligandi. Cum alterius conditionem deteriorem reddere non liceat, ſed tantum meliorem *l. 39. de Neg. geſt.*

Ad

possidetis: de quibus singulis diligentius dispiciamus.

De liberis in potestate.

1. Igitur liberi vestri, vtriusque sexus, quos in potestate habetis, olim quidem quicquid ad eos peruenerat, exceptis videlicet castrensibus peculiis, hoc parentibus suis adquirebant sine vlla distinctione, & hoc ita parentum fiebat, vt etiam esset eis licentia, quod per vnum vel vnam eorum adquisitum esset, alii filio vel extraneo donare, vel vendere, vel quocunque modo voluerant, applicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali constitutione emissa, & liberis pepercimus, & parentibus honorem debitum reseruauimus. San-

Ad §. 1. *In potestate*) Emancipati ergo omnia sibi acquirunt.

Castrensibus peculiis) Peculium est pusilla pecunia, quam filiusfam. a rationibus paternis separatam habet *l. 5. §. 3. & 4. ff. de Pecul.* Castrense peculium est, quod occasione militiæ accepit, vel per militiam adquisiuit, veluti ex stipendiis aut præda *l. 11. ff. de Castr. pecul.* Quasi castrense dicitur, quod artibus liberalibus adquisiuit, *l. vlt. C. de inoff. test.* quia literati militibus comparantur *l. 14. C. de Aduoc. diuers. iudicior.* Et huc etiam donata a Principe pertinent. per *l. 7. C. de bon. quæ lib.*

Constitutione) Quæ est in L. 6. C. *de bon. quæ lib.*

Ex

Sancitum etenim a nobis est, vt, *si quid ex re patris* ei *obueniat*, hoc secundum antiquam obseruationem totum parenti adquiratur. Quae enim inuidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reuerti? Quod autem *ex alia causa sibi filius familias adquisiuit, huius vsumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud*

Ex re patris) Hoc dicitur peculium *profectitium.* Ex re patris autem illud non modo prouenire dicitur, quod a patre habet filius, sed & quod aliunde accepit, intuitu patris *d. l. 6. & l. 21. seq. de Vsufr.*

Totum parenti) Quoad proprietatem & vsumfructum.

Ex alia causa) Veluti ex operis suis illiberalibus aut donatione extranei, aut iure hereditario. Id quod dicitur peculium *aduentitium.*

Vsumfructum patri) Sunt tamen casus, vbi filius non proprietatem modo, sed & vsumfructum in hoc peculio habet. (1) Si quid filio ea conditione datum, vt ad patrem vsusfructus non transeat *Auth. Excipitur c. de bon. qua lib.* (2) Si pater & filius in hereditate alterius filii concurrat, aut vterque simul heres institutus. *Auth. hereditas c. eod.* (3) Si filius hereditatem adquirat, in cuius aditionem pater consentire noluit *l. f. pr. & §. 1. c. d. t.* (4) Si quid ad liberos peruenerit, ob iniustum parentis diuortium. *Auth. Idem est C. d. t.* (5) Si vsusfructus a patre remissus *l. 6. §. 2. C. eod.* (6) Referunt eo pecuniam lustricam, das Pathen-Geld. Et hoc peculium dicitur aduentitium *extraordinarium*, seu *irregulare.*

Ad

pud eum remaneat: ne quod ei ſuis laboribus vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perueniens, luctuoſum ei procedat.

De emancipatione liberorum.

2. Hoc quoque a nobis diſpoſitum eſt, & in ea ſpecie, vbi parens emancipando liberos ſuos, ex rebus, quæ adquiſitionem effugiebant, ſibi tertiam partem retinere. ſi voluerat, licentiam ex anterioribus conſtitutionibus habebat, quaſi pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, vt filius rerum ſuarum ex hac emancipatione dominio pro parte tertia defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quod ſui iuris effectus eſſet, hoc per rerum deminutionem decreſceret. Ideoque ſtatuimus, vt parens pro tertia parte dominii, quam retinere poterat, dimidiam non dominii rerum, ſed vſusfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium rema-

Ad §. 2. *Adquiſitionem effugiebant*) Sc. quoad proprietatem. Nam intelliguntur hic bona adventitia; Non vero peculium caſtrenſe vel quaſi *l. 6. §. 3. C. d. t.* add. *l. 1. C. de bon. mat. l. 1. 2. & 3. E. de bon. quæ lib.*

Statuimus) in *d. l.* 6. §. 3.

Retineat) Hodie liberis emancipandis omnia bona aduentitia pleno iure reſtituenda, neque vſumfructum pater retinet, Carpz. *P.* 2. *C.* 10. *d.* 5.

remanebunt, & pater ampliore ſumma fruetur, pro tertia, dimidia potiturus.

De ſeruis noſtris.

3. Item vobis adquiritur, quod ſerui veſtri ex traditione nanciſcuntur: ſiue quid ſtipulentur, ſiue ex donatione, vel ex legato vel ex qualibet alia cauſa adquirant. Hoc enim vobis & ignorantibus & inuitis obuenit. Ipſe enim ſeruus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt. Sed ſi heres inſtitutus ſit, non alias, niſi veſtro iuſſu, hereditatem adire poteſt. Et ſi vobis iubentibus adierit, vobis hereditas adquiritur, perinde ac ſi vos ipſi heredes inſtituti eſſetis: & conuenienter ſcilicet vobis legatum per eos adquiritur. Non ſolum autem proprietas per eos, quos in poteſtate habetis, vobis adquiritur; ſed etiam poſſeſſio: cuiuscunque enim rei poſſeſſionem adepti fuerint, id vos poſ-

---

Ad §. 3. *Ignorantibus & inuitis*) Si voluntas domini generaliter præceſſerit, vt in conceſſione peculii *l.* 1. §. 5. *ff. de acqu. poſſ.* alias inuito vel res vel poſſeſſio adquiri nequit *l.* 3 §. 12. & *l.* 44. §. 1. *ff. eod.* Si extra peculium ſeruus domino inuito quid adquirat, dominus id repudiare poteſt *l.* 46. *ff. de pact.*

Veſtro iuſſit) Ne dominum ære alieno implicet *l.* 8. *de adqu. hered.*

Vobis legatum) Etiam *ignorantibus*, quia in legato nullus metus æris alieni *l.* 22. *ff. Mand.*

Ad

possidere videmini. Vnde etiam per eos vsucapio, vel longi temporis possessio vobis accidit.

De fructuariis & bona fide possessis.

4. De iis autem seruis, in quibus tantummodo vsumfructum habetis, ita placuit, vt, quicquid ex re vestra, vel ex operis suis adquirunt, id vobis adiiciatur; quod vero extra eas caussas consecuti sunt, id ad dominum proprietatis pertineat. Itaque si is seruus heres institutus sit, legatumue quid ei, aut donatum fuerit; non vsufructuario, sed domino proprietatis adquiritur. Idem placet & de eo, qui a vobis bona fide possidetur, siue is liber sit, siue alienus seruus. Quod enim placuit de vsufructuario, idem placet & de bonae fidei possessore. Itaque quod extra istas duas caussas adquiritur, id vel ad ipsum pertinet, si liber est; vel ad dominum, si seruus est. Sed bonae fidei possessor, cum vsuceperit seruum, quia eo modo dominus fit, ex omnibus caussis per eum sibi adquirere potest, fructuarius vero vsucapere non potest: primum, quia non possidet, sed habet ius

Ad §. 4. *Re vestra vel ex operis*) Hoc aliquo modo adplicari potest nostris seruis. Nam & illi nobis, non nisi ex re nostra aut suis operis, quatenus eas nobis locarunt, adquirunt.

Non possidet) Sc. *ciuiliter*, cum animo sibi habendi; vtut naturaliter possideat, h. e. rem detineat. L. 12. & 40. *ff. de Adqu. poss.*

ius vtendi fruendi: deinde quia ſcit, ſeruum alienum eſſe. Non ſolum autem proprietas per eos ſeruos, in quibus vſumfructum habetis, vel quos bona fide poſſidetis, aut per liberam perſonam, quæ bona fide vobis ſeruit, vobis acquiritur; ſed etiam poſſeſſio. Loquimur autem in vtriusque perſona ſecundum diſtinctionem, quam proxime expoſuimus: id eſt, ſi quam poſſeſſionem ex re veſtra, vel ex ſuis operis adepti fuerint.

De perſonis liberis.

5. Ex his itaque apparet, per liberos homines, quos neque veſtro iuri ſubiectos habetis, neque bona fide poſſidetis, item per alienos ſeruos, in quibus neque vſumfructum habetis, neque poſſeſſionem iuſtam, nulla ex cauſa vobis adquiri poſſe. Et hoc eſt, quod dicitur, per extraneam perſonam nihil adquiri poſſe: excepto eo, quod per liberam perſonam, veluti per procuratorem, placet, non ſolum ſcientibus, ſed & ignorantibus vobis, adquiri poſſeſſionem, ſecundum diui Seueri conſtitu-

---

Ad §. 5. *Nulla ex cauſa*) Niſi in quantum operas ſuas nobis locarunt.

Ignorantibus) Sc. ſpecialiter; ſufficit enim in genere hunc procuratorem conſtituiſſe, vid. *l.* 13. *ff. de Acquir. rer. dom.*

Conſtitutionem) quæ extat in *l.* 1. *C. de adquir. poſſeſſ.*

Vſu-

ſtitutionem: & per hanc poſſeſſionem etiam dominium, ſi dominus fuerit, qui tradidit: vel vſucapionem, aut longi temporis præſcriptionem, ſi dominus non ſit.

Tranſitio.

6. Hactenus tantiſper admonuiſſe ſufficiat, quemadmodum ſingulæ res vobis adquirantur. Nam legatorum ius, quo & ipſo ſingulæ res vobis adquiruntur, item fideicommiſſorum, vbi ſingulæ res vobis relinquuntur, opportunius inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per vniuerſitatem res vobis adquirantur. Si cui ergo *heredes (1) facti ſitis*, ſiue (2) cuius *bonorum poſſeſſionem* petieritis, vel ſi (3) *quem adrogaueritis*, vel (4) ſi *cuius bona libertatum* conſeruandarum cauſa vobis

---

Vſucapionem) Sed non niſi ſcienti *d. l.* 1. & *l.* 49. §. *fin. ff. eod.*

Ad §. 6. *Per vniuerſitatem*) Ita dicitur, quia non tantum res alterius, ſed & iura omnia, tam actiua quam paſſiua conſequimur, quod præcipue contingit in *hereditate* & *adrogatione*.

Libertatum conſeruandarum) Hoc ita contingebat; quando teſtator obæratus, variis ſeruis libertatem teſtamento dederat, heres ſcriptus vero ob æs alienum hereditatem repudiabat, tunc ne perirent libertates, alicui ex ſeruis, quibus libertas relicta, addicebantur bona defuncti, oblata cautione, quod creditoribus ſatisfacere velit. vid. infra *l.* 3. *tit.* 12.

vobis addicta fuerint; eius res omnes ad vos transeunt. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex conditio est: Nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent. Et prius est, vt de his dispiciamus, quæ ex testamento vobis obueniunt. Qua in re necessarium est, initium de ordinandis testamentis exponere.

TITVLVS X.

D. XXIIX. 1. C. VI. 22. 23.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

Etymologia.

TEstamentum *ex eo appellatur*, *quod testatio mentis sit.*

De antiquis modis testandi ciuilibus.

1. Sed vt nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem *duo genera* testamentorum in vsu fuisse: quorum altero in pace & otio vtebantur, quod

---

TITVLVS X.

Ad pr. *Testatio mentis*) Non definitio est, sed allusio; vbi regula non valet, nisi negatiue. Definitur in *l*. 1. *ff. h. t.* quod sit voluntatis nostræ *iusta* sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult. Vbi *iusta* est illa, quæ legibus conformis est, & sic quoque heredis institutionem tacite c.ntinet.

Ad

quod *calatis comitiis* appellabant: altero, cum in prælium exituri essent, quod *procinctum* dicebatur. Accessit deinde tertium genus testamentorum, quod dicebatur *per æs & libram:* scilicet, quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emtor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in desuetudinem abierunt. Quod vero per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim & hoc in vsu esse desiit.

De ratione testandi prætoria.

2. Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad ius ciuile referebantur: postea vero ex edicto prætoris forma alia faciendorum testamentorum introducta est.

Ad §. 1. *Comitiis*) In huius locum successit testamentum Principi vel iudici oblatum, quod etiam *publicum* dicitur. Et nullam requirit solennitatem vel testes, cum præsentia Principis suppleat omnem solennitatem & acta iudicis faciant fidem sine testibus L. 19. *C. h. t.* Non dubito eodem iure censendum testamentum in comitiis imperii oblatum.

Familiæ emtor) Qui his verbis vtebatur: *Huius ego familiam, quæ mihi empta est hoc ære, æneaque libra, iure Quiritium meam esse aio.* vid. Rosinus *Antiqu. Rom. l.* 8. *c.* 6.

eſt. Iure etenim honorario nulla emancipatio deſiderabatur, ſed ſeptem teſtium ſigna ſufficiebant, cum iure ciuili ſigna teſtium non eſſent neceſſaria.

De coniunctione iuris Ciuilis & prætorii.

3. Sed cum paulatim tam ex vſu hominum, quam ex conſtitutionum emendationibus, cœpit in vnam conſonantiam ius ciuile & prætorium iungi, conſtitutum eſt (1) *vt vno eodemque tempore*, quod ius ciuile quodammodo exigebat, (2) *ſeptem teſtibus* adhibitis, (3) *& ſubſcriptione teſtium*, quod ex conſtitutionibus inuentum eſt, & ex edicto *prætoris* (4) *ſignacula teſtamentis* imponerentur: ita vt hoc ius tripartitum eſſe videatur: & teſtes quidem, & eorum

---

Ad §. 2. *Neceſſaria*) Sc. in teſtamento per æs & libram.

Ad §. 3. *Septem teſtibus*) Quia in teſtamento per æs & libram 7. fuerunt, 5. ſc. teſtes, ciues Romani, libripens, & emtor. Nam ad imitationem illius teſtamenti hoc introductum §. 10. *infra h. t.* Sub ſeptem teſtibus, etiam qui ſcripſit, numeratur *L. Domitius* 27. *ff. h. t.* Plures quam 7. teſtes non vitiant teſtamentum *l.* 21. *pr. ff. h. t.* Teſtes autem *rogati* eſſe *d. l.* 21. §. 2. *& l.* 21. *C. h. t.* & teſtatorem videre debet. *l.* 9. *&* 12. *C. h. t.* nec inuiti detinendi *l.* 20. §. *fin. ff. h. t.*

Subſcriptione teſtium) Propria manu facta *l.* 30. *ff. h. t.* Si vnus ſcribere neſciat, alter eius nomine ſubſcribit *l. fin. C. h. t.*

Vno

rum præsentia, vno contextu, testamenti celebrandi gratia, a iure ciuili descendant: *subscriptiones* autem (5) *testatoris*, & testium, ex sacrarum constitutionum obseruatione adhibeantur: signacula autem, & testium numerus, ex edicto prætoris.

Solennitas addita a Iustiniano.

4. Sed his omnibus a nostra constitutione propter testamentorum sinceritatem, vt nulla fraus adhibeatur, hoc additum est: (6) vt per *manus testatoris, & testium, nomen heredis exprimatur*, & omnia secundum illius constitutionis tenorem procedant.

De annulo.

5. Possunt autem omnes testes & vno annulo signare testamentum: quid enim, si se-

---

Vno contextu) Quia actus solennes vno contextu fieri debent, *l.* 137. *ff. de V. O.* Sed hoc de solennitatibus intelligendum, nam testamentum diuerso tempore scribi potuit. *l.* 21. *pr. C. h. t.* Actus *extraneus* interueniens, qui non est *naturæ* & *necessitatis*, vitiat testamentum *l.* 28. *C. h. t.*

Testatoris) Quodsi hic litterarum imperitus, octauum testem adhibet *l.* 21. *C. de Testam.* Si testamentum a testatore propria manu scriptum, & hoc testamento expressum, subscribere illud non tenetur *l.* 28. §. *fin. C. h. t.*

Ad §. 4. *Nomen heredis*) Hoc postea iterum sublatum *Nou.* 119. *c.* 9.

Ad §. 5. *Annulo*) Non præcise annulo, sed &

ſi ſeptem annuli vna ſculptura fuerint, ſecundum quod Papiniano viſum eſt? ſed & alieno quoque annulo licet ſignare teſtamentum.

Qui teſtes eſſe poſſunt.

6. Teſtes autem adhiberi poſſunt ii, *cum quibus teſtamenti factio eſt.* Sed neque *mulier*, neque *impubes*, neque *ſeruus*, neque *furioſus*, neque *mutus*, neque *ſurdus*, neque is, cui bonis interdictum eſt, neque ii, quos leges iubent *improbos inteſtabilesque* eſſe, poſſunt in numerum teſtium adhiberi.

De

---

alio ſigno, modo χαρακτῆρα habeat. L. 22. §. 5. *h. t.* in quo textu omiſſa particula *non.*

Ad §. 6. *Teſtamenti factio*) Tantum *paſſiua*; h. e. qui ipſi aliquid ex teſtamento capere poſſunt. *Vid.* §. 4. *infra de hered. qual. & diff. l.* 16. *pr. ff. h. t.*

Mulier) Vera ratio eſt, quia hoc teſtamentum ſucceſſit in locum teſtamenti per æs & libram §. 10. *h. t.* in hoc autem nulla femina interueniebat. Quæ ratio cum in codicillis ceſſet, hinc etiam feminæ admittuntur; vt & in reliquis teſtamentis priuilegiatis.

Surdus) Neque cæcus; quia teſtis videre teſtatorem debet. L. 9. *C. h. t.* ad euitandum periculum ſubordinationis.

Inteſtabilesque) Inteſtabilis eſt, qui nec ipſe teſtimonium dicere, nec ipſi teſtimonium dici poteſt *l.* 26. *ff. h. t.* vt damnati ob libellum famoſum *l.* 18. §. 1. *ff. h. t.* ob adulterium *l.* 14. *ff. de teſtib.* ob crimen repetundarum *l.* 15. *ff. eod.* hæretici *Auth. Credentes C. de Hæret.* Apoſtatæ *L.* 3. *C. de Apoſt.*

Ad

De seruo, qui liber existimabatur.

7. Sed cum aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem seruus apparuit, tam diuus Adrianus Catoni, quam postea diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, subuenire se ex sua liberalitate testamento, vt sic habeatur firmum, ac si, vt oportebat, factum esset, cum eo tempore, quo testamentum signaretur, omnium consensu hic testis liberi loco fuerit, neque quisquam esset, qui status ei quæstionem moueret.

De pluribus testibus ex eadem domo.

8. Pater, nec non is, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vtique testes in vno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi.

De

Ad §. 7. *Existimabatur*) Error hic non ius facit, sed vt actus b. f. gestus subsistat, efficit. Aliud exemplum in *l.* 3. *ff. de Offic. Prat.*

Postea autem) Itaque habilitas personæ tantum tempore actus gesti requiritur. *c.* 73. *de R. I. in 6to.*

Ad §. 8. *Domo*) S. familia *l.* 6. *pr. ff. quod cuiusque vniuersit. nom.* Coniunctio ergo testium inter se non vitiat testimonium. Nam in testamento extranei nulla suspicio fraudis locum habet. *l.* 17. *ff. de test.*

Ad

De familia testatoris.

9. In testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est. Sed si filiusfamilias de castrensi peculio post missionem faciat testamentum: nec pater eius recte adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris est: *reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium.*

De testibus heredi coniunctis.

10. Sed neque *heres scriptus*, neque *is, qui in potestate eius* est, neque *pater* eius, qui eum habet in potestatem, neque *fratres*, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter testatorem & heredem agi. Licet autem totum ius tale conturba-

---

Ad §. 9. *In potestate testatoris*) Ergo illud domesticum testimonium hic tantum prohibetur, quod ratione potestatis est, inde reliqui domestici, veluti famuli, coloni mercenarii, testes esse possunt.

Post missionem) Aliud si ante missionem iure militari testetur *l.* 20. §. 2. *ff. h. t.*

In potestate eiusdem) E. aliud sanguinis vinculum non impedit testimonium; Quod tamen impedit in testimoniis iudicialibus inter viuos L. 9. *ff.* & *l.* 6. *C. de testib.* Scilicet quia in testamentis non agitur de lucro testatori quaerendo, & hinc nulla fraudis suspicio.

Ad §. 10. *Inter testatorem & heredem*) h. e. totum negotium a testatore, heredis causa, suscipitur. *Con-*

turbatum fuerat, & veteres quidem familiæ emtorem, & eos, qui per poteſtatem ei coniuncti fuerant, a teſtamentariis teſtimoniis repellebant: heredi autem, & iis, qui per poteſtatem ei coniuncti fuerant, concedebant, teſtimonia in teſtamentis præſtare: licet ii, qui id permittebant, hoc iure minime abuti eos debere ſuadebant: tamen nos eandem obſeruationem corrigentes, & quod ab illis ſuaſum eſt, in legis neceſſitatem transferentes, ad imitationem priſtini familiæ emtoris, merito nec heredi, qui imaginem vetuſtiſſimi familiæ emtoris obtinet, neque aliis perſonis, quæ ei, vt dictum eſt, coniunctæ ſunt, licentiam concedimus, ſibi quodammodo teſtimonia præſtare, ideoque nec eiusmodi veteres conſtitutiones noſtro codici inſeri permiſimus.

De legatarii teſtimonio.

11. *Legatariis* autem & *fideicommiſſariis, quia non iuris ſucceſſores ſunt*, & aliis perſonis

---

Coniunctæ) Ergo non tantum poteſtatis vinculum huic teſtimonio obſtat, vti quidem ex verbis prioribus videbatur, ſed in genere coniunctio, ſcilicet proxima. Alias enim inter hunc & præcedentem §. non eſſet differentia; cum tamen diuerſa plane ratio adſit. Hinc & hodie pater in teſtamento, in quo filius emancipatus heres inſtitutus, non poteſt eſſe teſtis, Carpz. *P.* 3.*C.*3.*d.*7.

Ad §. 11. *Non iuris*) Sc. vniuerſi. Sunt enim tantum

ſonis eis coniunctis, teſtimonium non denegamus. Imo in quadam noſtra conſtitutione & hoc ſpecialiter eis conceſſimus. Et multo magis iis, qui in eorum poteſtate ſunt, vel qui eos habent in poteſtate, huiusmodi licentiam damus.

De materia, in qua ſcribitur teſtamentum.

12. Nihil autem intereſt, teſtamentum in tabulis, an in chartis, membranisue, vel in alia materia fiat.

De pluribus codicibus.

13. Sed & vnum teſtamentum pluribus codicibus conficere quis poteſt, ſecundum obtinentem tamen obſeruationem omnibus factis, quod interdum etiam neceſſarium eſt: veluti ſi quis nauigaturus, & ſecum ferre, & domi relinquere iudiciorum ſuorum conteſtationem velit: vel pro-

tantum ſucceſſores ſingulares. Idem ad teſtamentum nuncupatiuum extenditur, cum & ibi eadem militet ratio.

Non denegamus) Quia totum hoc negotium non inter teſtatorem & legatarium, ſed teſtatorem & heredem agitur.

Ad §. 13. *Pluribus codicibus*) Imo etiam duo teſtamenta in vno codice ſcribi poſſunt. Vti fit in teſtamentis coniugum reciprocis.

Obtinentem tamen obſeruat,) H. e. vt debita ſolennia vtrobique adhibeantur. Alias non erit teſtamentum authenticum vid. *l.* 47. *ff. de leg.* 2. ſed tantum copia, ſeu exemplum; vti vocatur in L. 4. §. *fin. ff. fam. herc.*

Ad

propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent.

De testamento nuncupatiuo.

14. Sed hæc quidem de testamentis, quæ scriptis conficiuntur, sufficiunt: si quis autem sine scriptis voluerit ordinare iure ciuili testamentum, *septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nuncupata*, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciuili, firmumque constitutum.

Titvlvs XI.
D. XXIX. 1. C. VI. 12.
DE MILITARI TESTAMENTO.

De

Ad §. 14. *Septem testibus*) Qui sermonem testatoris audire & intelligere debent L. 21. §. 2. *C. h. t.* aliud in scripto testamento L. 20. §. 9. *ff. h. t.* Hinc testamentum *mysticum* seu *relatiuum*, vbi testator heredis nomen non exprimit coram testibus, sed se refert ad certam schedulam, sua manu conscriptam, in testamento scripto quidem locum habet, non vero in nuncupatiuo.

TITVLVS XI.

Ad Rubr. *Militari*) Hoc summe priuilegiatum est: sunt vero plura priuilegiata, veluti: *parentum inter liberos*, quod nullos testes desiderat, sed solam scripturam patris cum anno & die L. 21. §. *fin. & Auth. Quod sine C. de testam.* item *ad pias causas*, quod duos tantum testes probationis causa requirit C. 11. *X. de testam.* In testamento *rusticorum* quinque tantum exiguntur, *L. fin. C. de testam.* Tempore *pestis* nihil de numero testium remissum,

sed

Hic solennitates remissæ.

SVpra dicta diligens obseruatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam eorum, constitutionibus Principalibus remissa est. Nam quamuis ii neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solennitatem obseruauerint, recte nihilominus testantur, videlicet, cum in expeditionibus occupati sunt, quod merito nostra constitutio introduxit. Quoquo enim modo voluntas eius suprema inueniatur, siue scripta, siue sine scriptura, valet testamentum ex voluntate eius. Illis autem tem-

tantum iungendi necessitas, hoc est vno tempore conuenire non tenentur L. 8. C. *d. t.* in praxi duo sufficiunt. Berlich. *P.* 3. *Concl.* 5. *n.* 37.

Ad pr. *Nimiam imperitiam*) Quia arma potius quam iura tractare debent *l.* 22. *C. de iure deliber.* Hæc vero ratio non sola est, sed præcipua consistit in eo, quod reip. causa tanta pericula sustinere teneantur. Hinc remisso periculo, priuilegium etiam remittitur.

Expeditionibus) Ita dicendum hodie: *in acie* quocunque modo, *in castris* coram duobus testibus, *in hybernis* iure communi eos testari posse *Const. Maximil. de Anno* 1512. *tit.* von Testamenten. §. Und sollen.

Nostra constitutio) quæ est in *l. pen. C. h. t.*

Quoquo enim modo) Etiamsi gladio in arenâ, vel literis sanguine rutilantibus in vagina scripserint L. 15. C. *h. t.*

Edi-

temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis, vel suis ædibus degunt, minime ad vindicandum tale priuilegium adiuuantur: sed testari quidem, etsi filiifamiliarum sint, propter militiam conceduntur; iure tamen communi: eadem obseruatione & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proxime exposuimus.

Rescriptum diui Traiani.

1. Plane de testamentis militum diuus Traianus Catilio Seuero ita rescripsit: *Id priuilegium, quod militantibus datum est, vt quoquo modo facta ab his testamenta rata sint, sic intelligi debet, vt vtique prius constare debeat, testamentum factum esse: quod & sine scriptura, & a non militantibus quoque fieri potest. Si ergo miles, de cuius bonis apud te quæritur, conuocatis ad hoc homi-*

Ædibus) Alii legunt *Sedibus* h. e. Statiuis.

Propter militiam) In bonis sc. castrensibus.

Ad §. 1. *Diuus Traianus*) Rescriptum hoc extat in L. 24. *ff. h. t.*

A non militantibus) Si sc. in hostico deprehendantur, & illic decedant, *L. fin. ff. h. t.* Hinc errat Theophilus negationem omittens; nam negatiue etiam legitur in *l. 2. ff. h. t.*

Conuocatis) Si sc. *nuncupatiue* testari velit: quia militis voluntas alias probari non potest. Hinc non opus est rogatione, sed sufficit, si forte fortuna homines adsint. arg. *l. fin. §. fin. C. de Codicill.*

 Ser-

hominibus, vt voluntatem ſuam teſtaretur. ita locutus eſt, vt declararet, quem vellet ſibi heredem eſſe, & cui libertatem tribueret: poteſt videri ſine ſcripto hoc modo eſſe teſtatus, & voluntas eius rata habenda eſt. Ceterum, ſi vt plerumque ſermonibus fieri ſolet, dixit alicui: ego te heredem facio, *aut:* Bona mea tibi relinquo; *non oportet hoc pro teſtamento obſeruari. Nec vllorum magis intereſt, quam ipſorum, quibus id privilegium datum eſt, eiusmodi exemplum non admitti: alioqui non difficulter poſt mortem alicuius militis teſtes exiſterent, qui adfirmarent, ſe audiſſe dicentem aliquem, relinquere ſe bona, cui viſum ſit: & per hoc vera iudicia ſubuerterentur.*

De ſurdo & muto.

2. Quinimo & mutus, & ſurdus miles teſtamentum facere poteſt.

De militibus & veteranis.

3. Sed hactenus hoc illis a principalibus conſtitutionibus conceditur, *quatenus militant, & in caſtris degunt.* Poſt miſſionem

---

Sermonibus) Ludicris, *Diſcurs*-weiſe; aliud ſi id ſermonibus ſeriis fiat.

Ad §. 2. *Mutus & ſurdus*) Scil. caſu talis factus *l.* 4. *ff. h. t.* Nam natura talis ne quidem miles eſſe poteſt. Sed illud intelligendum, ſi voluntatem ſuam explicare poſſit. L. 40. *pr. ff. h. t.*

Ad

nem vero veterani, vel extra castra alii, si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium ciuium Romanorum iure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum non communi iure, sed quomodo voluerint, post missionem intra annum tantum valebit. Quid si ergo intra annum quis decesserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit, an quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis.

De Testamento ante militiam.

4. Sed & si quis ante militiam non iure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione degens resignauit illud, & quædam adiecit, siue detraxit, vel alias ma-

---

Ad §. 3. *Veterani*) Tales dicuntur, qui per viginti annos stipendia meruerunt L. 8. *ff. de Excus. tut.*

Adhuc militantes) Si scil. extra castra degant quidem, sed adhuc in numero sint *l.* 42. *pr. ff. d. t.*

Missionem) Honestam *l.* 26. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.*

Intra annum) Quod hic de testamento militis specialiter constitutum, non potest applicari ad testamentum tempore pestis, vt vult Struu. *Exerc.* 32. *th.* 21. sed hoc perpetuo valet. Carpzou. P. 3. C. 4. D. 5.

Valere) Quia conditio retrotrahitur ad tempus mortis.

Ad §. 4. *Manifesta*) Ergo de militis voluntate, vel ex verbis, vel ex signo aut facto constare debet. L. 20, §. 1. & *l.* 25. *ff. h. t.*

manifesta est militis voluntas hoc valere volentis; dicendum est, valere hoc testamentum, quasi ex noua militis voluntate.

Si adrogatus vel emancipatus.

5. Denique & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emancipatus est, testamentum eius, quasi ex noua militis voluntate valet: nec videtur capitis deminutione irritum fieri.

De peculio quasi castrensi.

6. Sciendum tamen est, quod cum ad exemplum castrensis peculii, tam anteriores leges, quam principales constitutiones quibusdam quasi castrensia dederant peculia, & horum quibusdam permissum fuerat, etiam in potestate degentibus, testari: nostra id constitutio latius extendens, permiserit omnibus in huiusmodi peculiis testari quidem, sed iure communi. Cuius constitutionis tenore perspecto, licentia est, nihil eorum, quae ad praefatum ius pertinent, ignorare.

TITV-

Quasi ex noua militis) H. e. quasi iam demum, post adrogationem vel emancipationem, de nouo id factum esset.

Ad §. 5. *Et si in adrogationem*) Qua in re iterum differt hoc testamentum a testamentis solennibus paganis, haec enim etiam minima capitis deminutione irrita fiunt §. 4. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* non militaria *l.* 7. & 22. *ff. h. t.*

Ad §. 6. *Constitutio*) quae est in *l. fin. C. de inoff. testam.*

TI-

TITVLVS XII.

D. XXIIX. 1. C. VI. 22.

QVIBUS NON EST PERMISSUM FACERE TESTAMENTUM.

De filiofamilias.

NOn tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ii, *qui alieno iuri subiecti sunt*, testamenti faciendi ius non habent; adeo quidem, vt quamuis parentes eis permiserint, nihilo magis iure testari possint: exceptis iis, quos antea enumerauimus, & præcipue militibus, qui in potestate parentum sunt: quibus de eo, quod in castris acquisierunt, permissum est, ex constitutionibus Principum, testamentum facere. Quod quidem ius ab initio tantum militantibus datum est, tam ex auctoritate diui Augusti, quam Neruæ, neç

TITVLVS VII.

Ad pr. *Permiserint*) Est enim testamentum iuris publici *l.* 3. *ff. qui testam. fac. poss.* cui a priuato non potest derogari *l.* 38. *ff. de pact.* Nec pater suo consensu defectum a lege requisitum, vt sc. testator sit paterfam. supplere potest. Aliud ergo in donatione m. c. *l.* 25. §. 1. *ff. de don. mort. caus.* Quia ad eam non requirunt leges, vt sit paterfam.

Nihilo magis) Nisi pater eum emancipauerit. Quod sola contestatione coram iudice facere potest. Vid. supra §. 6. *quib. mod. ius patr. pot. solu.*

 Sub-

nec non optimi Imperatoris Traiani: postea vero ſubſcriptione diui Hadriani, etiam dimiſſis a militia, id eſt veteranis, conceſſum eſt. Itaque ſi quidem fecerint de caſtrenſi peculio teſtamentum, pertinebit hoc ad eum, quem heredem reliquerunt. Si vero inteſtati deceſſerint, nullis liberis vel fratribus ſuperſtitibus, ad parentes eorum iure communi pertinebit. Ex hoc intelligere poſſumus, quod in caſtris acquiſierit miles, qui in poteſtate patris eſt, neque ipſum (1) patrem adimere poſſe, neque (2) patris creditores id vendere, vel aliter (3) inquietare, neque (4) patre mortuo cum fratribus commune eſſe: ſed ſcil. proprium eius eſſe, qui id in caſtris acquiſierit: quamquam iure ciuili, omnium, qui in poteſtate parentum ſunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac ſeruorum peculia in bonis dominorum numeran-

Subſcriptione). S. Reſcriptio vid. L. 4. *ad L. Cornel. de Falſ.*

Vel fratribus). Hoc ita iure veteri, vbi parentes a fratribus excludebantur L. 4. *C. de bon. quæ lib.* Aliud iure nouo, vbi fratres cum parentibus æqualiter admittuntur. *Nou.* 118. *c.* 2.

Commune eſſe) H. e. non tenetur illud conferre. Cum profectitia tantum bona conferantur L. 17. *C. de Collat.*

Ciuili) Veteri §. 2. *Inſt. per quas perſ. cuique adqu.*

Præ-

rantur: exceptis videlicet iis, quæ ex sacris constitutionibus, & præcipue nostris, propter diuersas causas non adquiruntur. Præter hos igitur, qui castrense peculium, vel quasi castrense habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est: licet suæ potestatis factus decesserit.

De impubere & furioso.

1. Præterea testamentum facere non possunt impuberes; quia nullum eorum animi iudicium est. Item furiosi; quia mente carent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes, aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum,

---

Præter hos igitur) Ergo nec de peculio aduentitio irregulari testari potest *L. pen. C. h. t.* Bene tamen inter viuos disponere *Nou.* 117. *c.* 1. Quam de dispositione domestica, seu inter viuos, loqui, ex verbo διοικεῖν, patet. Vid. prolixe Dn. Hopp. *in Comment. h. l.*

Decesserit) Quæ enim ab initio vitiosa sunt, non possunt tractu temporis conualescere L. 29. *de R. I.*

Ad §. 1. *Impuberes*) Puberes tamen possunt, etiam sine consensu curatoris *l.* 4. *C. h. t.*

Mente carent) Hinc idem de mente captis dicendum *l.* 17. *ff. h. t.*

Et decesserit) Quia non modo tempus mortis, sed & tempus facti testamenti spectandum L. 1. *ff. de Reg. Caton. l.* 29. *ff. de R. I.*

tum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse videntur: certe eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamentum recte factum, neque vllum aliud negotium recte gestum, postea furor interueniens perimit.

De prodigo.

2. Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: sed id, quod ante fecerit, quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

De surdo & muto.

3. Item surdus & mutus non semper testamen-

Intermissus) Modo reuera intermiserit furor, nec latet sub specie inumbratæ quietis *l.* 18. §. 1. *ff. de Adqu. vel amitt. poss.*

Furor interueniens) Quia facti est, & sic quæ iuris sunt, non tollit *l.* 35. *&* *l.* 100. *de R. I.* Aliud si talia, quæ iuris sunt, superuenerint, veluti si seruus factus. §. 4. *Inst. quib. mod. testam. infirm. l.* 98. *de V. O.*

Ad §. 2. *Prodigus*) Nam & hic furiosum facit rerum suarum exitum *l.* 12. *in fin. ff. de Curat. & Tut. dat.*

Interdicta) Antea ergo potest *l.* 18. *pr. ff. h. t.*

Non potest) Nisi bene posteritati prospexerit & inter heredes ab intestato disposuerit *Nou. Leon.* 39. Quæ licet nouella Leonis sit, tamen recepta est. Aut nisi bonos mores receperit L. 1. *ff. de Curat. furios.*

Ad §. 3. *Non semper*) Hinc olim potestas a Prin-

ſtamentum facere poſſunt. Vtique autem de eo ſurdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit. Nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil poteſt, non qui tarde loquitur. Sæpe enim etiam litterati & eruditi homines variis caſibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Vnde noſtra conſtitutio etiam his ſubuenit, vt certis caſibus & modis ſecundum normam eius poſſint teſtari, aliaque facere, quæ iis permiſſa ſunt. Sed ſi quis poſt teſtamentum factum aduerſa valetudine, aut quolibet alio caſu mutus aut ſurdus eſſe cœperit, ratum nihilominus manet eius teſtamentum.

De

Principe impetranda L. 17. *ff. h. t.* Sed illud poſtea per nouam conſtitutionem in L. 10. *C. h. t.* ſublatum cenſetur, cum d. L. nihil amplius requiratur, quam vt vel diſcretum ſit infortunium; vel alias mutus & ſurdus ſuam ſententiam aliquo modo declarare poſſit.

Omnino non) Notabile eſt, quod in *d. l.* 10. dicitur: neminem tam ſurdum eſſe, vt non exaudiat, ſi quis ſupra cerebrum ipſius loquatur.

Tarde) Nam non ſunt neceſſaria in teſtatore momenta verborum, quæ forte balbutiens & ſeminecis lingua profudit L. 15. *C. de teſtam.* Modo intelligi poſſit; nam, *ſine intellectu*, articulate loquens mortuo ſimilis dicitur in L. 29. *C. eod.*

Noſtra conſtitutio) Quæ eſt in *d. l.* 10. *C. de teſtam.*

De cœco.

4. Cœcus autem non poteſt facere teſtamentum, niſi per obſeruationem, quam lex diui Iuſtini, patris noſtri, introduxit.

De eo, qui eſt apud hoſtes.

5. Eius, qui apud hoſtes eſt, teſtamentum, quod ibi fecit, non valet, quamuis redierit: ſed quod, dum in ciuitate fuerat, fecit: ſiue redierit, valet iure poſtliminii; ſiue illic deceſſerit, valet ex lege Cornelia.

Ad §. 4. *Lex diui Iuſtini*) Quæ eſt in L. 8. *C. h. t.* Vbi ſtatutum, vt octauus adhibeatur teſtis vel notarius vltra ſeptenarium numerum; & inſuper heres nominetur, & circumſcribatur. In codicillis & reliquis vltimis voluntatibus minus ſolennibus, vel priuilegiatis, ſufficit, præter ordinarium numerum teſtium, vnum amplius adhibuiſſe arg. *d. l.* 8. & ibi Richter.

Ad §. 5. *Non valet*) Quia captiuitate ſeruus factus erat §. 4. *ſupra de Iure perſ.* & ſic teſtari non poterat L. 16. *ff. h. t.* Aliud ergo hodie, vbi captiui ſerui non fiunt.

Ex lege Cornelia) Qua in captiuitate mortuus, fingitur in bello, antequam captus fuerit, deceſſiſſe. L. 18. *ff. de Captiu.*

Titvlvs XIII.

D. XXIIX. 2. C. VI. 28. 29.

DE EXHEREDATIONE LIBERORVM.

Ius vetus. De liberis in potestate.

NOn tamen, vt omnino valeat testamentum, sufficit hæc obseruatio, quam supra exposuimus: sed qui filium in potestate habet, curare debet, vt eum heredem instituat, vel exheredem eum nominatim faciat. Alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur: adeo quidem, vt si viuo patre filius mortuus sit, nemo heres ex eo testamento existere possit: quia scilicet ab initio non constiterit testamentum. Sed non ita de filiabus, & aliis per virilem sexum

---

TITVLVS XIII.

Ad Rubr. *Exheredatione*) Exheredem scribere, est ab omni successione, etiam in legitima alterum excludere *Nou.* 115. *c.* 3.

Ad pr. *Præterierit*) H. e. inter heredes non fecerit mentionem, vtut inter legatarios eorum meminerit, vel tutores dederit. L. 27. §. 12. *ff. ad SCt. Trebell.*

Inutiliter) Nulliter.

Existere possit) Nisi iure prætorio; si scriptus sit, qui alias ab intestato successurus fuisset L. 17. *ff. de iniusto rupto & irr.*

Filiabus) In filius enim fauor conseruandæ familiæ versabatur, filiæ vero nubendo familiam egrediebantur, vid. L. 8. §. 1. *ff. d. t. l.* 8. *ff. de Senat.* Hodie

ſexum deſcendentibus liberis vtriusque ſexus antiquitati fuerat obſeruatum: ſed ſi non fuerant ſcripti heredes, ſcriptæue, vel exheredati, exheredatæue; teſtamentum quidem non infirmabatur, ius tamen adcreſcendi eis ad certam portionem præſtabatur. Sed nec nominatim eas perſonas exheredare parentibus neceſſe erat, ſed licebat inter ceteros hoc facere. Nominatim autem quis exheredari videtur, ſiue ita exheredetur: *Titius filius meus exheres eſto*, ſiue ita: *Filius meus exheres* eſto, non adiecto proprio nomine, ſcilicet, ſi alius filius non extet.

De Poſthumis.

1. Poſthumi quoque liberi, vel heredes inſtitui debent, vel exheredari. Et in eo par omnium conditio eſt, quod & filio poſthumo, & quodlibet ex ceteris liberis, ſiue feminini ſexus, ſiue maſculini, præterito, valet quidem teſtamentum, ſed poſtea

Hodie in ſexu vtroque eadem neceſſitas inſtituendi vel exheredandi ſubeſt *Nou.* 115. *c.* 3.

Non extet) Nam ſi extet, nullus ita exheredatus cenſetur *l.* 2. *ff. h. t.*

Ad §. 2. *Poſthumi*) Ita dicti, quaſi quod nati ſunt, poſtquam pater iam humo mandatus.

Exhereditari) Hoc hodie procedere non poteſt, cum in poſthumos nulla ingratitudinis nota cadere poſſit, vid. *Nou.* 115. *c.* 3. Poſſunt tamen exheredare ſui commodi cauſa *l.* 18. *ff. h. t.* Quæ dicitur exheredatio *bona mente* facta.

Ni-

ſtea agnatione poſthumi, ſiue poſthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. Ideoque ſi mulier, ex qua poſthumus aut poſthuma ſperabatur, abortum fecerit, nihil impedimento eſt ſcriptis heredibus ad hereditatem adeundam. Sed feminini quidem ſexus perſonæ, vel nominatim, vel inter ceteros exheredari ſolebant: dum tamen, ſi inter ceteros exheredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ eſſe per obliuionem. Maſculos vero poſthumos, id eſt, filios, & deinceps, placuit non aliter recte exheredari, niſi nominatim exheredarentur, hoc ſcilicet modo: *Quicunque mihi filius genitus fuerit, exheres eſto.*

De quaſi poſthumis.

2. Poſthumorum autem loco ſunt & hi, qui in ſui heredis locum ſuccedendo, quaſi agnaſcendo fiunt parentibus ſui heredes. Vt ecce, ſi quis filium, & ex eo nepotem neptemue in poteſtate habet, quia filius gradu præcedit, is ſolus iura ſui ſui heredis

---

Nihil impedimento) Quæcunque enim iura poſthumis tribuuntur, hanc tacitam conditionem habent, modo viui naſcantur. Idem dicendum, ſi monſtrum ediderit mulier L. 3. C. *h. t.*

Maſculos vero) Iure nouo omnes indiſtincte nominatim exheredandi *d. Nou.* 115. *c.* 3.

Ad §. 2. *Gradu præcedit*) Vt ergo quis ſuus heres dici poſſit, non ſufficit eum in poteſtate teſtatoris eſſe, ſed & proximus gradu eſſe debet.

Ad §. 3.

dis habet, quamuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius, incipit nepos neptisue in eius locum succedere, & eo modo iura suorum heredum quasi agnatione nanscis̃cítur. Ne ergo eo modo rumpatur eius testamentum, sicut ipsum filium vel heredem instituere, vel nominatim exheredare debet testator, ne non iure faciat testamentum; ita & nepotem, neptemue ex filio necesse est ei, vel heredem instituere, vel exheredare: ne forte eo viuo, filio mortuo, succedendo in locum eius nepos, neptisue, quasi agnatione rumpat testamentum. Idque lege Iulia Velleia prouisum est, in qua similis exheredationis modus ad similitudinem posthumorum demonstratur.

De emancipatis.

3. Emancipatos liberos iure ciuili neque heredes instituere, neque exheredare necesse est: quia non sunt sui heredes. Sed prætor omnes, tam feminini sexus, quam masculini, si heredes non instituantur, exheredari iubet: virilis sexus, nominatim; feminini vero inter ceteros: quia si neque heredes instituti fuerint, neque ita, vt diximus exheredati, permittit eis prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.

De

Ad §. 3. *Contra tabulas*) Hodie post *Nou. d.* 115. te-

De adoptiuis.

4. Adoptiui liberi, quamdiu ſunt in poteſtate patris adoptiui, eiusdem iuris habentur, cuius ſunt iuſtis nuptiis quæſiti. Itaque heredes inſtituendi vel exheredandi ſunt ſecundum ea, quæ de naturalibus expoſuimus. Emancipati vero a patre adoptiuo, neque iure ciuili, neque eo iure, quod ad edictum prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Qua ratione accidit, vt ex diuerſo, quod ad naturalem parentem attinet, quamdiu quidem ſunt in adoptiua familia, extraneorum numero habeantur, vt eos neque heredes inſtituere, neque exheredare neceſſe ſit: cum vero emancipati fuerint ab adoptiuo patre, tunc incipiant in ea cauſa eſſe, in qua futuri eſſent, ſi a naturali patre emancipati fuiſſent.

Ius nouum.

5. Sed hæc quidem vetuſtas introduceba

---

teſtamentum, in quo exheredatio non debito modo facta, nullum eſt. *arg. l.* 5. *C. de LL.*

Ad §. 4. *In poteſtate*) E. quicunque adoptiui non ſunt in poteſtate, nec inſtituendi, vel exheredandi ſunt *L. pen. C. de Adopt.*

Neque heredes inſtituere) Hodie vero, vbi tam ſui quam emancipati liberi inſtituendi aut exheredandi; neque hoc amplius procedet: ſed adoptiui a patre naturali pariter inſtar emancipatorum inſtituendi erunt.

bat: nostra vero constitutio inter masculos & feminas in hoc iure nihil interesse existimans: quia *utraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur*, & lege antiqua duodecim tabularum, omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur, quod & prætores postea secuti esse videntur: ideo simplex ac simile ius, & in filiis, & in filiabus, & in ceteris descendentibus per virilem sexum personis, non solum iam natis, sed etiam posthumis, introduxit, vt *omnes, siue sui, siue emancipati sint, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur*: & eundem habeant effectum circa

Ad §. 5 *Constitutio*) Quæ reperitur in *L.* 4. *C. de lib. præterit.*

Nominatim exheredentur) Non modo *nominatim* facienda exheredatio, sed & ex *sufficienti causa*, quarum XIV. exhibentur in *Nouell.* 115. *c.* 3. ita, vt præter illas ex nulla alia causa exheredatio sit permissa. Ac denique heres scriptus illam caussam expressam a testatore, probare debet. Idem obseruandum in casu inuerso; nam & liberi parentes suos vel instituere, vel ex VIII. causis in *Nou.* 115. *c.* 4. expressis exheredare debent. Fratres autem instituendi non sunt, nisi turpis persona vel leui macula laborans a fratre instituta. *l.* 27. *C. de inoff. test.* Quo casu frater exheredandus ex tribus causis in *Nou.* 22. *c.* 47. expressis. Vbi tamen præteritio loco exheredationis est, vid. omnino Dn. Hopp. *in Comm. h. l.*

No-

ea teſtamenta parentum ſuorum infirmanda, & hereditatem auferendam, quem filii ſui, vel emancipati habent, ſiue iam nati ſint, ſiue adhuc in vtero conſtituti, poſtea nati ſint. Circa adoptiuos autem filios certam induximus diuiſionem, quæ in noſtra conſtitutione, quam ſuper adoptiuis tulimus, continetur.

De teſtamento militis.

6. Sed ſi in expeditione occupatus miles teſtamentum faciat, & liberos ſuos iam natos, vel poſthumos, nominatim non exheredauerit, ſed ſilentio præterierit, non ignorans, an habeat liberos, ſilentium eius pro exheredatione nominatim facta valere, conſtitutionibus Principum cautum eſt.

De teſtamento matris, aut aui materni.

7. Mater, vel auus maternus neceſſe non

Noſtra conſtitutione) Quæ extat in *L. pen. C. de Adopt.*

Ad §. 6. *Non ignorans*) Quod vero non ignorauit, etiam inde probari poteſt, ſi filii mentionem in teſtamento fecerit. *L.* 10. *C. de teſtam. milit.*

Valere) Quod adhuc hodie obtinet, quia per *Nou.* 115. non mutatum.

Conſtitutionibus) Quæ reperiuntur in *l.* 9 *& ſeq. C. d. Teſtam. mil.*

Ad §. 7. *Neceſſe non habent*) Imo iure nouo ob generalitatem verborum in *Nou.* 115. *c.* 3. ibi: *parentes*, neceſſe vtique habent.

non habent liberos suos aut heredes instituere, aut exheredare: sed possunt eos silentio omittere. Nam silentium matris aut aui materni, & ceterorum per matrem adscendentium, tantum facit, quantum exheredatio patris. Neque enim matri filium filiamue, neque auo materno nepotem neptemue ex filia, si eum eamue heredem non instituat, exheredare necesse est, siue de iure ciuili quæramus, siue de edicto prætoris, quo prætor præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem permittit: sed aliud eis adminiculum seruatur, quod paulo post vobis manifestum fiet.

TITVLVS XIV.

D. XXIIX. 5. C. VI. 24. 27.

DE HEREDIBVS INSTITVENDIS.

Qui possunt heredes institui.

HEredes instituere permissum est tam *liberos homines*, quam *seruos*: & tam pro-

Adminiculum) Intelligit querelam inofficiosi testamenti, de qua *in tit.* 18. *h. l.*

TITVLVS XIV.

Ad pr. *Tam liberos*) Nisi in his quidam prohibeantur institui. Veluti deportati L. 1. *C. h. t.* Apostatæ *L.* 3. *C. de Apost.* Hæretici *L.* 4. *C. de Haret.* Qui incestas nuptias contraxerunt, & liberi incestuosi. *L.* 6. *C. de incest. nupt. Nou.* 80. *c.* 15. Collegia

proprios, quam alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter, quam cum libertate, recte instituere licebat: hodie vero etiam sine libertate ex nostra constitutione heredes eos instituere permissum est. Quod non per innouationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Attilicino placuisse, Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinum, quam ad Plautium scripsit, refert. Proprius autem seruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio vsumfructum habente. Et tamen casus, in quo nec cum libertate vtiliter seruus a domina heres instituitur, vt constitutione diuorum Seueri & Antonini cauetur, cuius verba hæc sunt: *Seruum adulterio maculatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, vt in eundem a domina collata heredis institutio, nulli-*

gia non approbata L. 8. C. *h. t.* Bene tamen membra collegii singula L. 20. *ff. de Reb. dub.*

Nostra constitutione) Quæ extat in *l. pen. C. de necess. seru. hered. inst.* Ratio est in vulgata regula, quod is, qui vult finem, etiam media voluisse censendus sit.

Nullius momenti) Ne hac manumissione torturæ subducatur. Nam manumissi torqueri non poterant. L. 12 *ff. qui & a quib. man. non fiant.*

nullius momenti habeatur. Alienus seruus etiam is intelligitur, in quo vsumfructum testator habet.

Si seruus heres institutus in eadem causa manserit, vel non.

1. Seruus autem a domino suo heres institutus, si quidem in eadem causa manserit, fit ex testamento liber, heresque ei necessarius. Si vero a viuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem potest: quia non fit heres necessarius, cum vtrumque ex domini testamento non consequatur. Quod si alienatus fuerit, iussu noui domini adire hereditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit heres. Nam ipse alienatus, neque liber, neque heres esse potest, etiamsi cum libertate heres institutus fuerit. *Destitisse etiam a libertatis donatione videtur dominus, qui eum alienauit.* Alienus quoque seruus heres institutus, si in eadem causa durauerit, iussu eius domini adire hereditatem debet. Si vero alienatus fuerit ab eo, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat, debet iussu noui domini adire. At si manumissus est

Ad §. 1. *Causa*) Seu statu & conditione.

Alienauit) Reuerso autem seruo ad priorem dominum libertatis datio reuiuiscit *l. 9. §. 16. ff. h. tit.*

est viuo testatore, vel mortuo, antequam adeat; suo arbitrio adire potest hereditatem.

De seruo hereditario.

2. Seruus etiam alienus post domini mortem recte heres instituitur. *Quia & cum hereditariis seruis est testamenti factio.* Nondum enim adita hereditas personæ vicem sustinet, non heredis futuri, sed defuncti: cum etiam eius, qui in vtero est, seruus recte heres instituatur.

De seruo plurium.

4. Seruus autem plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus heres, vnicuique dominorum, cuius iussu adierit, proportione dominii acquirit hereditatem.

De numero heredum.

4. Et vnum hominem, & plures vsque in infinitum, quot quis heredes velit facere, licet.

De

Ad §. 2. *Post Domini mortem*) E. g. Stichus, defuncti Sempronii seruus, heres mihi esto.

Sed defuncti) Sc. si nondum adita hereditas L. 52. *ff. h. t.* Sed post aditionem, heredis personam retro repræsentasse censetur a tempore mortis L. 24. *ff. de Nouat.* Ne sc. interea intestatus fuisse dicatur defunctus.

Ad §. 4. *Infinitum*) Seu potius *indefinitum*; ita pauperes L. 24. *C. de Episc.* Apostolus Petrus *l. fin. C. de S. S. Eccles.* Imo ipse Deus L. 1. §. 5. *ff. ad L. Falc.* institui possunt.

De diuisione hereditatis.

5. Hereditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab vncia vsque ad assem, vtputa hæc: sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx. Non autem vtique semper duodecim vncias esse oportet. Nam tot *vnciæ assem efficiunt, quot testator voluerit:* & si vnum tantum quis ex semisse (verbi gratia) heredem scripserit, totus as in semisse erit. Neque enim *idem ex parte testatus, & ex parte intestatus, decedere* potest: nisi sit miles, cuius sola voluntas in testando spe-

Dodrans) Quasi *dempto quadrante* f. 9. vnciæ.
Dextans) Quasi *dempto sextante* f. 10. vnciæ.
Deunx) Quasi *dempta vna vncia* f. 11. vnciæ.
Totus as in semisse) Quia causa testati trahit ad se causam intestati; ob rationem quæ sequitur in textu. Quodsi autem coheredem habeat, aliud dicendum, vbi si vnus in certa parte, alter indefinite heres institutus, ille legatarii loco habetur L. 13. *C. h. t.* & sic detrahi potest falcidia L. 13. *C. fam. ercisc.*
Ex parte intestatus) Nisi ex *postfacto*, veluti si testamentum propter iniustam exheredationem ex parte rescindatur, ita vt legata adhuc subsistant *Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.*
Miles) Et adhuc actu militet. Aliud si miles esse desierit L. 13. §. 1. *ff. de mil. test.* L. 19. §. 2. *ff. de Castr. pec.*

Ad

spectatur. Et e contrario potest quis in quantascunque voluerit plurimas vncias suam hereditatem diuidere.

De portionibus singulorum heredum. Si testator assem non diuiserit, aut partes in quorundam persona non vltra assem expresserit.

6. Si plures instituantur heredes, ita demum in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus heredes esse. Satis enim constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus heredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit, si quidem aliqua pars assi deerit, ex ea parte heres fit. Et si plures sine parte scripti sunt, omnes in eandem partem concurrunt. Si vero totus as completus sit, ii, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur, & ille, vel illi omnes, in alteram dimidiam. Nec interest, primus, an medius, an nouissimus, sine parte heres scriptus sit: ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

Si

Ad §. 6. *Si nolit*) Quod & inde colligitur, si quosdam coniunctim instituerit, veluti *Titius heres esto: Caius, Sempronius & Iauolenus heredes sunto;* tum enim hi vnam portionem accipiunt L. 13. *pr. & l.* 17. §. 4. *ff. h. t.* L. 34. *pr. ff. de Leg.* 1.

In alteram dimidiam) Siue ex asse fit dupondius, & heredi sine parte scripto, quod reliquum est, præstatur.

 Ad

Si pars vacet, aut exſuperet.

7. Videamus, ſi pars aliqua vacet, nec tamen quisquam ſine parte ſit heres inſtitutus, quid iuris ſit: veluti ſi tres ex quartis partibus heredes ſcripti ſint. Et conſtat, *vacantem partem ſingulis tacite pro hereditaria parte accedere, & perinde haberi, ac* ſi ex tertiis partibus heredes ſcripti eſſent & ex diuerſo, ſi plures heredes ſcripti in portionibus ſint, tacite ſingulis decreſcere; vt, ſi (verbi gratia) quatuor ex tertiis partibus heredes ſcripti ſint,, perinde habeantur, ac ſi vnusquisque ex quarta parte heres ſcriptus fuiſſet.

Si plures vnciæ quam 12. diſtributæ ſunt.

8. Et ſi plures vnciæ, quam duodecim diſtributæ ſint, is, qui ſine parte inſtitutus eſt, quod dupondio deeſt, habebit. Idemque erit, ſi dupondius expletus ſit. Quæ omnes par-

---

Ad §. 7. *Pro hereditaria parte)* Hoc eſt, ſecundum eam proportionem, qua quisque inſtitutus eſt.

In portionibus) Pluribus ſcil. & vltra aſſem.

Decreſcere) Niſi in diuerſa plane periodo & disrupta ſerie prius Titius in Aſſe, & poſtmodum quibusdam interiectis Sempronius in ſemiſſe inſtitutus fuerit, vbi dimidia pars Titio adempta, & in Sempronium translata videtur L. 23. *C. de Legat.*

Ad §. 8. *Dupondius*) Seu duplex *As*, qui 24. vncias habet.

Ad

partes ad assem postea reuocantur, quamuis sint plurium vnciarum.

De modis instituendi.

9. Heres & *pure* & *sub conditione* institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest, veluti *post quinquennium quam moriar*; vel: *ex Calendis illis*, vel: *vsque ad Calendas illas, heres esto*. Denique diem adiectum haberi pro superuacuo, placet, & perinde esse, ac si pure heres institutus esset.

De conditione impossibili.

10. Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, nec non in fideicommissis, & libertatibus, pro non scripta habetur.

De

Ad §. 9. *Sub conditione*) Quæ vel *potestatiua*, vel *casualis*, vel *mixta*. Sub omni conditione potest institui heres extraneus *L. vn.* §. 7. *C. de caduc. toll.* Filius in legitima hodie ne quidem sub *potestatiua*, quia illa sine omni onere relinquenda. L. 32. *C. de inoff. testam.*

Non potest) Ne ita pro parte intestatus decedat testator, contra L. 7. *ff. de R. I.*

Pro superuacuo) Nisi verba fideicommissi adiecta *l.* 77. *ff. h. t.*

Ad §. 10. *Impossibilis*) Siue *natura*, siue *Lege* talis, de qua in L. 5. *ff. de Condit. instit.* agitur. Aliud si conditio tantum sit difficilis L. 25. *ff. fam. ercisc.* aut solo *facto* impossibilis L. 4. §. 1. *de Stat. lib.*

Pro non scripta) Aliud in contractibus §. 10. *infra de inutil. stip.* Hi enim cum vtriusque consen-

De pluribus conditionibus.

11. Si plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt, si quidem coniunctim, vtputa, *si illud & illud factum fuerit*, omnibus parendum est. Si separatim, veluti, *si illud, aut illud factum fuerit*, cui libet conditioni obtemperare satis est.

De his, quos nunquam testator vidit.

12. Ii, quos nunquam testatur vidit, heredes

---

sensu & voluntate celebrentur, alter sibi imputare debet, quod eam conditionem admiserit.

Ad §. 11. *Si illud & illud*) Ita sc. si vna periodo coniunctim proferantur, si enim in diuersis testamenti partibus, plures conditiones appositæ, vltimam impleuisse sufficit L. 12. §. *fin. ff. de Leg.* 1. *l.* 17. *ff. de condit. inst. l.* 27. *§. fin. ff. h. t.*

Cuilibet) Nisi tamen ex aliis coniecturis de contraria testatoris voluntate constet. L. 6. *C. de Inst. & Subst. l.* 85. *ff. h. t.*

Obtemperare) Et quidem *casualis* & *mixta* conditio quocunque tempore impleri potuit s. viuo s. mortuo testatore L. 2, 68. & 91. *ff. de condit. & demonstr.* Sed *potestatiua* tantum post mortem testatoris, si modo *reiterabilis* sit *l.* 2. & 11. *§.* 1. *ff. eod.* Conditione plane non impleta institutio exspirat L. 8. *in fin. pr. C. de condit. insert.* nisi stet per eum, in cuius persona implenda. L. 24. *ff. de Cond. & Dem.*

Ad §. 12. *Nunquam testator vidit*) Ergo *incognita* persona institui potest, *incerta*, non L. 62. §. 1. *ff. h. t.* Nisi vel ex euentu possit certiorari *§.* 27. *Inst. de Leg.* vel sit causa pia, vt in pauperibus institutis & ecclesia, vid. *L. fin. C. de SS. Eccl. l.* 24. *C. de Episc.* item ciuitate L. 4. & 12. *C. de hered. instit.*

TITV-

redes institui possunt: veluti, si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, heredes instituerit. Ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit.

Titulus XV.

D. XXIIX. 6. C. VI. 26.

DE VULGARI SUBSTITUTIONE.

De pluribus gradibus heredum.

POtest autem quis in testamento suo plures gradus heredum facere: vtputa, *si ille heres non erit, ille heres esto.* Et deinceps, in quantum velit testator, substituere potest: vt nouissimo loco in subsidium vel seruum necessarium heredem instituere possit.

De

TITULUS XV.

Ad Rubr. *Substitutio*) Est secundi heredis institutio in locum deficientis primi L. 1. *pr. & l.* 43. §. 2. *in fin. ff. h. t.*

Ad pr. *In testamento*) Ergo non in codicillis L. 1. §. *fin. ff. h. t.* §. 2. *Inst. de Codicill.* Nisi *obliqua* fuerit, per verba precatiua concepta, cum fideicommissa in codicillis relinqui possint *d.* §. 2. Sed & directa substitutio in codicillis facta, iure fideicommissi valet. L. 76. *ff. ad SCt. Trebell.* L. 13. §. 1. *de Iur. Codicill.*

Heres non erit) Siue talis esse *nolit*; siue *non possit* esse L. 3. *C. de hered. Inst.* vnius casus expressio alterum continet, ob præsumptam testatoris voluntatem *d. l.* 3. *& l.* 22. *ff. ad SC. Treb. ll.*

Ill

De heredum gradibus.

1. Et plures in vnius locum possunt substitui, vel vnus in plurium, vel singuli in singulorum, vel inuicem sibi, qui heredes instituti sunt.

Quam partem singuli substituti accipiant.

2. Et si ex disparibus partibus heredes scriptos inuicem substituerit, & nullam mentionem partium in substitutione habuerit; eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit; & ita diuus Pius rescripsit.

Si coheredi substituto alius substituatur.

3. Sed si instituto heredi, coherede substituto dato, alius ei substitutus fuerit, diui Seuerus & Antoninus sine distinctione rescri-

---

Ille heres esto) Instituto ergo adeunte, exspirat substitutio L. 5. *C. h. t.* & hinc quamdiu ius adeundi institutus habet, admitti nequit substitutus L. 3. & 69. *ff. de Acquir. hered.* Sed & viuis tantum defertur substitutio, non ad heredes transit L. 9. *ff. de suis & leg.*

Ad §. 1. *Inuicem sibi*) Hæc vocatur reciproca L. 4. §. 1. *ff. h. t.* item *breuiloqua* a Dd. nominatur.

Ad §. 2. *Quas in institutione*) Quicquid ergo iuris in institutione, idem iuris in substitutione. Exemplum est in L. 24. *ff. h. t.* nisi substituti vel inæqualibus oneribus grauati, vel nominibus propriis substituti L. 23. & 24. *ff. add. SCt. Trebell.*

rescripserunt, ad vtramque partem substitutum admitti.

De seruo, qui liber existimabatur.

4. Si seruum alienum quis patremfamilias arbitratus, heredem scripserit, &, si heres non esset, Mæuium ei substituerit, isque seruus iussu domini adierit hereditatem, Mæuius substitutus in partem admittitur. Illa enim verba, *Si heres non erit*, in eo quidem, quem alieno iuri subiectum esse testator scit, sic accipiuntur, si neque ipse heres erit; neque alium heredem effecerit: in eo vero, quem patremfamilias esse arbitratur, illud significant, si hereditatem sibi, vel ei, cuius iuri postea subiectus esse cœperit,

perit,

Ad §. 3. *Ad vtramque partem*) Casus hic est: primus & secundus heredes sunto; si primus esse nolit, secundus eius esto substitutus. Si secundus nolit, Tertium ipsi substituo. Hic primo & secundo deficiente, tertius non modo ad secundi, sed & ad primi hereditatem admittitur L. 27. & 41. *pr. ff. h. t.* Nam substitutus substituti, est etiam substitutus instituti.

Ad §. 4. *In partem*) Sc. *dimidiam*; quæ semper intelligitur, si partis simpliciter mentio fiat. L. 164. *ff. d. V. S.* Alias substitutus cum instituto simul non admittitur L. 3. *ff. de Acquir. hered.* Ratio autem huius decisi in textu sequitur.

Testator scit) Omnis ergo ratio in ignorantia testatoris consistit. Hodie hic §. nullum vsum habet, cum seruitus cesset.

TITV-

perit, non adquisierit. Idemque Tiberius Cæsar in persona Parthenii serui sui constituit.

TITVLVS XVI.
D. XXIIX. 6. C. VI. 26.
DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

Forma, & ratio Pupillaris substitutionis.

Liberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solum ita, vt supra diximus, substituere potest, id est, vt, si heredes ei non extiterint, alius sit ei heres: sed eo amplius, vt, si heredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis heres: veluti, si quis dicat hoc modo: *Titius filius meus heres mihi esto. Et si filius meus heres mihi non erit, siue heres erit, & prius moriatur, quam in suam tutelam vene-*

TITVLVS XVI.

Ad pr. *In potestate*) Qui ergo liberos non habet in potestate, nec pupillariter substituere potest, vt Mater: bene tamen *vulgariter*, de quo casu loquitur L. 33. *ff. h. t.*

Habet) Sc. tempore mortis. L. 41. §. 2. *ff. h. t.*

Supra diximus) Sc. vulgariter.

Non erit) Hic est modus vulgariter substituendi; & si impuberi ita substitutum, simul tacite comprehensa censetur pupillaris substitutio. Et vice versa, sub pupillari expressa tacite vulgaris simul comprehenditur L. 4. *pr.* & §. 2. *ff. h. t.* Ob præsumtam voluntatem testatoris, qui filium non sine herede esse voluit.

In-

venerit, id eſt, antequam pubes factus ſit, *tunc Seius heres eſto*. Quo caſu, ſi quidem non extiterit heres filius, tunc ſubſtitutus patri fit heres: ſi vero extiterit heres filius & ante pubertatem deceſſerit, ipſi filio fit heres ſubſtitutus. Nam moribus inſtitutum eſt, vt, cum eius ætatis filii ſint, in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſunt, parentes eis faciant.

De ſubſtitutione mente capti.

1. Qua ratione excitati, etiam conſtitutionem poſuimus in noſtro codice, qua proſpectum eſt, vt ſi qui mente captos habeant filios, nepotes, vel pronepotes,

---

In ſuam tutelam) Ehe er zu ſeinen vogtbahren Jahren kommen. Hæc vera pupillaris ſubſtitutio eſt.

Ipſi filio) Sc. *principaliter*, *L.* 8. §. 1. *ff. de bon. poſſ.* Quoad omnia bona, etiam aduentitia L. 10. §. 5. *ff. h. t.* Sed *per conſequentiam* etiam patri *l.* 1. §. 1. & *l.* 46. *h. t.* An vero mater etiam excluditur per ſubſtitutum? Reſp. Affirmando de ſubſtitutione pupillari *expreſſa*, non de *tacita*, quæ ſub vulgari latitat. *L.* 8. *C. h. t. l. fin. C. de Inſtit. & Subſtit.* Vtut enim filius matrem præterire non poſſit *Nou.* 115. *c.* 3. Hic tamen non filius ſed Pater vi poteſtatis teſtamentum condit, L. 8. §. 5. *ff. de inoff. teſt.*

Ad §. 1. *Conſtitutionem*) Quæ extat in *l.* 9. *C. h. t.*

Si qui) Non modo patres ſed & matres ita ſubſtituere poſſunt: quia hæc ſubſtitutio non a poteſtate, ſed humanitate dependet, *d. l.* 9.

Ad

tes, cuiuscunque ſexus vel gradus, liceat eis, et ſi puberes ſint, ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, certas perſonas ſubſtituere: ſin autem reſipuerint, eandem ſubſtitutionem infirmari ſancimus: & hoc ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis: quæ poſtquam pupillus adoleuerit, infirmatur.

Proprium pupillaris ſubſtitutionis.

2. Igitur in pupillari ſubſtitutione ſecundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo ſunt teſtamenta: alterum patris,

---

Ad exemplum pupillaris) Ita, vt quemadmodum pupillaris propterea pupillariter ſubſtituitur, quia ipſi ſibi teſtamentum facere nequeunt, ita idem mente captis fit, cum & hi teſtari non poſſint. Inde hæc ſubſtitutio *Exemplaris*, vel *quaſi-pupillaris*, vel ab Imp. *Iuſtinianea* dicitur.

Certas perſonas) Et quidem proximos cognatos, ſecundum ordinem ſuccedendi, primo ſc. liberos, deinde fratres, & his deficientibus quemlibet extraneum *d. l.* 9. Poſtquam tamen iure nouo, parentes omnes collaterales defuncti præter germanos excludunt *Nou.* 118. *c.* 2. Etiam in ſubſtitutione parentum, ſecundum ordinem ſucceſſionis habenda ratio.

Infirmari) Niſi iterum in furorem aut animi deliquium inciderit. arg. *L.* 41. *§.* 2. *ff. h. t.*

Ad §. 2. *Duo*) Hinc etiam alterum ſcriptum, alterum nuncupatiuum eſſe poteſt. *L.* 20. §. 1. *ff. h. t.* & duæ aditiones neceſſariæ L. 2. §. 1. *ff. h. t.* Hinc ſi pupillus ab hereditate paterna abſtinuerit, ſubſtitutus etiam eam repudiare & filii tantum heres eſſe poteſt L. 10. *§.* 1. *ff. h. t.*

Vnum

patris, alterum filii, tanquam si ipse filius sibi heredem instituisset: aut certe vnum testamentum est duarum causarum, id est, duarum hereditatum.

Alia forma substituendi pupillariter.

3. Sin autem quis ita formidolosus sit, vt timeat, ne filius suus pupillus adhuc, ex eo, quod palam substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiacet, vulgarem quidem substitutionem palam facere, & in primis testamenti partibus ordinare debet: illam autem substitutionem, per quam, si heres extiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur: separatim in inferioribus partibus scribere debet, eamque partem proprio lino, propriaque cera consignare, & in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulae, viuo filio & adhuc impubere, aperiantur. Illud palam est, non ideo minus valere substitutionem impuberis filii, quod in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque heredem instituisset: quamuis pupillo hoc periculosum sit.

Quibus substituitur.

4. Non solum tamen heredibus instituti-

tutis

Vnum testamentum) Inde & vtrumque iisdem tabulis scribi potest. §. *seq. in fin.*

Ad §.3. *Non ideo minus*) Non enim per modum praecepti, sed consilii adiectum. Consilium autem non necessitat.

tutis impuberibus liberis ita substituere parentes possunt, vt si heredes eis extiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis heres is, quem ipsi voluerint: sed etiam exheredatis. Itaque eo casu, si quid exheredato pupillo ex hereditatibus, legatisue, aut donationibus proquinquorum atque amicorum, acquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertinebit. Quæcunque diximus de substitutione impuberum liberorum, vel heredum institutorum, vel exheredatorum, eadem etiam de posthumis intelligimus.

Pupillare testamentum sequela paterni.

5. Liberis autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat. Nam pupillare testamentum, pars & sequela est paterni testamenti: adeo, vt, si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit.

Quo-

Ad §. 4. *Exheredatis*) Nam ex potestate dependet hæc substitutio *pr. h. t.* hæc autem exheredatione non tollitur. L. 20. *pr. ff. de bon. poss. contr. tabb.* Hodie cum tantum ex caussis in *Nov.* 115. *c.* 3. expressis facienda exheredatio, illæ causæ vero in impuberem non facile cadant, non magnum vsum hoc habebit.

Ad §. 5. *Nisi & sibi*) Quocunque vero ordine vtrumque testamentum scriptum sit, perinde est, L. 2. §. 2. *ff h. t.*

Sequela est paterni) Non vice versa *l.* 44. *ff. h. t.*

Non valeat) In *totum*, veluti si liberi præteriti. Aliud si per querelam inofficiosi rescindatur, vbi

tan-

Quomodo liberis substituitur.

6. Vel singulis autem liberis, vel ei, qui eorum nouissimus impubes morietur, substitui potest. Singulis quidem, si neminem eorum intestatum decedere voluerit: novissimo, si ius legitimarum hereditatum integrum inter eos custodiri velit.

De substitutione nominatim aut generaliter facta.

7. Substituitur autem impuberi aut nominatim, veluti, *Titius heres esto:* aut generaliter, vt: *quisquis mihi heres erit.* Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt heredes, & extiterunt, & pro qua parte heredes facti sunt.

Quomodo substitutio pupillaris finitur.

8. Masculo igitur vsque *ad quatuor decim annos* substitui potest: feminæ, vsque ad duodecim annos. Et si hoc tempus excesserint, substitutio euanescit.

Qui-

---

tantum quoad institutionem infirmatur, reliqua capitula, & sic etiam substitutio, hodie salua manent, per *Nou.* 115. *c.* 3. *in fin.*

Ad §. 6. *Custodiri velit)* Vt sc. vnius fratris pars ab intestato ad alterum superstitem deuoluatur.

Ad §. 7. *Et scripti sunt)* Itaque sic non heredes ab intestato, sed coheredes scripti vocantur.

Ad § 8. *Quatuordecim)* Non vltra *l.* 8. *C. h. t.* bene tamen infra hos annos substitutio fieri potest *L.* 21. & 38. *ff. h. t.*

Euanescit.) Excepto milite, qui & vltra puberatem

Quibusdam pupillariter non substituitur.

9. Extraneo vero, vel filio puberi heredi instituto, ita substituere nemo potest, vt si heres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres: sed hoc solum permissum est, vt eum per fideicommissum testator obliget, alii hereditatem eius vel totam, vel pro parte, restituere. Quod ius quale sit, suo loco trademus.

TITVLVS XVII.
D. XXIIX. 3.
QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTVR.

Qui-

---

tatem substituere potest *L.* 15. *ff. h. t.* in bonis scil. ipsius militis non filii *d. l.* 15.

Ad §. 9. *Per fideicommissum)* Vnde hæc substitutio dicitur *fideicommissaria* & fit verbis precatiuis. v. g. Filius heres esto, & rogo filium, vt si infra 20. annum moriatur, hereditatem restituat Sempronio. Quo casu non modo *legitimam*, sed & quartam trebellianicam detrahere potest §. 7. *Inst. de fideicomm. hered.* conf. *Cap. Raynutius & Raynaldus X. de Testam.* Quod secus in substitutione directa, vtpote quæ nec in vim fideicommissi valet L. 7. *ff. h. t.* excepto milite *d. l.* 15. *ff. h. t.* Conf. Fusarius *De Substitut. Fideicommiss.*

Suo loco) h. lib. tit. 22.

TITV-

Quibus modis testamentum infirmatur.

TEstamentum iure factum, vsque eo valet, donec *rumpatur, irritumue* fiat.

Quando testamentum dicatur rumpi. Primum de adoptione.

1. Rumpitur autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur. Si quis enim post factum testamentum adoptauerit sibi filium per imperatorem, eum, qui est sui iuris; aut per Prætorem, secundum nostram constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit: testamentum eius rumpitur *quasi agnatione sui heredis.*

De posteriore testamento.

2. Posteriore quoque testamento, quod iure

TITVLVS XVII.

Ad pr. *Iure factum*) Ergo hic non agitur de testamentis *iniustis*, seu vbi solennitates requisitæ desunt, vel *nullis*, vbi liberi præteriti; sed illis, quæ ab initio valida sunt, ex postfacto autem invalida redduntur.

Ad §. 1. *Qui est sui iuris*) Quæ adrogatio est. *Constitutionem*) Quæ extat in *l. pen. C. de Adopt.*

In potestate) Per adoptionem in specie sic dictam.

Quasi agnatione) Inde hic dicitur posthumus *ciuilis*. Multo magis ergo rumpitur testamentum agnatione vera, seu *naturali* posthumo L. 3. §. 1. *ff. h. t.* conf. *l.* 18. §. 1. *ff. de lib. & posth.*

iure perfectum est, superius rumpitur: nec interest, extiterit aliquis heres ex eo, an non: hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoque si quis aut noluerit heres esse; aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam hereditatem adiret, decesserit; aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit; in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Nam & *prius testamentum non valet, ruptum a posteriore: & posterius aeque nullas habet vires, cum ex eo nemo heres extiterit.*

De posteriore, in quo heres certae rei institutus.

3. Sed si quis, priore testamento iure perfecto, posterius aeque iure fecerit: etiamsi ex certis rebus in eo heredem instituerit,

---

Ad §. 2. *Iure perfectum*) Tam quoad solennitates, quam quoad institutionem L. 54. *ff. de hered. instit. l. 7. ff. de lib. & posth.* Posterius ergo imperfectum non rumpit prius perfectum. §. 7. *h. t.*

Rumpitur) Quia nemo paganus cum duobus testamentis decedere potest L. 19. *ff. de testam. mil.* Hinc vltimum valet, etiamsi priori addita clausula derogatoria L. 6. §. 2. *ff. de Iure Codicill.* Quia nemo sibi legem dicere potest, a qua ei recedere non liceat L. 22. *pr. ff. de Leg.* 3.

His casibus) Hi sunt casus, quibus testamentum fit destitutum. Sc. si heres deficiat *l.* 9. §. 2. *ff. de lib. & posth.*

Ad §. 3. *Etiamsi ex certis*) Nam institutio ad totam hereditatem extenditur, detracta rei mentione *l.* 1. §. 4. *ff. de hered. instit.* In-

tuerit, ſuperius tamen teſtamentum ſublatum eſſe, diui Seuerus & Antoninus Auguſti reſcripſerunt. Cuius conſtitutionis verba &, hic inſeri iuſſimus, cum aliud quoque prӕterea in ea conſtitutione expreſſum ſit: *Imperatores Seuerus & Antoninus Auguſti, Cocceio Campano, teſtamentum ſecundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres ſcriptus ſit, perinde iure valere, ac ſi rerum mentio facta non eſſet: ſed & teneri heredem ſcriptum, vt contentus rebus ſibi datis, aut ſuppleta quarta ex lege Falcidia, hereditatem reſtituat his, qui in priore teſtamento ſcripti fuerant, propter inſerta fideicommiſſi verba, quibus, vt valeret prius teſtamentum, expreſſum eſt, dubitari non oportet.* Et ruptum quidem teſtamentum hoc modo efficitur.

Quibus modis fit irritum.

4. Alio autem modo teſtamenta iure facta infirmantur: veluti cum is, qui fecit teſta-

---

Inſerta fideicommiſſi) Non ergo prius teſtamentum ſuſtinetur vi propria, quippe quod iam ruptum eſt; ſed vi confirmationis in poſteriori teſtamento factӕ, L. 12. §. 1. *h. t.* Sed & ſi duo codices ſimul ſignati, in quibus diuerſi heredes ſcripti: Prӕtor ex vtroque, quaſi vnum teſtamentum eſſet, bonorum poſſeſſionem concedit L. 1. §. 6. *de bon. poſſ. ſec. tabb.*

testamentum, capite deminutus sit. Quod quibus modis accidat, primo libero retulimus.

Cur dicatur irritum.

5. Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur; cum alioqui & quæ rumpuntur, irrita fiant; & ea, quæ statim ab initio non iure fiunt, irrita sint. Sed & ea, quæ iure facta sunt, & postea per capitis deminutionem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sane *commodius erat singulas causas singulis appellationibus distingui;* ideo quædam non iure facta dicuntur, quædam iure facta rumpi vel irrita fieri.

Quibus modis conualescit.

6. Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio iure facta, per capitis deminutionem irrita facta sunt; nam si septem testium signis signata sunt, potest

Ad §. 4. *Capite deminutus*) Quia testamentum deuenit in eum casum, a quo incipere non potest *l.* 98. & *l. fen.* §. 2. *ff. de V. O.* Hinc id in omni capitis deminutione, etiam minima obtinet §. 6. *in fin. h. t.*

Ad §. 5. *Irrita fiant*) Eius etiam testamentum, qui conscientia criminis sibi mortem consciuit, irritum fieri dicitur *l.* 6. §. 7. *ff. h. t.*

Non iure fiunt) Hæc iam sunt irrita, non fiunt.

Ad §. 6. *Testium signis*) Nam hoc solum c[illegible]rat prætor in testamentis §. 2. *supra de* [illegible] *d.*

potest scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere: si modo defunctus, & ciuis Romanus, & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideo irritum factum sit testamentum, quia ciuitatem, vel etiam libertatem, testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptiui patris potestate sit, non potest scriptus heres secundum tabulas bonorum possessionem petere.

De nuda voluntate.

7. Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: vsque adeo, vt, si quis post

Bonorum possessionem) Itaque tantum iure Prætorio testamentum hoc conseruatur. Nam iure ciuili, quod semel vitiosum, non potest tractu temporis conualescere *l.* 29. *&* 210. *ff. de R. I.*

Mortis tempore fuerit) Et si minima capitis deminutione irritum factum testamentum, de nouo declarauerit, se velle, vt illud valeat. *L. pen.* §. *fin. ff. de bon. poss. sec. tabb.* Medium autem tempus inter conditum testamentum & mortem non attenditur L. 5. *ff. de hered. inst.*

Ad §. 7. *Noluerit valere*) Etiamsi coram actis aut tribus testibus eam mentem declarauerit testator; nisi decennium postea præterlapsum L. 27. *C. de Testam.* Aliud etiam si ipso facto reuocauerit testamentum, veluti incisione, deletione *tit. ff. de his, quæ in testam. delent.* nisi inconsulto & præter propter testamentum cancellatum L. 30. *C. de testam.*

post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, & aut mortalitate præuentus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit, diui Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores, iure factæ, irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint: nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.

Si princeps litis causa, vel in testamento imperfecto institutus fuerit.

8. Eadem oratione expressit, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa Principem reliquerit heredem: neque tabulas non legitime factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus erat, probaturum: neque ex nuda voce heredis nomen admissurum, neque ex vlla scriptura, cui iuris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus sæpissime rescripserunt. *Licet enim* (in-

Et perfectæ) E. prius testamentum non tollitur per posterius imperfectum; Nisi in imperfecto heredes instituti, qui alias ab intestato erant successuri L. 2. *ff. h. t.* vbi, si 5. testes interuenerint, imperfectum sustinetur L. 21. §. 3. *C. de testament.*

Ad §. 8. *Litis causa*) Hoc est animo vexandi creditores, quo ipsis durior aduersarius obtrudatur.

Ipse) Sc. Princeps.

Ea.

(inquiunt) *legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.*

Titvlvs XIIX.

D.V.2. C. III. 28.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

Ratio huius querelæ.

QVia plerumque parentes sine causa liberos suos exheredant vel omittunt, inductum est, vt de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur, aut inique se exheredatos, aut inique præteritos, hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum

Legibus) *Ciuilibus* sc. de quibus hic agitur, non *naturalibus* aut *diuinis* vid. *l.* 3. *ff. de LL.*

Viuimus) Conuenit enim tantæ maiestati, eas seruare Leges, quibus ipsa soluta esse videtur *L. Ex imperfecto* 23. *ff. de Leg.* 3. Et digna vox maiestate regnantis, legibus se allegatum Principem profiteri *l. Digna vox* 4. *de LL.*

TITVLVS XIIX.

Ad pr. *Inique se exheredatos*) Hoc ita iure veteri; post *Nou.* 115. *c.* 3. si pater filium *inique*, hoc est, vel sine causa, vel sine sufficienti causa exheredauerit, testamentum nullum est, quia contra formam legum facta exheredatio. arg. *l.* 5. *C. de LL.* & sic ab intestato succeditur. Itaque tunc hodie obtinet querela inofficiosi testamenti, cum rite quidem facta exheredatio, sed heres causam probare non potest. Brunn. *in Exercit. hic.*

Colore) Seu prætextu vel titulo *l.* 49. *de Donat. int. vir. & vxor.* Quo ita melius excusari possint parentes.

Ad

cum testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi vere furiosus sit, sed recte quidem fecerit testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si vere furiosus sit, nullum testamentum est.

Qui de inofficioso agunt.

1. Non autem *liberis* tantum permissum est, testamentum parentum inofficiosum accusare, verum etiam liberorum *parentibus*. *Soror* autem & *frater* turpibus personis scriptis heredibus, ex sacris Constitutionibus praelati sunt. Non ergo contra omnes heredes agere possunt. Vltra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

Est remedium subsidiarium.

2. Tam autem naturales liberi, quam secundum nostrae Constitutionis diuisionem

---

Ad §. 1. *Liberis*) Non tantum *legitimis*, sed & *illegitimis*, si matri succedatur *l.* 29. §. 1. *ff. h. t.*

Frater) *Germanus*, & hoc deficiente *consanguineus*, neutiquam vero vterinus, *l.* 27. *C. h. t.* Quia hi diuersi nominis & familiae sunt. Nisi frater vel soror querelam instituens ipse turpis sit, vel leui macula laboret *l.* 11. *in fin. C. h. t.*

Turpibus) Vel leui macula laborantibus *d. l.* 27. Veluti meretrix *l.* 3. §. 5. *ff. de testib.* Spurius *arg. l.* 3. §. 2. *ff. de Decurion.* Brunn. hic.

Ad §. 2. *Naturales*) H. e. ex iusto matrimonio editi. Nam hic opponuntur adoptiuis.

nem adoptati, ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio iure ad defuncti bona venire possint. Nam qui ad hereditatem totam, vel partem eius, alio iure veniunt, de inofficioso agere non possunt. Posthumi quoque, qui nullo alio iure venire possunt, de inofficioso agere possunt.

De eo, cui testator aliquid reliquit.

3. Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitus a testatoribus testamento relictum est. Quod nostra Constitutio ad verecundiam naturæ introduxit. Sin vero quantacunque pars hereditatis, vel res eis fuerit relicta, inofficiosi querela quiescente, id quod eis deest, vsque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adiectum,

---

Adoptati) Ita vt in potestatem transeant *L. pen. C. de Adopt.* Sed & a femina adoptatus querelam habet *arg. l. 29. §. 3. ff. h. t.*

Nullo alio iure) Nisi dubitetur, vtrum remedium competat, vti accipienda *l. 8. §. 12. h. t.* Parentibus tamen hanc querelam instituere concessum, etiamsi alio iure, veluti bon. possess. contra tabb. venire possint *l. 14. & 16. ff. h. t.*

Posthumi quoque) Hodie non, quia non possunt exheredari; cum causa ingratitudinis ex *Nov. 115.* in illos cadere nequeat.

Ad §. 3. *Nostra constitutio*) Quæ est in *l. 30. C. h. t.* Aliud enim iure veteri, vbi aliqua tantum legitimæ parte deficiente obtinebat querela. *L. 8. §. 11. ff. h. t.*

Repleatur) Inde vocatur actio expletoria seu sup-

iectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

Si tutor, cui nihil a patre relictum, pupilli nomine legatum acceperit.

4. Si tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cum nihil erat ipsi tutori relictum a patre suo: nihilominus poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere.

Si de inofficioso nomine pupilli agens succubuerit.

5. Sed si e contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioso egerit, & superatus est; ipse tutor, quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

De quarta legitimæ partis.

6. Igitur quartam quis debet habere, vt de inofficioso agere non possit. Siue iure hereditario, siue iure legati, vel fideicommissi,

---

suppletoria, accuratius vero condictio ex *d. l.* 30. Et per 30. annos durat *L.* 2. *C. de præscr.* 30. *ann.* quod secus in querela, quæ quinquennio expirat: *l.* 8. §. *fin. ff. h. t.*

Ad §. 4. *Nomine suo*) Alias cognoscens voluntatem defuncti acceptando legatum, censetur querelæ renunciasse *l.* 8. §. 10. *l.* 10. §. 1. *ff. h. tit.* Tutorem autem excusat officii necessitas. Aliud si quis vt procurator nomine alterius legatum petat *l. fin. pr. ff. h. t.*

Ad §. 6. *Siue iure legati*) Aliud hodie, vbi legitima

missi, vel si mortis causa ei quarta donata fuerit, vel inter viuos; in iis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra constitutio, vel aliis modis, qui in nostris constitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum est, vt siue vnus fuerit, siue plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur, vna quarta eis dari possit, vt ea pro rata eis distribuatur, id est, pro virili portione quarta.

Titvlvs XIX.

DE HEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA.

Diuisio heredum.

Heredes autem aut *necessarii* dicuntur, aut *sui & necessarii*, aut *extranei*. De

gitima non quouis alio, sed institutionis titulo relinquenda *Nou.* 115. *c.* 3. *pr.* Brunn. *in Exerc. hic.*

Siue plures) Hodie non amplius quarta vel legitima, sed vel *triens*, si defunctus quatuor vel pauciores liberos habuerit, vel *semis*, si plures quam quatuor habuerit, per *Nou.* 18. *c.* 1. Connumerandi autem illi, qui in successione concurrunt L. 10. §. 4. *ff. de bon. poss. contra tabb.* non ergo exheredati, quia hi pro mortuis habentur L. 1. §. 5. *ff. de Coniung, cum emanc. lib. &c.* sed non modo in liberis verum etiam in parentibus & fratribus aucta legitima propter generalitatem *d. Nou. c.* 1. *in fin.*

TITV-

De heredibus necessariis.

1. *Necessarius* heres est seruus heres institutus. Ideoque sic appellatur, quia *siue velit*, *siue nolit*, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. Vnde qui facultates suas suspectas habent, solent seruum suum primo, aut secundo, aut etiam vlteriore gradu heredem instituere: vt, si creditoribus satis non fiat, potius eius heredis bona, quam ipsius testatoris, a creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos diuidantur. Pro hoc tamen incommodo illud ei commodum præstatur, vt ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi reseruentur. Et quamuis bona defuncti non sufficiant creditoribus: iterum tamen ex ea causa res eius, quas sibi adquisierit, non veneunt.

De suis heredibus.

2. *Sui autem & necessarii* heredes sunt, velu-

TITVLVS XIX.

Ad §. 1. *Siue nolit*) Etiam velle nequeat, vt furiosus *l. 17. in fin. ff. de acquir. hered.*

Seruum suum) Sed vnum tantum *l. 42. ff. de hered. inst.*

Ipsi reseruentur) Impetrata prius separatione bonorum, quam se immisceat hereditati *l. 1. §. fin. ff. de Separat.* Minor tamen contra omissam separationem restitui potest in integrum *l. 7. §. 5. ff. de minor.* aduersus immixtionem autem non restituitur *l. 57. §. fin. ff. de acquir. hered.*

Ad

veluti filius, filia, nepos, neptisue ex filio, & deinceps ceteri liberi, qui in poteſtate morientis modo fuerint. Sed vt nepos neptisue ſui heredes ſint, non ſufficit, eum eamue in poteſtate aui, mortis tempore fuiſſe: ſed opus eſt, vt pater eius, vivo patre ſuo, deſierit ſuus heres eſſe, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus a patris poteſtate: tunc enim nepos neptisue in locum patris ſui ſuccedit. Sed ſui quidem heredes ideo appellantur: quia domeſtici heredes ſunt, & viuo quoque patre quodammodo domini exiſtimantur. Vnde etiam ſi quis inteſtatus moriatur, prima cauſa eſt in ſucceſſione liberorum. Neceſſarii vero ideo dicuntur, quia omnino, ſiue velint, ſiue nolint, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento, ex lege duodecim tabularum heredes fiunt. Sed his prætor per-

Ad §. 2. *Modo*) H. e. tempore mortis.

Deſierit) Hoc alterum eſt, quod requiritur ad ſuitatem; ſc. vt etiam proximus gradu ſit, ſiue nemo eum ordine antecedat L. 6. *ff. de iniuſt. rupt.* Exceptio ex in caſu, ſi filius exheredatus, & nepos inſtitutus *l. 6. §. 5. ff. de Adquir. hered.*

Quodammodo) Nec enim reuera domini ſunt, ſed ſperatum tantum dominium habent *l.* 11. *ff. de lib. & poſth.*

Liberorum) Et quidem non modo ſuorum, vt olim, ſed & emancipatorum. *Nov.* 118. c. 1.

 Ab-

permittit volentibus abſtinere hereditate: vt potius parentis, quam ipſorum bona ſimiliter a creditoribus poſſideantur.

De Extraneis.

3. Ceteri, qui teſtatoris iuri ſubiecti non ſunt, extranei heredes appellantur. Itaque liberi quoque noſtri, qui in poteſtate noſtra non ſunt, heredes a nobis inſtituti, extranei heredes nobis videntur. Qua de cauſa & qui heredes a matre inſtituuntur, eodem numero ſunt: qui feminæ in poteſtate liberos non habent. Seruus quoque heres

---

Abſtinere) Ne ad æs alienum defuncti ſoluendum teneantur *l.* 57. *ff. de Adquir. hered.* Minor autem, etiamſi ſe immiſcuerit, tamen contra immixtionem reſtitui poteſt, *d. l.* 57. §. 1. In feudis quoque filius ius abſtinendi habet, ſi modo ab allodio ſimul abſtineat; nam alterutrum acceptare nequit 2. *F.* 45.

Potius parentis) Vt pudori filiorum parceretur, ne ex ſubhaſtatione bonorum, quandam infamiam incurrant. *l.* 28. *ff. de bon. aut. iud. poſſid.*

Ad §. 3. *Eodem numero ſunt*) Hodie tamen per *Nou.* 115. *c.* 3. quoad neceſſitatem inſtituendi, inter ſuos & emancipatos non eſt differentia. Quoad facultatem vero transmittendi hereditatem differunt; nam ſui quoque ante immixtionem mortui, in quoscunque, extraneos etiam transmittunt hereditatem *l.* 8. *C. de ſuis & legit. hered.* Emancipati vero ante aditionem mortui in ſolos deſcendentes *l. vn. C. de his qui ante apert. tabb.*

Ha-

heres a domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.

De testamenti factione.

4. In extraneis heredibus illud obseruatur, vt sit cum eis testamenti factio, siue heredes ipsi instituantur, siue ii, qui in potestate eorum sunt. Et id duobus temporibus inspicitur: testamenti quidem facti (1) tempore, vt constiterit institutio: mortis (2) vero testatoris, vt effectum habeat. Hoc amplius, & cum (3) adit hereditatem, esse debet cum eo testamenti factio, siue pure, siue sub conditione heres institutus sit: nam ius heredis eo maxime tempore inspiciendum est, quo adquirit hereditatem. *Medio* autem *tempore*, inter factum testamentum, & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio iuris non nocet heredi: quia (vt diximus) *tria* tempora inspici debent. *Testamenti autem factionem non solum is habere videtur, qui testamentum facere potest: sed etiam qui ex alieno testa-*

Habetur) Quia tempore mortis iam liber homo & sic non amplius heres necessarius est.

Ad §. 4. *Existentem*) Ergo in illo qui sub conditione institutus, tempus quo existit conditio respiciendum *l.* 59. §. 4. *ff. de hered. inst.*

Facere potest) Hæc *actiua* testamenti factio dicitur.

Ca-

testamento vel ipse capere potest, vel alii adquirere, licet non possit facere testamentum. Et ideo furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamilias, & seruus alienus, testamenti factionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento vel sibi, vel alii adquirere possunt.

De iure deliberandi, & beneficio inuentarii.

5. Extraneis autem heredibus *deliberandi potestas est* de adeunda hereditate, vel non adeunda. Sed siue is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hereditatis: siue extraneus, cui de adeunda hereditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet, nisi minor sit xxv. annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis, deceptis, ita & si temere damnosam hereditatem susceperint, prætor succurrit. Sciendum est tamen, diuum Adrianum

Capere potest) Hæc *passiua* vocatur.

Ad §. 5. *Extraneis autem*) Ita tamen vt non excludantur sui heredes a iure deliberandi *l. 7. & seq. ff. de iure delib.*

Deliberandi potestas) Vtrum sc. hereditatem adire expediat nec ne *l. 5. pr. ff. eod.* Spatium deliberandi annus est *l. 19. C. eod.* sc. creditoribus & legatariis urgentibus, alias per triginta annos adiri potest hereditas *arg. l. 7. C. de Petit. hered.*

Bene-

num etiam maiori viginti quinque annis veniam dedisse, cum post aditam hereditatem grande æs alienum, quod aditæ hereditatis tempore latebat, emersisset. Sed hoc quidem diuus Adrianus cuidam speciali beneficio præstitit. Diuus autem Gordianus postea militibus tantummodo hoc concessit. Sed nostra beneuolentia commune omnibus subiectis imperio nostro hoc beneficium præstitit, & constitutionem, tam æquissimam, quam nobilissimam, scripsit, cuius tenorem si obseruauerint homines, licet eis adire hereditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hereditatis contingit; vt ex hac causa neque deliberationis auxilium sit eis necessarium, nisi omissa obseruatione nostræ con-

Beneficium) Scil. inuentarii: Quod efficit, ne heres vltra vires hereditarias teneatur creditoribus, & ita separationem bonorum heredis & defuncti inducit, & confusionem actionum impedit, *l. fin. §. 4. & 9. C. de iure deliber.* Facienda autem consignatio intra *tres menses* a die scientiæ, aut heredibus absentibus, & bonis alibi sitis intra annum, *d. l. fin. §. 1. 2. 3. & 11.* adhibito *Notario & citatis creditoribus ac legatariis*, vel his absentibus in præsentia *trium testium d. §. 2. Nou. 2. c. 2. §. 1.* Et heredis nomine subscripto. Alias *repertorium* dicitur in *l. 7. pr. ff. de Administr. tut.*

Constitutionem) Quæ est in *cit. l. fin.* add. *Nou 1. c. 2.*

constitutionis, & deliberandum existimauerint, & sese veteri grauamini aditionis supponere maluerint.

De adquirenda vel omittenda hereditate.

6. Item extraneus heres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hereditatem vocatus, potest aut pro herede gerendo, aut etiam nuda voluntate suscipiendæ hereditatis heres fieri. Pro herede autem gerere quis videtur, si rebus hereditariis tanquam heres vtatur, vel vendendos res hereditarias, vel prædia colendo, locandoue, & quoquo modo voluntatem suam declaret, vel re, vel verbo de adeunda hereditate: dummodo sciat, eum, in cuius bonis pro herede gerit, testatum, intestatumue obiisse, & se ei heredem esse. Pro herede enim gerere, est *pro domino gerere*. Veteres enim, heredes pro dominis appellabant. Sicut autem nuda voluntate extraneus heres fit, ita contraria destinatione statim ab hereditate repellitur. Eum, qui surdus vel mutus natus, vel postea factus est, nihil prohibet pro herede gerere & acquirere sibi hereditatem; si tamen intelligit, quod agit.

TITV-

Ad §. 6. *Videtur*) Nisi de alia mente constet, veluti, si protestatus sit, se non animo hereditatem adeundi, hoc facere *l. 20. pr. ff. de Adquirend. hered.*

Pro domino) Nam heres herus est.

TITV-

Titvlvs XX.

D. XXX. & seqq. C. VI. 37.

De Legatis.

Continuatio.

Post hæc videamus de *legatis*: quæ pars iuris extra propositam quidem materiam videtur. Nam loquimur de iis iuris figuris, quibus per vniuersitatem res nobis adquiruntur. Sed cum omnino de testamentis, & de heredibus, qui in testamentis instituuntur, locuti simus, non sine causa sequenti loco potest hæc iuris materia tractari.

Definitio.

1. Legatum itaque est donatio quædam, a defuncto relicta, ab herede præstanda.

De

TITVLVS XX.

Ad pr. *Per vniuersitatem*) H. e. titulo vniuersali, legatum autem titulo particulari capimus §. *fin. supra per quas person. cuique adquir.*

Ad §. 1. *Donatio*) Quia merum lucrum continet L. 32. *ff. Mandati.*

Quædam) E. est improprie talis, cuius signum est vox *quædam.* Brunn. *in Exercit. hic.* Nam in eo a vera donatione siue *inter viuos*, siue *mortis causa* differt, quod in illis acceptatio alterius requiratur L. 55. *ff. de O. & A.* L. 38. *ff. de mort. caus. donat.* non in legatis *l.* 77. §. 3. *ff. de Leg.* 2.

Relicta) Verbis *directis*, nam si verbis obliquis & *precatiuis*, fideicommissum est.

Ab herede præstanda) Si ipse testator præstiterit

S 4 *l.* 22.

De antiquis generibus legatorum.

2. Sed olim quidem erant legatorum genera *quatuor:* per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per praeceptionem, & certa quaedam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quae singula genera legatorum significabantur. Sed ex constitutionibus diuorum Principum solennitas huiusmodi verborum penitus sublata est. Nostra autem constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, *defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum fauentes,* disposuit, vt omnibus legatis vna sit natura, &

---

l. 22. *ff. de leg.* 2. potius in donationem mortis causa degenerat *arg. l.* 84. §. 11. *ff. de Leg.* 1.

Ad §. 2. *Vindicationem*) Legatario concessam, vbi dominium statim transibat. E.g. Do, lego: Vel Titius capito, sumito.

Damnationem) Sc. heredis: *Heres meus damnas esto dare Titio centum.* Vbi legatario tantum actio personalis acquirebatur. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h. l.*

Sinendi modo) Veluti: *Heres meus sinito Titium sibi capere equum.*

Praeceptionem) Seu *praelegatum;* Er soll voraus nehmen.

Diuorum Principum) Constantini, Constantii & Constantis in *l.* 21. *C. h. t.*

Constitutio) Quae est in *l.* 21. *C. comm. de Leg.*

Vna sit natura) Sc. ratione vindicationis, & executionis. Differunt tamen adhuc ratione electionis; Nam

& quibuscunque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi, non solum per *actiones personales*; sed etiam *per in rem*, & *per hypothecariam*. Cuius constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissime accipere possibile est.

Collatio legatorum & fideicommissorum.

3. Sed non vsque ad eam constitutionem standum esse existimauimus. Cum enim antiquitatem inuenimus, legata quidem stricte concludentem, fideicommissis autem, quae ex voluntate magis descendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem, necessarium esse duximus, *omnia legata fideicommissis exaequare*, vt nulla

Nam si genus legatum & verba ad heredem directa, eius etiam est electio; si ad legatarium, huius est. L. 45. §. 1. *ff. de Leg.* 2. *l.* 19. *ff. eod.* Brunn. *in Exerc. hic.*

Actiones personales) Sc. Actionem ex testamento. Quae personalis est, quia ex quasi contractu sc. aditione hereditatis oritur §. 5. *infr. de Oblig. quae quasi ex contr.*

In rem) Seu *Rei vindicatio*. Dominium enim rei legatae ipso iure transit in legatarium L. 80. *ff. de Leg.* 2. *l.* 64. *ff. de furt.*

Hypothecariam) Habet enim legatarius in ceteris rebus hereditariis tacitam hypothecam. *d. l.* 1. *C. commun. de leg.* Non vero in rebus heredis propriis *d. l.* 1. *in fin.*

Ad §. 3. *Fideicommissis*) Singularibus L. 2. *C. commun. de leg.* Vniuersalia hereditatis naturam habent *l.* 1. *ff. ad SCt. Trebell.*

nulla ſit interea differentia: ſed quod deeſt legatis, hoc repleatur ex natura fideicommiſſorum: & ſi quid amplius eſt in legatis, per hoc creſcat fideicommiſſorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permiſtim de his exponendo, ſtudioſis adoleſcentibus quandam introducamus difficultatem: operæ pretium eſſe duximus, interim ſeparatim prius de legatis, & poſtea de fideicommiſſis tractare: vt, natura vtriusque iuris cognita, facile poſſint per miſtionem eorum eruditi ſubtilioribus auribus accipere.

De re legata.

4. Non ſolum autem *teſtatoris* vel *heredis* res, ſed etiam *aliena* legari poteſt: ita, vt heres cogatur redimere eam, & præſtare: vel ſi eam non poteſt redimere, æſtimationem eius dare. Sed ſi talis ſit res, cuius commercium non eſt, vel adipiſci non poteſt; nec æſtimatio eius debetur. Veluti, ſi

---

Differentia) Scil. in *effectu:* Nam in verbis adhuc differunt, ita vt fideicommiſſa verbis precatiuis relinquantur. v. g. *Rogo heredem, vt* 100. *ſoluat Titio d. l.* 2.

Ad §. 4. *Vel heredis*) Hic enim ſi heres eſſe vult, factum etiam & voluntatem defuncti implere debet *l.* 14. *C. de R. V.*

Etiam aliena) Non vt transferatur dominium: ſed vt obligetur heres ad emendum, vel præſtandum pretium.

Nec æſtimatio) Sc. ſi res in totum extra commer-

si quis campum Martium, vel basilicas, vel templa, vel quæ publico vsui destinata sunt, legauerit. Nam nullius momenti tale legatum est. Quod autem diximus, alienam rem posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat alienam rem esse, non si ignorabat. Forsitan enim si sciuisset alienam rem esse, non legasset: & ita diuus Pius rescripsit. Et verius est, ipsum, qui agit, id est, legatarium, probare oportere, sciuisse alienam rem legare defunctum: non heredem probare oportere, ignorasse alienam. Quia *semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.*

De re pignorata.

5. Sed & si rem obligatam creditori aliquis legauerit, necesse habet heres eam luere. Et in hoc quoque casu idem placet, quod in re aliena, vt ita demum luere necesse habeat heres, si sciebat defunctus rem

mercium sit, cuius exempla sequuntur: Aliud si tantum commercio heredis exempta, veluti si Iudæus heres institutus, & ipsi iniunctum, vt Titio Christiano mancipium Christianum præstet *l.* 49. §. 3. *de Leg.* 2. *l.* 34. *de V. O.*

Sciebat) Quilibet enim præsumitur proprias potius, quam alienas res, legare noluisse L. 67. §. 8. *de Leg.* 2. Nisi legatum coniunctæ personæ relictum *l.* 10 *C. h. t.*

Ad §. 5. *Heres eam luere*) Quia legatum ab herede præstandum §. 1. *h. t.*

Si

rem obligatam esse: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expresserit, non debet heres eam luere.

De re aliena iam a legatario acquisita.

6. Si res aliena legata fuerit, & eius rei viuo testatore legatarius dominus factus fuerit: siquidem ex causa emtionis, ex testamento actione pretium consequi potest; si vero ex causa lucratiua, veluti ex donatione, vel ex alia simili causa, agere non potest. Nam traditum est, *duas lucratiuas causas in eundem hominem, & eandem rem concurrere non posse*. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur, interest, vtrum rem, an aestimationem, ex testamento consecutus sit. Nam si rem habet, agere non potest, quia habet eam ex causa lucratiua: si aestimationem, agere potest.

De his, quae non sunt in rerum natura.

7. Ea quoque res, quae in rerum natura non

Si sciebat) Quam scientiam hic itidem probare debet legatarius *l.* 57. *ff. de Leg.* 1.

Ad §. 6. *Emptionis*) Vel alia causa onerosa.

Eadem res) Aliud in quantitate, haec enim multiplicabilis *l.* 34. §. 3. *ff. de leg.* 1.

Agere potest) Nam qui aestimationem habet, non etiam rem ipsam habet. Res vero semper continet aestimationem *l.* 88. *ff. de V. S.* scil. non pristinam, sed praesentem.

non eſt, ſi modo futura eſt, recte legatur: veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

De iure accreſcendi.

8. Si eadem res duobus legata ſit, ſiue coniunctim, ſiue disiunctim, ſi ambo perveniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum: ſi alter deficiat, quia aut ſpreuerit legatum, aut viuo teſtatore deceſſerit, vel alio quoque modo defecerit, totum ad colle-

Ad §. 7. *Fructus*) Hoc legatum ratione transmiſſionis purum eſt, *l.* 99. *ff. de condit. & demonſt.* ratione præſtationis condirionale, ſi ſc. nati L. 1. §. *vlt. eod.*

In illo fundo) Quod ſi certa menſura fructuum legata & fundus adiectus *demonſtratiue*, ſiue in alia periodo, veluti: *Lego Titio* 10. *amphoras vini, quas ex vinea mea ipſi præſtabit heres*, tunc, ſi tantum non naſcatur, aliunde ſupplendum *l.* 12. *ff. de alim. leg. l.* 27. *§. fin. de leg.* 3. Aliud ſi fundus *reſtrictiue* adiectus h. e. ſi in eadem periodo & fundi & quantitatis mentio facta; v. g. *Ex futura vindemia lego Titio* 10. *amphoras vini*, vbi ſi tantum non natum, nihil amplius accipit. L. 8. §. 2. *de leg.* 2.

Ad §. 8. *Legata*) In eodem teſtamento. *l.* 16. *inſ. ff. quib. mod. vſusfr. am.*

Deficiat) h. e. ſi legatum reſpuat, vel ante teſtatorem moriatur. Nam ſi acceptauerit legatum, & poſtea moriatur, illud in heredes ſuos transmittit.

Ad Collegatarium) Ob præſumtam teſtatoris voluntatem.

Ti-

collegatarium pertinet. Coniunctim autem legatur, veluti si quis dicat: *Titio & Seio hominem Stichum do, lego.* Disiunctim ita: *Titio hominem Stichum do, lego. Seio hominem Stichum do, lego.* Sed & si expresserit, *eundem hominem Stichum*, æque disiunctim legatum intelligitur.

Si legatarius proprietatem fundi alieni sibi legati emerit & vsusfructus ad eum peruenerit.

9. Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto vsufructu, & v-

Titio & Seio) Hi verbis & re coniuncti simul sunt. Sed etiamsi verbis tantum fuerint coniuncti, iure autem iterum separati, quod fit assignatione partium, v. g. *Titio & Seio hominem Stichum do lego æquis partibus*, adhuc tamen obtinet ius accerescendi *l.* 89. *de leg.* 3. *l.* 16. §. *f. de leg.* 1. *l.* 142. *de V. S.*

Disiunctim) Hi vocantur *disiuncti* ratione verborum, non rei; hinc etiam *re tantum coniuncti* dicuntur. Inter hos, si soli sint, eodem modo obtinet ius accrescendi. Si vero plures eiusdem generis concurrant: tamen si *verbis tantum*, vel re & verbis simul, s. *mixtim coniunctus*, deficiat, eius portio accrescit collegatario, & quidem cum onere implendi conditionem adscriptam. Si vero *Re tantum* coniunctus, s. disiunctus deficiat, eius portio omnibus accrescit sine onere, plures tamen verbis coniuncti, vel plures mixtim coniuncti pro vna persona habentur, & sic vnam tantum portionem accipiunt *l. vn.* §. 11. *C. de caduc. toll.*

Ad

& vſusfructus ad eum peruenerit, & poſtea ex teſtamento agat, recte eum agere, & fundum petere, Iulianus ait: quia vſusfructus, in petitione, ſeruitutis locum obtinet: ſed officio iudicis continetur, vt deducto vſufructu, iubeat æſtimationem præſtari.

De re legatarii.

10. Sed ſi rem legatarii quis ei legauerit, inutile eſt legatum: *quia quod proprium eſt ipſius, amplius eius fieri non poteſt.* Et licet alienauerit eam, non debetur, nec ipſa res, nec æſtimatio eius.

Si

Ad §. 9. *Peruenerit)* Ex cauſa lucratiua.

Fundum) Integrum: vtut vſumfructum titulo lucratiuo acceperit, & ſic non videatur eum denuo petere poſſe, propter §. 6. *h. t.* Sed ratio ſequitur.

Seruitutis locum) H. e. Vſusfructus inſtar ſeruitutis habetur, vt ita perinde ſit, ac ſi adhuc penes pviorem dominum fundi eſſet; cum res propria legatarii ipſi ſeruire non poſſit *l.* 5. *ff. Si vſusfr. pet.* Hinc legatarius adhuc eum cum proprietate petere poteſt.

Officio iudicis continetur) Hoc eſt, æquitas ſuadet.

Ad §. 10. *Inutile eſt)* Niſi ex parte aliena ſit, veluti ſi ſub hypotheca obligata alteri, vbi liberatio ab illo iure pignoris, h. e. debitum ipſum legatum videtur *l.* 71. §. *pen. l.* 68. *pr.* & §. *fin. de Leg.* 1.

Licet alienauerit) Niſi hæc conditio adiecta: *ſi viuo teſtatore eam alienauerit. L.* 1. *vlt. ff. de Reg. Cat. L.* 41. §. 2. *de leg.* 1.

Ad

Si quis rem suam quasi non suam legauerit.

11. Si quis rem suam quasi alienam legauerit, valet legatum. *Nam plus valet, quod in veritate est, quam quod in opinione.* Sed si legatarii esse putauit, valere constat: quia exitum voluntas defuncti habere potest.

De alienatione, vel oppignoratione.

12. Si rem suam legauerit testator, posteaque eam alienauerit, Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi: itemque diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademisse legatum non videri: & ideo legatarium cum herede eius agere posse, vt prædia a creditore luantur. Si vero quis partem rei legatæ

Ad §. 11. *Quasi alienam*) H. e. putans eam esse alienam.

In opinione) In illis sc. casibus, vbi opinio falsa non obstat agenti; Aliud si talis opinio, seu error, impedimento sit actui, vel certa scientia in agente requiratur, vt in *l.* 15. *ff. de adquir. hered.*

Ad §. 12. *Non adimendi animo*) Veluti si ex necessitate æris alieni res alienata, vbi iste animus non præsumitur L. 34. §. 1. *ff. de Aur. & argent. leg.* Nisi & hic contrarium heres probare velit. *l.* 11. §. 12. *de leg.* 3.

Non videri) Pignori enim nemo res suas dare solet, nisi necessitas vrgeat.

Ad

gatæ alienauerit, pars, quæ non est aliena-ta, omnino debetur: pars autem aliena ita debetur, si non adimendi animo alienata sit.

De liberatione legata.

13. Si quis debitori suo liberationem legauerit, legatum vtile est: & neque ab ipso debitore, neque ab herede eius, potest heres petere, neque ab alio, qui heredis loco sit. Sed potest a debitore conueniri, vt liberet eum. Potest etiam quis vel ad tempus iubere, ne heres petat.

De debito legato creditori.

14. Ex contrario, si debitor creditori suo quod debet, legauerit, inutile est legatum, si nihil plus est in legato quam in debito, quia nihil amplius per legatum habet Quod si in diem, vel sub conditione debitum.

Ad §. 13. *Liberationem legauerit*) Idque non modo *expresse* fit, sed etiam *tacite*, si creditor debitori chirographum leget *L. 3. pr. ff. de lib. leg.* Aliud in pignore legato, vbi tantum ius pignoris remissum censetur *L. 3. ff. de Pact.*

Vt liberet eum) H. e. vt obligationem tollat, chirographum restituat &c.

Ad tempus) Vbi interim vsuræ sistuntur L. 8. §. 2. *de lib. leg.*

Ad §. 14. *Nihil amplius*) Quod tamen non semper ratione summæ, sed & ratione obligationis & actionis considerandum. Ita si debitum illiquidum creditori legatum, propter paratam actionem & executionem ex testamento, iam aliquid amplius est in legato.

tum ei pure legauerit, vtile eſt legatum propter repræſentationem. Quod ſi, viuo teſtatore, dies venerit, vel conditio extiterit, Papinianus ſcripſit, vtile eſſe nihilominus legatum; quia ſemel conſtitit. Quod & verum eſt. Non enim placuit ſententia exiſtimantium, extinctum eſſe legatum, quia in eam cauſam peruenerit, a qua incipere non poteſt.

De dote vxori legata.

15. Sed ſi vxori maritus dotem legauerit, valet legatum, quia plenius eſt legatum, quam de dote actio. Sed ſi, quam non accepit, dotem legauerit, diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, ſi quidem *ſimpliciter* legauerit, inutile eſſe legatum: ſi vero

---

Repræſentationem) H. præſentem ſolutionem conf. L. 1. & 2. *ff. de dot. præl.*

Vtile eſt nihilominus) Quia nunc etiam ex teſtamento hypothecam in rebus defuncti conſecutus. Falcidia tamen ex hoc legato detrahi nequit L. 7. §. *fin. de leg.* 3.

Ad §. 15. *Plenius eſt legatum*) Dos enim *mobilis* alias intra annum ſoluenda L. *vn.* §. 7. *C. de Rei vx. act.* Sed nunc ex legato ſtatim præſtanda. Si dos *immobilis*, ſtatim quidem hæc poſt mortem mariti reſtituenda *d. l. vn.* ſed ſi legata ſit, ſimul impenſæ remiſſæ cenſentur, quæ alias fuiſſent reſtituendæ. *L.* 2. *pr. ff. de dote præleg.* Nec falcidia a legato dotis detrahitur. *L.* 57. & *l.* 81. §. 1. *ff. ad L. Falcid.*

Inutile eſſe) Quia non conſtat, quid quantumue ſit legatum *l.* 69. §. 4 *ff. de Iure dot. l.* 85. §. 1. *de leg.* 1.

Valere

vero *certa pecunia*, vel certum corpus, aut instrumenta dotis in prælegando demonstrata sunt, valere legatum.

De interitu, & mutatione rei legatæ.

16. Si res legata *sine facto heredis* perierit, legatario decedit. Et si seruus alienus legatus sine facto heredis manumissus fuerit, non tenetur heres. Si vero heredis seruus legatus sit, & ipse eum manumiserit, teneri ipsum Iulianus scripsit. Nec interest, sciuerit, an ignorauerit, a se legatum esse. Sed & si alii donauerit seruum, & is, cui donatus est, eum manumiserit, tenetur heres, quamuis ignorauerit, a se eum legatum esse.

De interitu quarundam ex pluribus rebus legatis.

17. Si quis ancillas cum suis natis legauerit

Valere legatum) Falsa enim demonstratio non vitiat legatum §. 39. *h. t.* nisi corpus in legato expressum non reperiatur *l.* 1. §. 7. *de dot. præl.*

Ad §. 16. *Res legata*) H. e. certa species; aliud enim in quantitate, quæ non perit *L.* 11. *C. si cert. pet.*

Sine facto) Hoc est sine heredis culpa, sc. leui *l.* 47. *de leg.* 1.

Legatario) Quia is dominus est L. 66. *ff. de furt.* res autem suo domino perit L. 9. *C. de pignorat. action.*

Sciuerit, an ignorauerit) Quia ad voluntatem defuncti implendam tenetur. Potuisset etiam ab hac ignorantia per inspectionem testamenti se liberare.

uerit, etiamſi ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem eſt, etſi ordinarii ſerui cum vicariis legati fuerint: quia licet mortui ſint ordinarii, tamen vicarii legato cedunt. Sed ſi ſeruus fuerit cum peculio legatus, mortuo ſeruo, vel manumiſſo, vel alienato, peculii legatum extinguitur. Idem eſt, ſi fundus inſtructus, vel cum inſtrumento, legatus fuerit. Nam fundo alienato, & inſtrumenti legatum extinguitur.

De grege legato.

18. Si grex legatus fuerit, & poſtea ad vnam ouem peruenerit: quod ſuperfuerit, vin-

---

Ad §. 17. *Partus*) Quia non ſunt acceſſorium matris, ſed principale L. 63. *de leg.* I.

Cum peculio) Nam hoc eſt acceſſorium *l.* 2. *ff. de pecul. leg.* Sublato autem principali, tollitur acceſſorium *l.* 129. & 178. *de R. I.*

Fundus inſtructus) Sub hoc legato continentur omnia, quæ defunctus in illo fundo, vt inſtructior eſſet, habuit, veluti ſupellex, vina, cibaria. L. 12. §. 27. 28. 39. *ff. de inſt. & inſtrum. leg.*

Cum inſtrumento) Hoc legato continentur tantum inſtrumenta ad culturam fundi neceſſaria, das Hofgewehr. L. 8. & *l.* 12. *pr. ff. eod.*

Extinguitur) Tanquam acceſſorium. Aliud ſi dixerit: lego *fundum & inſtrumentum.* Sic enim inſtrumentum non pro acceſſorio, ſed pro principali habetur *l.* 5. *ff. eod.*

Ad §. 8. *Grex*) Hunc decem oues conſtituunt L. *fin. ff. de abigeis.*

Quod ſuperfuerit) Nam ſub legato totius quæ libet

vindicari poteſt. Grege autem legato, etiam eas oues, quæ poſt teſtamentum factum gregi adiiciuntur, legato cedere, Iulianus ait. Eſt autem gregis vnum corpus ex diſtantibus capitibus: ſicut ædium vnum corpus eſt ex cohærentibus lapidibus.

De ædibus legatis.

19. Ædibus denique legatis, columnas & marmora, quæ poſt teſtamentum factum adiecta ſunt, legato dicimus cedere.

De peculio.

20. Si peculium legatum fuerit, ſine dubio quicquid peculio accedit, vel decedit, viuo teſtatore, legatarii lucro vel damno eſt. Quod ſi poſt mortem teſtatoris, ante aditam hereditatem, aliquid ſeruus adquiſierit, Iulianus ait, ſiquidem ipſi manumiſſo peculium legatum fuerit, omne quod ante aditam hereditatem adquiſitum eſt, legatario cedere: quia huiuſmodi legati dies

---

libet etiam pars continetur L. 76. *ff. de R. V.* Vſusfructus vero gregis perit, ſi grex non amplius ſit integer. *L. fin. quib. mod. vſusfr. amitt.*

Ad §. 19. *Adiecta ſunt)* Ita area legata, tranſit etiam domus a teſtatore ei impoſita *l.* 39. *de leg.* 2. Niſi voluntatem ſuam mutauerit teſtator L. 44. §. 4. *de Leg.* 2. vti intelligenda *l.* 79. §. 3. *de leg.* 3. Brunn. *in Exercit. hic.*

Ad §. 20. *Huiusmodi legati)* Quod iura perſonalia continet, veluti in legato libertatis, h. §. item in Legato vſusfructus & vſus *L. vn.* §. 6. *C. de*

dies ab adita hereditate cedit: ſed ſi extraneo peculium legatum fuerit, non cedere ea legato, niſi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium autem, niſi legatum fuerit, manumiſſo non debetur: quamuis, ſi viuus manumiſerit, ſufficit, ſi non adimatur: & ita Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. Iidem reſcripſerunt peculio legato, non videri id relictum, vt petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit. Iidem reſcripſerunt, peculium videri legatum, cum rationibus redditis liber eſſe iuſſus eſt, & ex eo reliqua inferre.

De rebus corporalibus, & incorporalibus.

21. Tam autem *corporales res* legari pos-

Caduc. toll. l. vn. §. 2. ff. quando dies vſusfr. leg. Reliquorum legatorum dies a tempore mortis cedit. *d. l. vn.* § 5. *C. de Caduc.*

Cedit) Cedere diem eſt, incipere debere; *venire diem* eſt, poſſe petere *l.* 213. *de V. S.*

Non cedere eo legato) Sed penes heredem remanere. Quia ratione extranei dies legati a tempore mortis cedit, ita quantitas etiam, quæ tempore mortis fuit, inſpicienda L. 8. §. *fin. ff. de pecul. leg.*

Non debetur) Sed teſtator id heredi reliquiſſe creditur.

In rationes dominicas) Hoc eſt, qnod dominus ſeruo debebat.

Reliqua) Hæc dicuntur, quæ perfectis rationibus ſuperſunt, die Reſte.

Ad §. 21.

possunt, quam *in corporales*. Et ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari, vt actiones suas heres legatario præstet, nisi exegerit viuus testator pecuniam: nam hoc casu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet: *Damnas esto heres meus domum illius reficere;* vel *illum ære alieno liberare.*

De legato generali.

22. Si generaliter seruus, vel res alia legetur, electio legatarii est, nisi aliud testator dixerit.

Ad §. 21. *Quam incorporales*) Imo potius dicendum, tam incorporales, quam corporales, nam de his plane nullum dubium.

Quod defuncto debetur) Hoc dicitur legatum nominis. *L.* 34. *l.* 44. *§.* 6 *l.* 59. *de leg.* 1.

Legatum extinguitur) Quia exigendo voluntatem mutasse censetur. L. *pen.* §. *vlt. ff. de adim. vel transf. leg.* Nisi debitor pecuniam sponte obtulerit, & testator eam in deposito habuerit L. 11. §. 13. *de leg.* 3. vel alias probare possit legatarius, testatorem id non animo adimendi fecisse.

Ad §. 22. *Electio legatarii*) Ita tamen vt non rem optimam sed mediocrem eligat L. 37. *pr. de leg.* 1. Electione tamen semel facta variare non permissum legatario L. 20. *de Opt. vel elect. leg. l.* 5. *pr. de leg.* 1. Nisi electio non rite facta *l.* 2. §. 2. *L.* 4. & 5. *eod.* Pariter in legato alternatiuo electio legatarii est *l.* 19. & 23. *de leg.* 2.

Dixerit) Vel verba ad heredem directa *l.* 84. *§.* 9. *de leg.* 1. vel testator nullas eius generis res reliquerit *l.* 3. *de tritic. leg.* vel certum sit testatorem de vna re sensisse, vbi heres mentem eius explicabit *l.* 32. §. 1. *de leg.* 1. Brunn. *in Exerc. b.* §.

De optione legata.

23. Optionis legatum, id eſt, vbi teſtator ex ſeruis ſuis vel aliis rebus optare legatarium iuſſerat, habebat olim in ſe conditionem: & ideo, niſi ipſe legatarius viuus optaſſet, ad heredem legatum non transmittebat. Sed ex Conſtitutione noſtra & hoc in meliorem ſtatum reformatum eſt, & data eſt licentia heredi legatarii, optare ſeruum, licet viuus legatarius hoc non fecerit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in noſtra Conſtitutione additum eſt: ſiue plures legatarii extiterint, quibus optio relicta eſt, & diſſentiant in corpore eligendo, ſiue vnius legatarii plures heredes ſint, & inter ſe circa optandum diſſentiant, alio aliud corpus eligere cupiente: ne pereat legatum (quod plerique prudentium contra beneuolentiam introducebant)

Ad §. 23. *Optare*) Hic tamen optimum eligere poteſt. L. 1. *pr. &* §. 1. *de Opt. leg.* niſi optio extraneo delata, & ille vel defunctus, vel intra annum optare noluerit, vbi legatarius optat, ſed mediocre *l. fin. §. 1. C. comm. de leg.*

Conſtitutione noſtra) Quæ eſt in *l. vlt. C. comm. de legat.*

Hoc non fecerit) Modo poſt aditam hereditatem, ſed ante optionem deceſſerit, nam legatum optionis cedit ab adita hereditate *l. 14. pr. ff. eod. l. 16. de Opt. leg.* legatum generis vero a tempore mortis *l. 27. §. 7. ff. quand. dies leg. cedat.*

cebant) fortunam esse huius optionis iudicem & forte hoc esse dirimendum, vt ad quem sors peruenerit, illius sententia in optione præcellat.

Quibus legari potest.

24. Legari autem illis solum *potest, cum quibus testamenti factio est.*

Ius antiquum de personis incertis.

25. *Incertis* vero personis neque legata neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, vt Diuus Adrianus rescripsit. Incerta autem persona videbatur, quam incerta opinione animo suo testator subiiciebat: vel, si quis ita dicat: *Quicunque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato.* Illud quoque, quod iis relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi Consules designati essent, æque incertæ personæ legari videbatur: & denique multæ aliæ huiusmodi species sunt. Libertas

Sorte) Hæc propterea dicitur *sors diuisoria.* Et locum habet, quando de interesse ciuili agitur, & plures, qui idem ius habent, conuenire nequeunt.

Ad §. 24. *Testamenti factio*) Passiua tantum. Qua requiritur & tempore testamenti facti, & tempore mortis testatoris *arg. l.* 49. §. 1. *de hered. instit.*

Ad §. 25. *Incertis*) Ignotis tamen licebat §. *vlt. de hered. inst.*

tas quoque incertæ perſonæ non videbatur poſſe dari, quia placebat, nominatim ſeruos liberari. Sub certa vero demonſtratione, id eſt, ex certis perſonis incertæ perſonæ recte legabatur: veluti, *Ex cognatis meis, qui nunc ſunt, ſi quis filiam meam vxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.* Incertis autem perſonis legata vel fideicommiſſa relicta,& per errorem ſoluta,repeti non poſſe, ſacris Conſtitutionibus cautum erat.

Ius antiquum de poſthumo alieno.

26. Poſthumo quoque alieno inutiliter antea legabatur. Eſt autem alienus poſthumus, qui natus inter ſuos heredes teſtatori futurus non eſt. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat poſthumus auo.

Ius nouum de perſonis incertis, & poſthumo alieno.

27. Sed nec huiusmodi ſpecies penitus eſt ſine iuſta emendatione relicta, cum in noſtro

---

Repeti non eſſe) Ob naturalem obligationem, quæ hic ſubeſſe videtur. *vid. l.* 13. & 19. *ff. de condict. indeb.*

Sacris conſtitutionibus) Hæ non extant, ſed forte cum priori Codice perierunt.

Ad §. 26. *Legabatur*) Partim quia & ille videbatur in certa perſona, partim quia cum eo non erat teſtamenti factio, qui nondum eſſet ciuis, imo ne homo quidem. Ill. Dn. de Fuchs *in Paraphr. h.* §.

Ad §. 27.

nostro Codice Constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solum in hereditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis: quod euidenter ex ipsius Constitutionis lectione clarescit. Tutor autem nec per nostram Constitutionem incertus dari debet; quia certo iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere.

De posthumo alieno herede instituto.

28. Posthumus autem alienus heres institui & ante poterat, & nunc potest, nisi in v-

---

Ad §. 27. *Nostro codice*) Sc. Iustinianeo, nam hic solus in Institutis allegatur, quia Codex repetitæ prælectionis post institutiones demum Anno 534. prodiit *vid. supra not. ad proœm.*

Constitutio) Hæc non reperitur, itaque haud dubie cum Cod. Iustinianeo periit, nam *tit. C. de incert. pers.* non est Authenticus; Apparet tamen ex his, per illam correctum fuisse ius vetus in §. 25. & 26. propositum: Ita, vt & posthumo alieno & incertæ personæ legare liceat, modo hæc ex euentu certiorari possit *arg. §. 25. supra h. t.*

Tutor autem) Ob fauorem pupilli, ne, dum pendet incertitudo, damnum immineat bonis pupilli: Imo & hic mores cogniti esse debent.

Ad §. 28. *Et ante poterat*) Legendum forte cum Alciato, Vulteio & Bachouio: *Posthumus autem non alienus &c.* ne resistat §. 26. *h. t.* Vel verba: *ante poterat*, intelligenda de iure prætorio; quo bonorum possessio secundum tabulas dabatur posthumo *pr. Inst. de bonor. possess.*

in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor esse non potest.

De errore in nomine legatarii.

29. Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator errauerit, cum de persona constat, nihilominus valet legatum. Idemque in heredibus seruatur. Et recte. *Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.*

De falsa demonstratione.

30. Huic proxima est illa iuris regula, Falsa demonstratione legatum non perimi.

Vxor esse non potest) Forte ob sanguinis propinquitatem vel adfinitatem, vid. *l.* 9. §. 1. *ff. de lib. & posth.* vel etiam prohibitiones legis, velut in moniali L. 5. *C. de Episc.*

Ad §. 29. *Errauerit*) Item in nomine *proprio* ipsius rei legatæ L. 4. *pr. de leg.* 1. aliud si in nomine appellatiuo; veluti si pro veste supellectilem scripsit, vbi neutrum debetur *d. l.* 4. *pr.* vide pluribus Brunn. *in Exercit. hic.*

Ad §. 30. *Non perimi*) Est eadem ratio, quæ in §. *præc.* nam & demonstratio plerumque vice nominis fungitur L. 34. *pr. de cond. & demonstr.* nisi vel res demonstrata non extet aut ignoretur L. 17. *pr. &* §. 1. *& l.* 40. §. *pen. eod.* vel testator, si falsitatem demonstrationis sciuisset, eam non legasset L. 46. *ff. de Iure Fisc.* velut in demonstratione consanguinitatis, adfinitatis &c. L. 4. *&* 7. *C. de hered. inst.*

Ver-

mi. Veluti, si quis ita legauerit, *Stichum seruum meum, vernam do, lego.* Licet enim non verna, sed emptus sit; si tamen de seruo constat, vtile est legatum. Et conuenienter, si ita demonstrauerit, *Stichum seruum, quem a Seio emi*, sitque ab alio emptus, vtile est legatum, si de seruo constat.

De falsa causa adiecta.

31. Longe magis legato falsa causa adiecta non nocet: veluti, cum quis ita dixerit, *Titio, quia me absente negotia mea curauit, Stichum do, lego:* vel ita, *Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus sum, Stichum do, lego.* Licet enim neque negotia testatoris vnquam gesserit Titius, neque patrocinio eius liberatus sit, legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud iuris est: veluti hoc modo,

---

Vernam) Talis dicebatur, qui in domo testatoris ex ancilla natus erat.

Ad §. 31. *Non nocet*) Nisi appareat, testatorem vnice hac causa motum, & alias legaturum non fuisse *L.* 72. §. 6. *ff. de Cond. & demonstr.* velut in causa coniunctionis *d. l.* 4. & 7.

Si conditionaliter) Item si sub modo quid relictum; veluti *lego Titio centum, vt negotia mea curet*, vel, *ne in Galliam eat.* Quæ legata statim peti possunt, præstita cautione de modo implendo L. 40. §. *fin.* & *l.* 80. *de Cond. & demonstr.* Quod secus in legato conditionali *l.* 41. & 101. *ff. d. tit.*

Ad

modo, *Titio, si negotia mea curauerit, fundum meum do, lego.*

De seruo heredis.

32. An seruo heredis recte legamus, quæritur? Et constat, pure inutiliter legari, nec quicquam proficere, si viuo testatore de potestate heredis exierit; quia, *quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, hoc non debet ideo valere, quia diutius testator vixerit.* Sub conditione vero legatur seruo, vt requiramus, an, quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

De domino heredis.

33. Ex diuerso, herede instituto seruo, quin domino recte etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam etsi statim post factum testamentum decesserit testator,

Ad §. 32. *Pure inutiliter*) Quia ita ipsi heredi legaretur, quod fieri non potest, ita si scripserit testator: *Titius heres esto, Titio & Meuio lego Bibliothecam:* Meuius eam solus capit *l.* 34. §. 11. *de leg.* 1. nisi pro qua parte coheredem habet, vbi pro illa parte rem capit iure legati. Quodsi vtrique coheredi vnum legatum relictum: quilibet tot partes legati coheredi præstat, quot ipse partes hereditatis capit. vid. *d. l.* 34. §. 12.

Dies legati cedit) Id vero contingit in legatis conditionatis post existentiam conditionis *L.* 5. §. 1. *ff. quand. dies leg. ced.*

Non sit) Sic enim legatum non heredi sed vel sibi, vel suo nouo domino adquirit.

Ad

tor, non tamen apud eum, qui heres ſit, dies legati cedere intelligitur: cum hereditas a legato ſeparata ſit, & poſſit per eum ſeruum alius heres effici, ſi prius, quam iuſſu domini adeat, in alterius poteſtatem translatus ſit; vel manumiſſus ipſe heres efficitur: quibus caſibus vtile eſt legatum. Quod ſi in eadem cauſa permanſerit, & iuſſu legatarii adierit, euaneſcit legatum.

De modo & ratione legandi. De ordine ſcripturæ.

34. Ante heredis inſtitutionem inutiliter antea legabatur: ſcilicet, quia *teſtamenta vim ex inſtitutione heredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti heredis inſtitutio.* Pari ratione nec libertas ante heredis inſtitutionem dari poterat. Sed quia inciuile eſſe putauimus, ſcripturæ ordinem quidem ſequi (quod & ipſi antiquitati vituperandum fuerat viſum) ſperni autem teſtatoris voluntatem, per noſtram conſtitutionem & hoc vitium emandauimus, vt liceat & ante heredis inſtitutionem & inter medias heredis inſtitutiones legatum relin-

Ad §. 33. *Euaneſcit legatum*) Ratio eſt in §. *præc.* Dominus ergo illud tunc iure hereditario capit.

Ad §. 34. *Voluntatem*) Hæc ergo ſi manifeſta, præpoſteratio non nocet L. 24. *C. de teſtam.* L. 35. §. 3. *de hered. Inſt.*

Ad §. 35

relinquere, & multo magis libertatem, cuius vsus fauorabilior est.

De legato post mortem heredis, vel legatarii.

35. Post mortem quoque heredis aut legatarii simili modo inutiliter legabatur: veluti, si quis ita dicat, *Cum heres meus mortuus fuerit, do, lego.* Item *Pridie, quam heres aut legatarius morietur.* Sed simili modo hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstantes: ne in hoc casu deterior causa legatorum, quam fideicommissorum inueniatur.

Si pœnæ nomine relinquatur, adimatur, vel transferatur.

36. Pœnæ quoque nomine inutiliter antea legabatur, & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur,

---

Ad §.55. *Firmitatem*) Sub hac tamen distinctione, vt, si dictum, cum *heres mortuus fuerit*, subsit tacita conditio, si sc. legatarius heredem supervixerit *L. 4. pr. ff. quand. dies leg.* Si dixerit: *cum legatarius mortuus fuerit*, legatum purum est *d. l. 4. §. 1.* quia deficere nequit conditio.

Ad §. 36. *Inutiliter antea*) Legata enim introducta erant ad benignam testatoris voluntatem declarandam, non ad puniendum. Quodsi tamen illa pœna vtilitatem testatoris simul respiciat, olim etiam valebat legatum vid. *l. fin. §. fin. ff. de Except. dol. l. 1. pr. de Penu leg.*

quitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti, si quis ita scripserit, *heres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocaverit:* vel ex diuerso, *si non collocauerit, dato decem aureos Seio:* aut si ita scripserit, *heres meus si seruum Stichum alienauerit*, vel ex diuerso, *si non alienauerit, Titio decem aureos dato.* Et in tantum hæc regula obseruabatur, vt quam plurimis principalibus constitutionibus significaretur, nec principem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. Nec ex militis quidem testamento talia legata valebant: quamuis aliæ militum voluntates in ordinandis testamentis valde obseruabantur, quin etiam nec libertates pœnæ nomine dari posse placebat: eo amplius nec heredem pœnæ nomine adiici posse, Sabinus existimabat: veluti si quis ita dicat, *Titius heres esto: si Titius filiam suam in matrimonium Seio collocauerit, Seius quoque heres esto.* Nihil enim interest, qua ratione Titius coerceretur, vtrum legati datione, an coheredis adiectione. Sed *huiusmodi scrupulositas nobis non placuit:* & generaliter ea, quæ relinquuntur, *licet pœnæ nomine* fuerint relicta, vel adempta, vel in

---

Licet pœnæ nomine) Vti enim inter viuos quilibet rei suæ legem dicere potest, quam velit, *arg. l. 21. C. Mand.* Ita & in testamento liber debet esse cu-

in alium translata, nihil distare a ceteris legatis constituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel transferendo: exceptis videlicet iis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut alias probrosa. Huiusmodi enim testamentorum dispositiones valere, secta meorum temporum non patitur.

TITVLVS XXI.
D. XXXIV. 4.
DE ADEMTIONE LEGATORVM ET TRANSLATIONE.
De Ademtione.

Ademtio legatorum siue eodem testamento adimantur, siue codicillis, firma est. Sed & siue contrariis verbis fiat adem-

se cuiusuis stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium *L.* 1. *C. de SS. Eccles.*

Impossibilia sunt) Nam hæ conditiones pro non adscriptis habentur *vid. supra* §. 10. *de hered. instit.*

TITVLVS XXI.

Ad pr. *Contrariis verbis*) Sola ergo voluntas hic spectatur, L. 3. §. *fin.* & *l.* 13. *ff. h. t.* hinc & duo testes sufficiunt, *L.* 27. *C. de Fideicomm.* imo & sola scriptura testatoris, *arg. d. l.* 3. sed & præsumpta voluntas hic interdum consideratur, veluti, si suborta inimicitia inter testatorem & legatarium *d. l.* 3. & *l.* 22. *h. t.* nisi reconciliatio secuta *l.* 4. *h. t.* Item si ex factis constet de voluntate, v. g. cancellatione & delatione *l.* 16. *h. t.* alienatione rei legatæ *l.* 18. *eod.* mutatione formæ rei legatæ *l.* 65. §. *fin. de leg.* I.

Ad

ademtio; veluti, si quis ita quid legauerit, *Do, lego,* ita adimatur, *Non do, non lego:* siue non contrariis, sed aliis quibuscunque verbis.

De translatione.

1. Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti, si quis ita dixerit, *hominem Stichum, quem Titio legaui, Seio lego:* siue in eodem testamento, siue in codicillis hoc fecerit. Quo casu simul & Titio adimi videtur, & Seio dari.

Titvlvs XXII.

D. XXXV. 2. C. VI. 49.

DE LEGE FALCIDIA.

Summa huius legis.

SVperest, vt de *lege Falcidia* dispiciamus, qua modus nouissime legatis impositus est. Cum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi potestas, vt liceret vel totum patrimonium legatis erogare:

Ad §. 1. *Quem Titio legaui*) Si hæc relatio ad priorem legatarium non facta, non translatio est, sed coniunctio. L. 89. *ff. de Condit. & demonstr. l.* 33. *de Leg.* 1. Transfertur autem in Seium res cum onere priori legatario adiecto *L.* 13. *pr. h. t. l.* 24. *pr. eod.* nisi fuerit onus personale *d. l.* 24.

Seio dari) Ratione Seii ergo est nouum legatum, hinc vtut in ademptione legati duo testes sufficiant, in translatione tamen 5 necessarii sunt.

gare: quippe cum ea lege ita cautum esset, *Vti quisque legaſſit ſuæ rei, ita ius eſto;* viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare: idque *ipſorum teſtatorum gratia* prouiſum eſt, ob id, quod plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis heredibus, pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. Et cum ſuper hoc tam *lex Furia*, quam *lex Voconia* latæ ſunt, quarum neutra ſufficiens ad rei conſummationem videbatur; nouiſſime lata eſt *lex Falcidia*, qua cauetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum: id eſt, vt ſiue vnus heres inſtitutus ſit, ſiue plures, apud eum eosue pars quarta remaneat.

De

TITVLVS XXII.

Ad pr. *Teſtatorum gratia*) Lex enim Falcidia nec heredem *in paupertate viuere*, nec teſtatorem *in anxietate mori* permittit *Nouell.* **1.** *in epil.* Id quod non ad omnes leges ciuiles applicandum.

Furia) Hac ſancitum, ne vltra mille aſſes legare liceret. Quodſi ergo teſtator non plus habebat, heres pariter nihil accipiebat.

Voconia) Hac tantum relinqui debebat heredi, quantum vni ex legatariis.

Falcidia) Ita dicta a *Publ. Falcidio* tribuno plebis, non a defalcando, vt quidam putant.

Pars quarta remaneat) Sunt tamen quidam caſus, vbi ceſſat detractio huius quartæ. Vt: Si heres non fecit inuentarium, vel non rite fecit *Nou.* **1.** *c.* **2.** §. **2.** ſi teſtator prohibuit *d. Nou.* **1.** *c.* **2.** ſi

heres

De pluribus heredibus.

1. Et cum quæſitum eſſet, duobus heredibus inſtitutis (veluti Titio & Seio) ſi Titii pars aut tota exhauſta ſit legatis, quæ nominatim ab eo data ſunt, aut ſupra modum onerata; a Seio vero aut nulla relicta ſint legata, aut quæ partem eius duntaxat in partem dimidiam minuant: an quia is quartam partem totius hereditatis, aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta ſunt, retinere liceat, vt quartam partem ſuæ partis ſaluam habeat? placuit poſſe retinere. Etenim *in ſingulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda eſt.*

Quæ bona computanda in Falcidiam.

2. *Quantitas* autem patrimonii, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, *mortis tempore ſpectatur.* Itaque (verbi gratia) ſi is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legauerit, nihil legatariis prodeſt, ſi ante aditam hereditа-

heres admonitus intra annum non præſtet legata *Nou.* 1. *c.* 1. ſi integra legata ſoluere promiſerit, etiamſi errore iuris *l. vlt. C. h. tit.* Si quædam legata integra ſoluit. *Nou.* 1. *c.* 3. Si miles fuerit teſtator *L.* 17. *h. t.* Si dos relegata *L.* 81. §. 1. *ff. h. tit.* Si id egit heres vt legatum intercideret. L. 59. *pr. h. t.* vid. plur. Brunn. *in Exercit. hic.*

Ad §. 1. *Singulis heredibus*) Nam Lex Falcidia heredum cauſa introducta eſt, non tantum omnium in genere, ſed & ſingulorum L. 77. *h. t.*

reditatem per seruos hereditarios, aut ex partu ancillarum hereditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accesserit hereditati, vt centum aureis legatorum nomine erogatis, heres quartam partem hereditatis habiturus sit: sed necesse est, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diuerso, si septuaginta quinque legauerit, & ante aditam hereditatem in tantum decreuerint bona (incendiis forte, aut naufragiis, aut morte seruorum) vt non amplius, quam septuaginta quinque aureorum substantia, vel etiam minus relinquatur; solida legata debentur. Nec ea res damnosa est heredi, cui liberum est non adire hereditatem: quæ res efficit, vt sit necesse legatariis, ne destituto testamento, nihil

Ad §. 2. *Nihilominus quarta pars*) Quæ ergo non titulo vniuersali sed singulari v. g. legati, fideicommissi &c. accepit heres, in Falcidiam imputare non tenetur *l.* 74. & 91. *ff. h. tit.* Aliud in Trebellianiea *d. l.* 91.

Liberum est non adire) Aliud in fideicommisso vniuersali, vbi adire tenetur hereditatem fiduciarius, §. 7. *tit. seqq.*

Nihil consequantur) Neque hoc mutatum per *Nou.* 115. *c.* 3. *in fin.* vbi, testamento per querelam euacuato, legata tamen sustinentur. Nam hoc ita in testamento *inofficioso*, aliud in *destituto*, vbi adhuc hodie legata corruunt.

Pacisci

nihil consequantur, cum herede in portione pacisci.

Quae detrahantur ante Falcidiam.

3. Cum, autem ratio legis Falcidiae ponitur, ante (1) *deducitur aes alienum*, item (2) *funeris impensa*, & (3) *pretia seruorum manumissorum:* tunc demum in reliquo ita ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud heredem maneat, tres vero partes inter legatarios distribuantur: pro rata scilicet portione eius, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque si fingamus quadringentos aureos legatos esse, & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse, quarta pars legatariis singulis debet detrahi. Quod si trecentos quinquaginta legatos fingamus, octaua debet detrahi. Quod si quingentos legauerit, initio quinta, deinde quarta detrahi debet. Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.

Titv-

Pacisci) Idem obtinere potest in casu, si testator detractionem falcidiae prohibuerit, quod per *Nou.* 1. *c.* 2. facere potest.

Ad §. 3. *Aes alienum*) Quia bona non intelliguntur, nisi deducto aere alieno *l.* 39. *ff. de V. S.*

Seruorum manumissorum) Qui pileati funus antecedere debebant.

TITVLVS XXIII.

D. XXXVI. I. C. VI. 49.

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBVS, ET AD SENATVSCONSVLTVM TREBELLIANVM.

Continuatio.

NVnc transeamus ad fideicommissa, sed prius est, vt de hereditatibus fideicommissariis videamus.

Origo fideicommissorum.

1. Sciendum itaque est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse: quia nemo inuitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem vel legata relinquere, si relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant (hereditatem.) Et ideo fidei commissa appellata sunt; quia nullo vinculo iuris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea diuus Augustus primus, semel iterumque (1) gratia persona-rum

---

TITVLVS XXIII.

Ad pr. *Hereditatibus fideicommissariis*) Hæc sunt fideicommissa vniuersalia, vbi tota hereditas, vel pars eius verbis precatiuis alicui relinquitur L. 8. C. *ad SC. Trebell.*

Ad §. 1. *Gratia personarum motus*) Itaque ius singulare certarum personarum intuitu concessum, ab Imperatore quidem vniuersale reddi, sed a iu-

rum motus, vel (2) ob insignem quorundam perfidiam, iussit consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia iustum videbatur, & populare erat, paulatim conuersum est in assiduam iurisdictionem; tantusque eorum fauor factus est, vt paulatim etiam Prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, quem fideicommissarium appellabant.

De fideicommisso heredis scripti.

2. Inprimis igitur sciendum est, opus esse, vt aliquis recto iure testamento heres instituatur, eiusque fidei committatur, vt eam hereditatem alii restituat: alioqui inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur. Cum igitur aliquis scripserit, *Lucius Titius heres esto*, potest adiicere, *rogo te, Luci Titi, vt cum primum poteris hereditatem meam adire, eam Caio Seio reddas, restituas.* Potest autem quisque & de parte restituenda heredem rogare: & liberum

---

a iudice inferiore in consequentiam trahi non debet §. 6. *Inst. de Iure N. G. & Ciu. l.* 14. *& seq. ff. de LL.*

Ad §. 2. *Testamento heres*) Quod si ergo in codicillis fideicommissum relinquatur, heredis institutione opus non est, cum nec possit heres in codicillis institui §. 2. *infra de codicill.* imo & ab intestato fideicommissa relinquuntur §. 10. *h. t.*

rnm eſt, vel pure, vel ſub conditione relinquere fideicommiſſum, vel ex certo die.

Effectus reſtitutionis hereditatis.

3. Reſtituta autem hereditate is quidem, qui reſtituit, nihilominus heres permanet: is vero, qui recipit hereditatem, aliquando heredis, aliquando legatarii loco habetur.

De Senatusconſulto Trebelliano.

4. Et Neronis quidem temporibus, Trebellio Maximo & Annæo Seneca conſulibus, ſenatusconſultum factum eſt, quo cautum eſt, vt ſi hereditas ex fideicommiſſi cauſa reſtituta ſit, omnes actiones, quæ iure ciuili heredi, & in heredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hereditas. Poſt quod ſenatusconſultum Prætor vtiles actiones ei, & in eum, qui recipit hereditatem, quaſi heredi, & in heredem, dare cœpit.

De

Ad §. 3. *Heres permanet*) Et vocatur heres *fiduciarius l. 46. ff. ad SCt. Trebell.*

Heredis) *fideicommiſſarii*, §. 7. *h. t.* ſcil. ſi fideicommiſſum ſit vniuerſale.

Legatarii) Si ſit fideicommiſſum particulare.

Ad §. 4. *In eum darentur*) Et ita per SCtum Trebellianum non modo commoda, ſed & onera in fideicommiſſarium transferebantur.

Vtiles actiones) Nam directæ ſtricto iure adhuc contra fiduciarium competebant, quia & poſt reſtitutionem heres manebat §. *prec.* & *l.* 88. *ff. de hered. inſtit.*

Ad §. 5.

De SC. Pegasiano.

5. Sed quia heredes scripti, quum aut totam hereditatem, aut pene totam plerumque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa: postea Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione consulibus, senatus censuit, vt ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex L. Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex singulis quoque rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur, eadem retentio permissa est. Post quod senatusconsultum *ipse heres onera hereditaria sustinebat:* ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat partem hereditatis, legatarii partiarii loco erat, id est, eius legatarii, cui pars bonorum legabatur: quæ species legati *partitio* vocabatur, quia cum herede legatarius partiebatur hereditatem. Vnde

Ad §. 5. *Atque ex lege Falcidia*) Obseruata tamen diuersitate supra *ad* §. 2. *tit. præc.* adducta.

Retinere) Secus in herede fideicommissario, qui nullam quartam retinere potest L. 55. §. 2. *ff. ad ff. Trebell.* Nisi in casu, si fiduciarius compulsus adierit hereditatem, & ita quartam detrahere non potuerit. *vid.* §. 7. *in fin. h. t.* vbi fideicommissarius eam secundo fideicommissario detrahit. *L.* 1. §. 19. *l.* 2. *& seqq. ff. eod.*

Ad

Vnde quæ ſolebant ſtipulationes inter heredem & partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicommiſſo recepit hereditatem, & heredem: id eſt, vt lucrum & damnum hereditarium pro rata parte inter eos commune eſſet.

Quibus caſibus locus eſt SC. Trebelliano, vel Pegaſiano.

6. Ergo ſi quidem non plus quam dodrantem hereditatis ſcriptus heres rogatus ſit reſtituere, tunc ex Trebelliano ſenatusconſulto reſtituebatur hereditas, & in vtrumque actiones hereditariæ pro parte rata dabantur: in heredem quidem iure ciuili: in eum vero, qui recipiebat hereditatem ex ſenatusconſulto Trebelliano, tanquam in heredem. At ſi plus, quam dodrantem, vel etiam totam hereditatem reſtituere rogatus eſſet, locus erat Pegaſiano ſenatusconſulto; & heres, qui ſemel adierat hereditatem (ſi modo ſua voluntate adierat) ſiue retinuerat quartam partem, ſiue retinere noluerat, ipſe uniuerſa onera hereditaria ſuſtinebat. Sed quarta quidem retenta, quaſi partis & pro parte ſtipu-

Ad §. 6. *In vtrumque*) Tam fiduciarium quam fideicommiſſarium.

Sua voluntate adierat) Nam coactus adire quartam non detrahebat.

Ad §. 7.

ſtipulationes interponebantur, tanquam inter partiarium legatarium, & heredem: ſi vero totam hereditatem reſtitueret, emptæ & venditæ hereditatis ſtipulationes interponebantur. Sed ſi recuſabat ſcriptus heres adire hereditatem, ob id, quod diceret eam ſibi ſuſpectam eſſe, quaſi damnoſam: cauebatur Pegaſiano Senatusconſulto, vt deſiderante eo, cui reſtituere rogatus eſſet, iuſſu prætoris adiret, & reſtitueret hereditatem, perindeque ei & in eum, qui reciperet hereditatem, actiones darentur, ac iuris eſt ex Trebelliano ſenatusconſulto. Quo caſu nullis ſtipulationibus eſt opus: quia ſimul & huic, qui reſtituit, ſecuritas datur, & actiones hereditariæ ei, & in eum transferuntur, qui recipit hereditatem; vtroque ſenatusconſulto in hac ſpecie concurrente.

Pegaſiani in Trebellianum transfuſio.

7. Sed quia ſtipulationes ex ſenatusconſulto Pegaſiano deſcendentes, & ipſi antiquitati diſplicuerunt, & quibusdam caſibus captioſas eas homo excelſi ingenii Papinianus appellat, & *nobis in legibus magis ſimplicitas, quam difficultas placet:* ideo omni-

Ad §. 7. *Captioſas eas*) Lapſo enim facultatibus fideicommiſſario, heres erat in damno, qui ſolidum æs alienum ſoluerat. Contra ære alieno exacto, ſi heres deſineret eſſe ſoluendo, fraudabatur ita fideicommiſſarius.

Repe-

omnibus nobis suggestis tam similitudiuibus, quam differentiis vtriusque senatusconsulti, placuit, exploso senatusconsulto Pegasiano, quod postea superuenit, omnem auctoritatem Trebelliano senatusconsulto præstare, vt ex eo fideicommissariæ hereditates restituantur: siue habeat heres ex voluntate testatoris quartam, siue plus, siue minus, siue nihil penitus: vt tunc, quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei (1) vel quartam, vel quod deest, ex nostra auctoritate retinere vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano SC. (2) pro rata portione actionibus tam in heredem, quam in fideicommissarium competentibus. Si vero totam hereditatem sponte restituerit, omnes hereditariæ actiones fideicommissario, & aduersus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum Pegasiani senatusconsulti fuerat, vt, quando recusaret heres scriptus sibi datam hereditatem adire, necessi-

Repetere solutum) Dummodo non errore iuris, sed facti solutum *L. 9. C. ad L. Falc.* Quem probare heres tenetur L. 68. §. 1. *ff. vd SC. Trebell.*

Actionibus) Creditoribus competentibus, non legatariis; legata enim solus fideicommissarius vniuersalis præstat L. 1. §. *fin. ff. ad SCt. Trebell.* In quantum autem plus quarta accepit fiduciarius, in tantum ad legata soluenda tenetur L. 1. & 2. *C. eod. tit.*

Neces-

cessitas ei imponeretur, totam hereditatem volenti fideicommissario restituere, & omnes ad eum & contra eum transferre actiones, & hoc transposuimus ad senatusconsultum Trebellianum, vt (3) ex hoc solo necessitas heredi imponatur, si ipso nolente adire, fideicommissarius desideret restitui sibi hereditatem, nullo nec damno nec commodo apud heredem remanente.

Quando supra dicta locum habeant.

8. Nihil autem interest, vtrum aliquis ex asse heres institutus, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere rogatur: an ex parte heres institutus, aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatur. Nam & hoc casu eadem obseruari præcipimus, quæ in totius hereditatis restitutione diximus.

De eo, quod heres voluntate testatoris deducit, præcipitue.

9. Si quis vna aliqua re deducta, siue præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo, vel alia re) rogatus sit restituere hereditatem, simili modo ex Trebelliano sena-

---

Necessitas heredi imponatur) Iure nouo si heres adire nolit, nec coheredes aut substituti adsint: ipsi fideicommissarii adire possunt. *Nou.* 1. *c.* 1. §. 1.

Nec commodo) Itaque nec Trebellianicam hoc casu deducit.

Ad §. 8. *Eadem obseruari*) Quia eadem ratio partis est, quæ totius *l.* 76. *ff. de R. V.*

Ad §. 9.

ſenatusconſulto reſtitutio fiet, perinde ac ſi quarta parte retenta, rogatus eſſet reliquam hereditatem reſtituere. Sed illud intereſt, quod altero caſu, id eſt, cum deducta ſiue præcepta aliqua re, reſtituitur hereditas, in ſolidum ex eo ſenatusconſulto actiones transferuntur, & res, quæ remanet apud heredem, ſine vllo onere hereditario apud eum remanet, quaſi ex legato ei adquiſita: altero vero caſu, id eſt, cum quarta parte retenta, rogatus eſt heres reſtituere hereditatem, & reſtituit, ſcinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fideicommiſſarium, pro quadrante remanent apud heredem. Quin etiam licet vna re aliqua deducta, aut præcepta, reſtituere aliquis hereditatem rogatus ſit, in qua maxima pars hereditatis contineatur, æque in ſolidum transferuntur actiones. Et ſecum deliberare debet is, cui reſtituitur

---

Ad §. 9. *Perinde*) Ergo in quartam Trebellianicam imputantur etiam illa, quæ iure legati accepit heres, vide *not. ad* §. 2. *tit. præc.*

Quaſi ex legato) Legatum autem non onus, ſed ſolum lucrum continet. *L.* 32. *ff. Mand.*

Apud heredem) Nam dum quarta parte retenta reliquam hereditatem reſtituere rogatur, hoc ſignum eſt, quod illam partem iure hereditario retineat, & ita vt heres ad onera etiam adſtrictus erit.

Con-

tuitur hereditas, an expediat sibi restitui. Eadem scilicet interueniunt, & si duabus pluribusue deductis præceptisue rebus, restituere hereditatem rogatus sit. Sed & si certa summa deducta præceptaue, quæ quartam vel etiam maximam partem hereditatis continet, rogatus sit aliquis hereditatem restituere, idem iuris est. Quæ autem diximus de eo, qui ex asse institutus est, eadem transferimus & ad eum, qui ex parte heres scriptus est.

De fideicommisso heredis ab intestato.

10. Præterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua vel legitimo iure, vel honorario pertinere intelligit, vt hereditatem suam totam, partemue eius, aut rem aliquam, veluti fundum, hominem, pecuniam, alicui restituat: cum alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant.

De

Continet) Quodsi integram quartam non contineat, vel ad supplementum agit heres, vel quod deest, iure hereditario retinet *L.* 1. §. 16. *ff. ad SC. Trebell.*

Ad §. 10. *Rogare eum*) Licet enim nemo sit onerandus, qui non est honoratus *L.* 9. *C. de Fideicomm.* Satis tamen honoratus est heres ab intestato, dum non exclusus *l.* 1. §. 6. *de Leg.* 3. *l.* 8. §. 1. *de Iure Codicill.* Quod & in filio procedit in bonis præter legitimam relictis, non in ipsa legitima *L.* 32. *C. de inoff. test.*

De fideicommisso relicto a fideicommissario.

11. Eum quoque, cui aliquid restituitur, potest rogare, vt id rursum alii aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud restituat.

De probatione fideicommissi.

12. Et quia prima fideicommissorum cunabula a fide heredum pendent, & tam nomen, quam substantiam acceperunt, ideo diuus Augustus ad necessitatem iuris ea retraxit. Nuper & nos eundem Principem superare contendentes, & facto, quod Tribonianus, vir excellentissimus, Exquæstor sacri palatii, suggessit, constitutionem fecimus, per quam disposuimus, si testator fidei heredis sui commisit, vt vel hereditatem, vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res

Ad §. 11. *Aut totum*) Neque hic iterum quartam detrahere potest *l.* 47. §. 1. *ff. ad L. Falc.* vide *supra not. ad §.* 5. *h. t.* Quia non vt heres restituere rogatus est *L.* 22. *§. fin. ff. ad SC. Trebell.*

Ad §. 12. *Heredis sui*) Et quidem *præsentis.* Cum is tacendo videatur consensisse in fideicommissum arg. *l.* 18. *ff. Mand.* Alia ergo ratio heredis absentis. vid. Brunn. *ad l. vlt. C. de Fideicomm. n.* 3. & 4. Quod si plures quis heredes habeat, omnibus hoc committendum a testatore, alias ille, cuius fidei id commissum, tantum pro rata tenebitur.

Legi-

res manifestari; sed vel pauciores, quam quinque, vel nemo *penitus testis interuenerit:* tunc siue pater heredis, siue alius quicunque sit, qui fidem heredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit, si heres perfidia tentus adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutam, si fideicommissarius iusiurandum ei detulerit, cum prius ipse de calumnia iurauerit, necesse eum habere, vel iusiurandum subire, quod nihil tale a testatore audiuerit, vel recusantem, ad fideicommissi vel vniuersalis, vel specialis, solutionem coarctari, *ne depereat vltima voluntas testatoris fidei heredis commissa.* Eadem obseruari censuimus, & si a legatario, vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is, a quo relictum dicitur, (postquam negauerit,) confiteatur quidem aliquid a se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omnino soluere cogendus est.

Titv-

Legitimus esse) Sc. numerus quinarius *l. fin. §. f. ff. de Iur. Codicill.*

Iusiurandum subire) Referre enim non potest, cum ipse tantum eius rei notitiam habere possit *L.* 34. *pr. & §.* 8. *ff. de Iureiur. L.* 11. *& seq. ff. rer. annot.*

Similiter relictum sit) Quia eadem hic etiam militat ratio.

TITVLVS XXIV.

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM RELICTIS.

Summa.

POteſt tamen quis etiam ſingulas res per fideicommiſſum relinquere: veluti fundum, argentum, hominem, veſtem, & pecuniam numeratam: & vel ipſum heredem rogare, vt alicui reſtituat, vel legatarium, quamuis a legatario legari non poſſit.

Quæ relinqui poſſunt.

1. Poteſt autem non ſolum proprias res teſtator per fideicommiſſum relinquere: ſed & heredis, aut legatarii, aut fideicommiſſarii, aut cuiuslibet alterius, Itaque & legatarius, & fideicommiſſarius non ſolum de ea re rogari poteſt, vt eam alicui reſtituat, quæ ei relicta ſit: ſed etiam de alia, ſiue ipſius, ſiue aliena ſit. Hoc ſolum obſeruandum eſt, ne plus quiſquam rogetur

---

TITVLVS XXIV.

Ad pr. *Fideicommiſſum*) Hoc particulare dicitur.

Legari non poſſit) Ita iure veteri; quoniam legata verbis imperatiuis relinquebantur, imperare autem nemini poterat teſtator, niſi heredi. Aliud ergo iure nouo, quo legata fideicommiſſis exæquata *l. 2. C. commun. de leg.*

Ad §. 1. *Ne plus quiſquam*) Quia onus non debet excedere commodum *l. 70. de R. I. l. 6. de leg. 3.* Niſi

getur alicui restituere, quam ipse ex testamento ceperit. Nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere & præstare, aut æstimationem eius soluere.

De libertate,

2. Libertas quoque seruo per fideicommissum dari potest, vt heres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius. Nec interest, vtrum de suo proprio seruo testator roget, an de eo, qui ipsius heredis, aut legatarii vel etiam extranei sit. Itaque & alienus seruus redimi & manumitti debet. Quod si dominus eum non vendat, si modo nihil ex iudicio eius, qui reliquit libertatem, perceperit, non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur, quoad possit, tempore procedente, vbicunque occasio serui redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manumittitur, non testa-

---

Nisi certa species alteri restituenda, vbi aut repudiandum legatum, aut res præstanda *l.* 70. §. 1. *de leg.* 2.

Redimere) omnia hic obseruantur, quæ supra de legato rei alienæ adducta; quia in omnibus exæquata sunt fideicommissa legatis §. 3. *de legat.*

Ad §. 2. *Perceperit*) Si enim aliquid accepit, vtique tenetur. L. 13. C. *de fid. libert.*

testatoris fit libertus, etiamsi testatoris seruus sit, sed eius, qui manumittit. At is, qui directo ex testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit: qui etiam *Orcinus* appellatur. Nec alius vllus directo ex testamento libertatem habere potest, quam qui vtroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. *Directo* autem libertas tunc dari videtur, cum non ab alio seruum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult.

De verbis fideicommissorum.

3. Verba autem fideicommissorum hæc maxime in vsu habentur: *Peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ committo.* Quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in vnum congesta essent.

TITV-

Qui manumittit) Quoad obsequia sc. & honorem ac successionem, non quoad operas *L. 5. C. de oper. lib. l. 9. ff. de in ius voc. l. 29. ff. de bon. libert.* testarius tamen filius si manumittere rogatus sit, etiam operas exigere potest *l. 33. de fideic. libert.*

Orcinus) Dum quasi ab illo libertatem consequitur, qui iam ad orcum dimissus, s. qui iam defunctus.

Ad §. 3. *Mando*) Obstat, hoc verbum non precatiuum sed directum esse. Resp. verbum hoc flecti in precatiuum, quia de seria mente testatoris exinde constat. Sublata autem differentia inter legata & fideicommissa, perinde est, quo genere verborum vsus testator. Quia ad voluntatem testatoris respici-

TITVLVS XXV.

D. XXXIX. 7. C. VI. 36.

DE CODICILLIS.

Origo.

ANte Augusti tempora constat codicillorum ius in vsu non fuisse: sed primus Lucius Lentulus, ex cuius persona etiam fideicommissa (esse) cœperunt, codicillos introduxit. Nam cum decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum, vt faceret aliquid. Et cum diuus Augustus voluntatem eius impleuisset, deinceps reliqui eius auctoritatem secuti, fideicommissa præstabant: & filia Lentuli legata, quæ iure non debebat, soluit. Dicitur autem Augustus conuocasse sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas maxima erat, & quæsisse, an posset recipi hoc, nec absonans a iuris ratione codicillorum vsus esset; & Trebatium suasisse Augusto, quod diceret, vtilissimum & necessarium hoc ciuibus esse, propter magnas & longas peregrinationes, quæ apud

---

spicitur, vt sic fideicommissum sit, etiamsi testator addiderit: *si fueris arbitratus, si putaueris, si æstimaueris, si vtile tibi fuerit visum, vel videbitur,* per expr. text. *in l.* 11. §. 7. *ff. de leg.* 3.

TITVLVS XXV.

Ad pr. *Peregrinationes*) Inde tamen nullo modo

pud veteres fuissent: *vbi si quis testamentum facere non posset*, tamen *codicillos* posset. Post quæ tempora, cum & Labeo codicillos fecisset, iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur.

Efficiens.

1. Non tantum autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed & intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quam si speciali postea voluntate confirmentur. Sed diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis, qui testamentum præcedunt, posse

---

modo concludendum, ergo peregrinantibus quocunque modo testari licere. Nec enim hic alia quam codicillandi potestas conceditur peregrinantibus.

Non posset.) Ob defectum testium. Nam qui ob defectum iuris testamentum condere nequit, nec codicillos potest *L.* 8. §. 2. *ff. h. t.*

Ad §. 1. *Intestatus*) Si coram 5. testibus nuncupatiue quis voluntatem dicat. Requiritur tamen, vt is testamentum facere possit *L.* 9. *ff. h. t.*

Papinianus) In *l.* 5. *ff. h. t.*

Testamentum præcedunt) Sed & in ipso testamento interdum latitat codicillus per *clausulam codicillarem*, quo testator vult, vt hoc testamentum, si non tanquam solenne testamentum valere possit, valeat vt codicillus, siue, *valeat omni meliori modo l.* 29. *qui testament. fac. possunt.* Cuius clau-

posse fideicommissum peti, si appareat, eum qui testamentum fecit, a voluntate, quam in codicillis expresserat, non recessisse.

Materia.

2. Codicillis autem hereditas neque dari, neque adimi potest: confundatur ius testamentorum & codicillorum, & ideo nec exheredatio scribi. Directo autem hereditas codicillis neque dari, neque adimi potest. Nam per fideicommissum hereditas codicillis iure relinquitur. Nec conditionem heredi instituto codicillis adiicere, neque substituere directo quis potest.

Numerus & solennitas.

3. Codicillos etiam plures quis facere potest:

---

clausulae codicillaris vim etiam iuramentum testamento adiectum habet *L.* 77. §. 23. *ff. de leg.* 2. Quodsi itaque propter defectum solennium, vel omissam heredis institutionem testamentum subsistere non potest, vt codicillus & ita iure fideicommissi valet conf. *L.* 3. *de testam. milit.* *l.* 41. §. 3. *de vulg. & pupill. subst.* Modo requisita codicilli adsint *l. vlt.* §. *vlt. C. h. t.* Vid. Dn. Parens *in Diss. de Clausula Codicillari.*

Ad §. 2. *Adiicere*) Nam conditionem adiiciens, de nouo heredem sub illa conditione instituisse videtur.

Ad §. 3. *Plures*) Aliud in testamentis, vbi vltimum semper derogat priori. Quia haec de vniversis bonis fiunt, de quibus non nisi semel disponere licet; quod secus in codicillis, qui de singulis

poteſt: & nullam ſolennitatem ordinationis deſiderant.

IN-

---

gulis rebus diſponunt; Si vero vltimi Codicilli prioribus contrarii ſint, his etiam derogant *L.* 3. *C. h. t.*

Ordinationis) Ita nec rogatione teſtium opus eſt *L. fin.* §. *fin. C. h. t.* Nec femina repellitur, cum in teſtamentis ſolennibus tantum reiiciatur eius teſtimonium *l.* 20. §. 6. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Qnia illa in locum teſtamenti per æs & libram ſucceſſerunt. §. 10. *ſupra de teſtam. ord.* in quo nullæ feminæ admittebantur. Quæ tamen ratio in codicillis ceſſat. Interim requiritur quædam *ſolennitas probationis*, dum 5 teſtes neceſſarii ſunt. *d. l. fin.* §. *fin.* Niſi & teſtamentum coram minori numero valeat.

INSTITVTIONVM IVRIS DIVI IVSTINIANI

LIBER III.

TITVLVS I.

DE HEREDITATIBVS, QVÆ AB INTESTATO DEFERVNTVR.

Definitio intestati.

INtestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non iure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum irritumue factum

---

LIBER III.

TITVLVS I.

Ad pr. *Testamentum*) Præualet E. testamentaria successio legitima seu intestata, cum prouisio hominis faciat cessare prouisionem legis *l. vlt. C. de pact. conuent.*

Intestatus) Ab hoc differt intestabilis, qui etiamsi vellet, Testamentum condere non potest L. 10. *C. de legit. hered.* quantum tamen ad effectum successionis, perinde est an quis intestatus, an intestabilis decesserit *l. 6. C. ad SCt. Tertul.*

Non fecit) Non sufficit codicillos fecisse, cum his hereditas dari aut adimi nequeat §. 2. *Inst. de Codicill.*

Non iure) E. G. Si numerus testium non completus *L. Si vnus* 12. *C. de testam.* vel si filius præteritus *l. 1. ff. de iniust. rupt.*

Ruptum) Hoc qua ratione contingat vid. sup. *tit. Quib. mod. testam. infirm.*

Nemo

factum est, aut si nemo heres extiterit.

Primus ordo succedentium ab intestato.

1. Intestatorum autem hereditas ex lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinet.

Qui sunt sui heredes.

2. Sui autem heredes existimantur (vt supra diximus) qui in potestate morientis fuerint: veluti filius filiaue, nepos neptisue ex filio, pronepos proneptisue ex nepote, ex filio nato, prognatus prognataue. Nec interest, vtrum naturales sint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari necesse est etiam eos, qui ex legitimis quidem nuptiis vel matrimoniis non sunt progeniti, curiis tamen ciuitatem dati, secundum diualium constitutionum, quæ super his positæ sunt, tenorem, heredum suorum iura nanciscuntur. Nec non eos, quos

Nemo heres) Destitutum hoc vocatur: Herede enim non existente, omnis vis testamenti resoluitur, L. *Si nemo* 181. *ff. de R. I.*

Ad §. 1. *Ad suos*) Quia hi viuis parentibus quodammodo domini bonorum paternorum §. 2. *sup. de hered. qual. & diff.*

Ad §. 2. *In potestate*) Requiritur insuper proximitas gradus per verba sequentia *h.* §. *si præcedens persona desierit.*

Adoptiui) Et quidem indistincte in successione intestata: testamento autem illi tantum instituendi, qui ex his in potestate sunt.

Affe-

quos nostræ amplexæ sunt constitutiones, per quas iussimus, vt si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere coniugium, & ex ea liberos sustulerit: postea vero affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non solum eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos & in potestate patris esse; sed etiam anteriores, qui & iis, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demum tamen nepos neptisue, pronepos proneptisue, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse; siue morte id acciderit, siue alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate eius sit, nepos ex eo suus heres esse non potest. Idque & in ceteris deinceps liberorum personis dictum esse intelligimus. Posthumi quoque, qui, si viuo parente nati

Affectione procedente) Concubina solo affectu differebat ab vxore; Ergo vt de affectione maritali constaret, pactis dotalibus opus erat.

Posthumi) Si modo postea viui nascantur.

Ad

nati essent, in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt.

Quomodo sui heredes fiunt.

3. Sui autem heredes fiunt etiam ignorantes, & licet furiosi sint, heredes possunt existere: quia quibus ex caussis, ignorantibus nobis adquiritur, ex his caussis & furiosis adquiri potest. Et statim a morte parentis quasi continuatur dominium, & ideo nec tutoris auctoritate opus est pupillis, cum etiam ignorantibus adquiratur suis heredibus hereditas: nec curatoris assensu acquiritur furioso, sed ipso iure.

De filio post mortem patris ab hostibus reuerso.

4. Interdum autem, licet in potestate parentis mortis tempore suus heres non fuerit, tamen suus heres parenti efficitur: veluti si ab hostibus quis reuersus fuerit post

Ad §. 3. *Etiam ignorantes*) H. e. deuoluitur hereditas ad hos ipso iure *l.* 14. *ff. de suis & legitim.* Hinc si nesciens sibi delatam esse hereditatem decedat, illam tamen transmittit.

Continuatur dominium) Ergo ius hereditarium non commode dicitur separatum ius in re, sed est continuatum ius defuncti; Hinc quod hic dominii iure non habuit, nec sibi asserere potest heres.

Ad §. 4. *Ab hostibus*) Male hoc applicant ad nostros ex captiuitate Turcica reuersos, hi enim quoad nos nunquam serui facti, & sic iure postliminii opus non habent.

Ad

post mortem patris sui. Ius enim postlimi- nii hoc facit.

De memoria patris damnata ob crimen perduellionis.

5. Per contrarium autem hoc euenit, vt licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamen suus heres non fiat: veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit. Suum enim heredem habere non potest, cum fiscus ei succedat: sed potest dici, ipso quidem iure suum heredem esse, sed desinere.

De diuisione hereditatis inter suos heredes.

6. Cum filius filiaue, & ex altero filio nepos neptisue existunt, pariter ad hereditatem aui vocantur: nec qui gradu proximior est, vlteriorem excludit. Æquum enim esse videtur, nepotes neptesue in patris sui locum succedere. Pari ratione, & si nepos neptisve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptisue, simul vocantur. Et quia placuit nepotes neptesue, item pronepotes proneptes-

Ad §. 5. *Memoria eius damnata*) H. e. perpetua nomini & posteris macula inusta *l. vlt. ff. ad L. Iul. Maiest.*

Ad §. 6. *Vlteriorem excludit*) Inter descendentes enim perpetuum ius repræsentationis est.

Æquum enim) Ratio consistit in deriuatione sanguinis, cui successio connexa.

Sed

neptesue in parentis sui locum succedere, conueniens esse visum est, non in capita, sed in stirpes hereditatem diuidi, vt filius partem dimidiam hereditatis habeat, & ex altero filio duo pluresue nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filiis nepotes neptesue existant; ex altero vnus forte aut duo, ex altero tres aut quatuor; ad vnum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel ad quatuor altera dimidia.

Quo tempore suitas spectatur.

7. Cum autem quæritur, an quis suus heres existere possit, eo tempore quærendum est, quo certum est aliquem sine testamento decessisse. Quod accidit & destituto testamento. Hac ratione, si filius exheredatus fuerit, & extraneus heres institutus, & filio mortuo, postea certum fuerit, heredem institutum ex testamento non fieri heredem, aut quia noluit esse heres, aut quia non potuit, nepos auo suus heres existit: quia quo tempore certum est

Sed in Stirpes) H. e. iure repræsentationis transeunt in locum parentum.

Ad §. 7. *Sine testamento*) Scil. in quo suus ex insta causa exheredatus est: nam alias testamentum condendo, non potest ius suitatis immutare testator.

Non fieri heredem) Exheredatio enim vtut legitime facta, expirat non adita hereditate, quia sic testamentum fit destitutum.

Ad

est intestatum decessisse patremfamilias, solus inuenitur nepos: & hoc certum est.

De nato post mortem aui, filio.

8. Et licet post mortem aui natus sit, tamen auo viuo conceptus, mortuo patre eius, posteaque deserto aui testamento, suus heres efficitur. Plane si & conceptus & natus fuerit post mortem aui, mortuo patre suo, desertoque postea aui testamento, suus heres auo non existet: quia nullo iure cognationis patrem sui patris attigit. Sed nec ille est inter liberos aui, quem filius emancipatus adoptauit. Hi autem, cum non sint sui (quantum ad hereditatem) liberi, neque bonorum possessionem petere possunt quasi proximi cognati. Hæc de suis heredibus.

De liberis emancipatis.

9. Emancipati autem liberi, iure ciuili nihil iuris habent: neque enim sui heredes sunt, qui in potestate parentis esse desierunt, neque vllo alio iure per legem duo-

Ad §. 8. *Auo non existet*) Tempore mortis enim defertur successio, & Lex eum vocat ad successionem, qui moriente illo, de cuius bonis quæritur, in rerum natura fuit *L.* 6. *ff. de suis & legit. hæred.*

Quasi proximi cognati) Quia defuncto proximus non est, qui eo viuo nequidem animax fuit *L.* 1. §. 8. *ff. Vnde cognat.* Iure nouissimo tamen talem nepotem admitti debere, ostendit Dn. Parens *de Success. ab int. D.* 1., *c.* 1. §. 21.

duodecim tabularum vocantur, ſed prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorum poſſeſſionem *vnde liberi*, perinde ac ſi in poteſtate parentis, tempore mortis fuiſſent: ſiue ſoli ſint, ſiue cum ſuis heredibus concurrant. Itaque duobus liberis exiſtentibus, emancipato vno, & eo, qui tempore mortis in poteſtate fuerit, ſane quidem is, qui in poteſtate fuit, ſolus iure ciuili heres eſt, & ſolus ſuus heres eſt: ſed cum emancipatus beneficio prætoris in partem admittitur, euenit, vt ſuus heres pro parte heres fiat.

Si emancipatus ſe dederit in adoptionem.

10. At hi, qui emancipari a parente in adoptionem ſe dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris, quaſi liberi: ſi modo, cum is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam viuo eo emancipati ab ab adoptiuo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis pâtris, ac ſi emancipati ab ipſo eſſent, nec vnquam in adoptiua familia fuiſſent. Et conuenienter, quod ad adoptiuum patrem pertinet, extraneorum loco eſſe incipiunt. Poſt mortem vero

---

Ad §. 9. *Prætor naturali*) Quia ſanguinis vinculum non tollitur per emancipationem.

Beneficio Prætoris) Hoc beneficio amplius opus non habet emancipatus, ſed per *Nou.* 118. *c.* 1. æqualiter cum ſuis admittitur; collatis tamen bonis antea acceptis *per tit. ff. de Collat. bonor.*

Ad

ro naturalis patris, emancipati ab adoptiuo patre, & quantum ad hunc adoptiuum patrem pertinet, æque extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciſcuntur. Quod ideo ſic placuit, quia iniquum erat eſſe in poteſtate patris adoptiui, ad quos bona naturalis patris pertineant, vtrum ad liberos eius, an ad agnatos.

Collatio filiorum naturalium & adoptiuorum.

11. Minus ergo iuris habent adoptiui filii quam naturales. Namque naturales emancipati, beneficio prætoris gradum liberorum retinent, licet iure ciuili perdant; adoptiui vero emancipati, & iure ciuili perdunt gradum liberorum, & a prætore non admittuntur. Et recte. Naturalia enim iura ciuilis ratio perimere non poteſt: nec, quia deſinunt ſui heredes eſſe, poſſunt deſinere filii filiæue, aut nepotes neptes-

Ad §. 10. *Quantum ad naturalis patris*) Iure nouiſſimo emancipatum ab alio adoptatum vtriusque parenti ſuccedere puto; patri naturali iure ſanguinis, quod per emancipationem non tollitur, *Nou.* 118. *c.* 1. patri adoptiuo ex vinculo legis.

Ad §. 11. *A prætore non admittuntur*) Quod nec iure nouiſſimo ſe aliter habet, cum de adoptiuis emancipatis non agat *Nou.* 118. *c.* 1. Nec in his poſt emancipationem vllum remaneat vinculum, quod ſucceſſionem operari poſſit.

neptesue esse. Adoptiui vero emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia ius nomenque filii filiæue, quod per adoptionem consecuti sunt, alia ciuili ratione, id est, emancipatione, perdunt.

De bonorum possessione contra tabulas.

12. Eadem hæ obseruantur, & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis, liberis præteritis, id est, neque heredibus institutis, neque vt oportet exheredatis, prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos vocat prætor ad eandem bonorum possessionem: eos vero, qui in adoptiua familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptiuos liberos emancipatos ab adoptiuo patre, sicut nec ab intestato, ita longe minus contra tabulas testamenti, ad bona eius admittit: quia desinunt in numero liberorum eius esse.

Vnde cognati.

13. Admonendi tamen sumus, eos, qui in ado-

Ad §. 12. *Et emancipatos*) Dictum antea, hos hodie beneficio Prætoris opus non habere, ob *Nou.* 118. *c.* 1.

Naturalis parens) Adoptiui hodie a naturalis parentis successione non excluduntur, cum emancipatorum ius retineant, qui patri naturali tam ex testamento quam ab intestato succedunt. *vid. infra* §. 14.

Ad

adoptiua familia ſunt, quiue poſt mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint, inteſtato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum poſſeſſionem vocantur, non admittantur, alia tamen parte vocari, ſcilicet qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, ſi neque ſui heredes liberi, neque emancipati obſtent, neque agnatus quidem vllus interueniat. Ante enim prætor liberos vocat tam ſuos heredes, quam emancipatos; deinde legitimos heredes, tertio proximos cognatos.

Emendatio iuris antiqui. De adoptiuis.

14. Sed ea omnia antiquitati quidem placuerunt: aliquam autem emendationem a noſtra conſtitutione acceperunt, quam ſuper iis perſonis expoſuimus, quæ a patribus ſuis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Inuenimus etenim nonnullos caſus, in quibus filii & naturalium parentum ſucceſſionem propter adoptionem

Ad §. 13. *Qua cognati*) Iam antea dictum, adoptiuos quoad patrem naturalem iure liberorum emancipatorum admitti, vi *Nou.* 118. *c.* 1. & ſic illis neque ſui neque emancipati obſtare poſſunt, ut hinc longe pinguius ſit beneficium Iuſtiniani ex *Nou.* 118. quam Prætoris.

Ad §. 14. *Noſtra conſtitutione*) Quæ extat in *l. pen. C. de Adopt.*

nem amittebant, & adoptione facile per emancipationem soluta, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, constitutionem scripsimus, per quam definimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alii dederit, integra omnia iura ita seruari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio fuisset subsecuta: nisi in hoc tantummodo casu, vt possit ab intestato ad patris adoptiui venire successionem. Testamento autem ab eo facto, neque iure ciuili, neque prætorio, ex hereditate eius aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta. Cum nec necessitas patri adoptiuo imponatur, vel heredem eum instituere, vel exheredem facere: vtpote nullo vinculo naturali copulatum: neque si ex Sabiniano senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in eiusmodi casu neque quarta ei seruatur, neque vlla actio ad eius persecutionem ei competit. Nostra autem constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Vtroque

Testamento autem) Hoc adhuc hodie verum est; adoptiuum, qui in potestatem adoptantis non transiit, ius quidem ab intestato succedendi, non tamen testamentum impugnandi, habere.

que enim iure, tam naturali quam legitimo, in hanc personam concurrente, pristina iura tali adoptioni seruamus: quemadmodum si paterfamilias sese dederit adrogandum. Quæ specialiter & singulatim ex præfatæ constitutionis tenore possunt colligi.

De descendentibus ex feminis.

15. Item vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, qui quæue ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabat successionem, & iure agnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes, qui ex neptibus, cognatorum loco connumerans, post agnatorum lineam eos vocabat, tam in aui vel proaui materni, quam in auiæ vel proauiæ, siue paternæ siue maternæ, successionem. Diui autem Principes non passi sunt talem contra naturam iniuriam sine competenti emendatione relinquere; sed cum nepotis & pronepotis nomen commune sit vtrisque, tam qui ex masculis, quam qui ex feminis descendunt, ideo eundem gradum & ordinem successionis eis donauerunt. Sed

Concurrente) Adoptionem plenam innuit hic Imperator, quæ ius potestatis tribuit, pariter vt in adrogatione.

Ad §. 15. *Plus diligens*) Hoc ita fauore conseruandæ familiæ.

Principes) In L. 9. *de suis & legitim. liber.* *Minus*

Sed vt amplius aliquid sit eis, qui non solum naturæ, sed etiam veteris iuris suffragiis muniuntur, portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quibus supra diximus) paulo minuendam esse existimauerunt, vt minus tertia parte acciperent, quam mater eorum, vel auia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel auus paternus siue maternus, quando femina mortua sit, cuius de hereditate agitur: iisque (licet soli sint) adeuntibus agnatos minime vocabant. Et quemadmodum lex duodecim tabularum, filio mortuo, nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes, in locum patris sui ad successionem aui sui vocat: ita & Principalis dispositio in locum matris suæ, vel auiæ, eos cum iam designata partis tertiæ deminutione vocat. Sed nos, cum adhuc dubitatio maneret inter agnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti agnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam constitutionis auctoritate, memoratam quidem constitutionem

---

Minus tertia parte) E. g. Si defunctus reliquerit filium, & ex filia defuncta duos nepotes; hic descendentes ex filia tantundem non capiebant, quantum filius, sed huic duæ tertiæ, illis vna præstabantur.

Cuiusdam constitutionis) Lege: *eiusdem constitutionis* scil. *L. 9. C. de suis & legit. liber.*

onem a noſtro codice ſegregauimus, neque inſeri eam ex Theodoſiano codice in eo conceſſimus. Noſtra autem conſtitutione promulgata, toti iuri eius derogatum eſt: & ſanximus, talibus nepotibus ex filia vel pronepotibus, ex nepte, vel deinceps, ſuperſtitibus, agnatos nullam partem mortui ſucceſſionis ſibi vindicare: ne hi, qui ex transuerſa linea veniunt, potiores his habeantur, qui recto iure deſcendunt. Quam conſtitutionem noſtram obtinere ſecundum ſui vigorem & tempora, & nunc ſancimus: ita tamen, vt quemadmodum inter filios & nepotes ex filio antiquitas ſtatuit, non in capita, ſed in ſtirpes diuidi hereditatem: ſimiliter nos inter filios & nepotes ex filia, diſtributionem fieri iubeamus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes, & proneptes & alias deinceps perſonas: vt vtraque progenies, matris vel patris, auiæ vel aui, portionem ſine vlla deminutione conſequatur: vt ſi forte vnus vel duo ex vna parte, ex altera tres aut quatuor extent, vnus

---

Theodoſiano Codice) Extat *in* L. 4. *C. de legitim. hered.*

Noſtra autem) Scil. *L. vlt. C. de ſuis & legit. liber.*

Inter omnes nepotes) Ergo ſemper illi in ſtirpes aut iure repræſentationis ſuccedunt, ſiue ex filiis ſint, ſiue ex filiabus, ſiue ſoli, ſiue cum propioribus concurrant.

 Ti-

nus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

TITVLVS II.

DE LEGITIMA AGNATORVM SVCCESSIONE.

Secundus ordo heredum legitimorum.

SI nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes prætor vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur; tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hereditas.

De agnatis naturalibus.

2. Sunt autem agnati (vt primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi a patre cognati. Itaque ex eodem patre nati fratres agnati sibi sunt: qui & consanguinei vocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi agnatus est. Eodem

---

TITVLVS II.

Ad pr. *Inter suos heredes Prætor*) Emancipatos intelligit, qui ex Constit. Iustiniani per *Nou.* 118. hodie cum suis concurrunt.

Ad §. 1. *Primo libro*) Scil. §. 1. *I. de legitim. agnat. tut.*

Eandem matrem) Hodie multum refert, quia fratres vnilaterales a germanis excluduntur.

Con-

Eodem numero ſunt fratres patrueles, id eſt, qui ex duobus fratribus procreati ſunt,qui etiam conſobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus agnationis peruenire poterimus. Ii etiam, qui poſt mortem patris naſcuntur, iura conſanguinitatis nanciſcuntur. Non tamen omnibus ſimul agnatis dat lex hereditatem; ſed iis, qui tunc proximiore gradu ſunt,cum certum eſſe cœperit, aliquem inteſtatum deceſſiſſe.

De adoptiuis.

2. Per adoptionem quoque agnationis ius conſiſtit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptauit. Nec dubium eſt, quin ii improprie conſanguinei appellentur. Item ſi quis ex ceteris agnatis (tuis,) veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu eſt, adoptauerit aliquem, agnatus inter ſuos heredes eſſe non dubitatur.

De

Conſobrini) Scil. in latiori ſenſu; alias enim hi tales dicuntur, qui ex duabus ſororibus nati.

Proximiore gradu) Notabile hoc eſt, quod proximitas inter agnatos, non æſtimetur ex tempore mortis, ſed ex tempore corruentis teſtamenti. *Vid.* §. 6.

Ad §. 2. *Ex ceteris agnatis*) Adoptio itaque nunquam ius cognationis, ſed tantum ius agnationis tribuit,& hinc adoptatus cum reliquis agnatis concurrit. Hoc tamen ad illos tantum pertinet, qui in adoptantis poteſtatem transeunt, non in adoptione ſimplici. Fœrſter *de Succeſſ. l.* 8. *c.* 14. *n.* 1.

Ad §. 3.

De masculis & feminis.

3. Ceterum inter masculos quidem agnationis iure hereditas, etiamsi longissimo gradu sint, vltro citroque capitur. Quod ad feminas vero (attinet), ita placebat, vt ipsæ consanguinitatis iure tantum capiant hereditatem, si sorores sint; vlterius non capiant: masculi autem ad earum hereditates (etiamsi longissimo gradu sint) admittantur. Qua de causa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hereditas ad te pertinebat: tua vero ad illas non pertinebat. Quod ideo ita constitutum erat, quia commodius videbatur, ita iura constitui, vt plerumque hereditates ad masculos confluerent. Sed quia sane iniquum erat, in vniuersum eas quasi extraneas repelli: Prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur: ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neque agnatus vllus, neque proximior cognatus interueniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit: sed simplicitatem legibus ami-

Ad §. 3. *Ad illas non pertinebat*) Iniquitas iuris veteris hic adducitur, vbi masculi cognatis feminis indistincte succedebant; feminæ vero cognatis tantum, si horum sorores essent, quod exemplum successionis non reciprocæ hic sustulit Imperator.

Media

micam amplexa, ſimili modo omnes agnatos, ſiue maſculos, ſiue feminas, cuiuſcunque gradus, ad ſimilitudinem ſuorum inuicem ad ſucceſſionem vocabat. Media autem iuriſprudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum iunior, Imperiali autem diſpoſitione anterior, ſubtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitus eas a ſucceſſione agnatorum repellebat, omni alia ſucceſſione incognita: donec prætores paulatim aſperitatem iuris ciuilis corrigentes, ſiue, quod deerat, implentes, humano propoſito alium ordinem ſuis edictis addiderunt: & cognationis linea, proximitatis nomine introducta, per bonorum poſſeſſionem eas adiuuabant, & pollicebantur his bonorum poſſeſſionem, quæ *vnde cognati* appellatur. Nos vero legem duodecim tabularum ſequentes, & eius veſtigia in hac parte conſeruantes, laudamus quidem prætores ſuæ humanitatis, non tamen eos in plenum huic cauſæ mederi inuenimus. Quare etenim vno eodemque gradu naturali concurrente, & agnationis titulis tam in maſculis, quam in feminis, æqua lance conſtitu-

Media) Media iuriſprudentia dicitur, quæ interpretatione prudentum conſtabat, & vsque ad Impp. Conſtitutiones durabat.

stitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium agnatorum: ex agnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori, ad agnatorum successionem patebat aditus. Ideo nos in plenum omnia reducentes, & ad ius duodecim tabularum eandem dispositionem exaequantes, nostra constitutione sanximus, omnes legitimas personas, id est, per virilem sexum descendentes (siue masculini generis, siue feminini sint) simili modo ad iura successionis legitimae ab intestato vocari secundum sui gradus praerogatiuam, nec ideo excludendas, quia consanguinitatis iura, sicut germanae, non habent.

De filiis sororum.

4. Hoc etiam addendum nostrae constitutioni existimauimus, vt transferatur vnus tantummodo gradus a iure cognationis in legitimam successionem: vt non solum fratris filius & filia (secundum quod iam definiuimus) ad successionem patrui sui vocentur: sed etiam germanae, consanguineae, vel sororis vterinae filius & filia soli, &

Nostra constitutione) Quae extat *l. pen. C. de legit. hered.*

Siue feminini) Hodie postquam agnationis & cognationis iura confusa per *Nou.* 118. *c.* 1. eodem iure successionis cum masculis gaudent feminae, cum agnati 5 cognati.

Ad

li, & non deinceps personæ, vna cum his ad iura auunculi sui perueniant, & mortuo eo, qui patruus quidem est sui fratris filiis, auunculus autem sororis suæ soboli, simili modo ab vtroque latere succedant, tanquam si omnes ex masculis descendentes legitimo iure veniant, scilicet vbi frater & soror superstites non sunt: (His etenim personis præcedentibus, & successionem admittentibus, ceteri gradus remanent penitus semoti:) videlicet hereditate non in stirpes, sed in capita diuidenda.

De proximis vel remotis.

5. Si plures sint gradus agnatorum, aperte lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque si (verbi gratia) sint defuncti frater & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur. Et quamuis singulari

---

Ad §. 4. *Et non deinceps personæ*) Restrictio hæc successionis filiarum ad certos gradus hodie, vti dictum, cessat, imo si gradu propiores sint, masculos excludunt.

Non in stirpes) Est hic clara decisio, fratrum liberos non in stirpes, sed in capita succedere debere, iuncta *L.* 2. §. 2. *ff. de suis & legitim.* Semper tamen de hoc disputatum fuit, donec publica Imperii Lege in comitiis Spirensibus an. 1529. idem decisum.

Ad §. 5. *Frater potior*) Idem adhuc obtinet Iure Saxonico, vbi inter collaterales nullus repræsentationi locus. Sed per *Nov.* 118. *c.* 3. fratrum liberis

lari numero vſa lex duodecim tabularum proximum vocet, tamen dubium non eſt, quin, ſi plures ſint eiusdem gradus, omnes admittantur. Nam & proprie proximus ex pluribus gradibus intelligitur; & tamen non dubium eſt, quin, licet vnus ſit gradus agnatorum, pertineat ad eos hereditas.

Quo tempore proximitas ſpectatur.

6. Proximus autem, ſi quidem nullo teſtamento facto quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quæritur. Quod ſi facto teſtamento quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe cœperit, nullum ex teſtamento heredem extiturum: tunc enim proprie quisque inteſtatus deceſſiſſe intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſæpe accidit, vt proximiore mortuo proximus eſſe incipiat, qui moriente teſtatore non erat proximus.

De ſucceſſorio Edicto.

7. Placebat autem in eo genere percipienda-

---

beris cum defuncti fratre concurrentibus ius repræſentationis conceſſum.

Ad §. 6. *Extiturum*) Quamdiu enim adhuc adiri poteſt hereditas, non eſt locus heredi ab inteſtato. Herede autem ſcripto repudiante, defertur demum hereditas ab inteſtato ſucceſſuris, ergo ex hoc tempore proximitas æſtimanda.

Ad

endarum hereditatum successionem non esse: id est, vt quamuis proximus, qui secundum ea, quæ diximus, vocatur ad hereditatem, aut spreuerit hereditatem, aut, antequam adeat, decesserit, nihilomagis legitimo iure sequentes admittantur. Quod iterum prætores imperfecto iure corrigentes, non in totum sine adminiculo relinquebant, sed ex cognatorum ordine eos vocabant, vtpote agnationis iure eis recluso. Sed nos nihil perfectissimo iuri deesse cupientes, nostra constitutione (quam de iure patronatus, humanitate suggerente, protulimus) sanximus, successionem in agnatorum hereditatem non esse eis denegandam, cum satis absurdum erat, quod cognatis a prætore apertum est, hoc agnatis esse reclusum, maxime cum in onere quidem tutelarum, & primo gradu deficiente, sequens succedit, & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permissum.

De legitima parentum successione.

8. Ad legitimam successionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta

---

Ad §. 7. *Nostra constitutione*) Non extat illa constitutio, nec illa amplius opus est; postquam cognatis & agnatis idem ius concessum *Nou.* 118. *c.* 4.

Quod in onere) Eandem rationem oneris & lucri esse debere hinc apparet *vid. l.* 10. *ff. de R. I.*

Ad §. 8. *Etiam parens*) Hodie non tantum patri sed

cta fiducia filium vel filiam, nepotem vel neptem, ac deinceps emancipat: quod ex nostra constitutione omnino inducitur, vt emancipationes liberorum sen per videantur quasi contracta fiducia fieri, cum apud veteres non aliter hoc obtinebat, nisi specialiter cantracta fiducia parens manumisisset.

TITVLVS III.

D. XXXIIX. 17. C. VI. 55.

DE SENATVSCONSVLTO TERTVLLIANO.

De lege 12 tabul. & iure Prætorio.

LEx duodecim tabularum ita stricto iure vtebatur, & præponebat masculorum progeniem, & eos, qui per feminini sexus necessitudinem sibi iunguntur, adeo expellebat, vt ne quidem inter matrem & filium, filiamue, vltro citroque hereditatis capiendæ ius daret: nisi quod prætores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem bonorum possessione *vnde cognati* accommodata, vocabant.

De

---

seu ex matri deferetur successio filiorum, siue sui sint, siue emancipati, nec a fratribus amplius excluduntur, sed cum his concurrunt *Nov.* 118. c. 2. Imo & cum eorum liberis *Nov.* 127.

TITVLVS III.

Ad pt. *Matrem & filium*) Recensetur hic ius an iquum matri & filiis reciprocam successionem denegans.

Ad

De Constitutione Diui Claudii.

1. Sed hæ iuris angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem diuus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hereditatem.

Ad Senatusconsultum Tertullianum.

2. Postea autem senatusconsulto Tertulliano, quod diui Adriani temporibus factum est, plenissime de tristi successione matri, non etiam auiæ deferenda, cautum est, vt mater ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumue admittatur intestato mortuorum, licet in potestate parentis sit: vt scilicet, cum alieno iuri subiecta est, iussu eius adeat hereditatem, cuius iuri subiecta est.

Qui præferuntur matri.

3. Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui sui sunt, quiue suorum loco sunt, siue primi gradus, siue vlterioris. Sed & filiæ suæ mortuæ filius, vel filia præponitur ex constitutionibus matri defunctæ, id est, auiæ suæ. Pater vero vtriusq;, non etiam auus

Ad §. 2. *Trium liberorum*) SCtum Tertull. tunc demum tribuit matri successionem, si ter enixa esset.

In potestate parentis) Apparet exinde, filiam Iure Ciuili per nuptias non liberari patria potestate, quod secus hodie.

auus & proauus matri anteponitur, scilicet cum inter eos solos de hereditate agitur. Frater autem consanguineus tam filii quam filiæ excludebat matrem. Soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata, frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hereditas, ex æquis partibus fratribus & sororibus.

Ius nouum.

4. Sed nos constitutione, quam in codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendum esse existimauimus: respicientes ad naturam, & puerperium, & periculum, & sæpe mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideoque impium esse credidimus, casum fortuitum in eius admitti detrimentum. Si enim ingenua ter vel libertina quater non peperit, immerito defraudabatur successione suorum liberorum. Quid enim peccauit, si non plures, sed paucos peperit? Et dedimus ius legitimum plenum matribus, siue ingenuis, siue libertinis, & si non ter enixæ fuerint, vel quater, sed eum tantum, vel eam, qui quæue morte intercepti sunt, vt sic vocentur

---

Ad §. 3. *Matri anteponitur*) Imo pater & mater hodie æqualiter succedunt, & auus tanquam gradu remotior per matrem excluditur *Nou.* 118. c. 2.

in liberorum suorum legitimam successionem.

Quibus mater praeponitur, admittitur.

§. 5. Sed cum antea constitutiones iura legitimae successionis perscrutantes partim matrem adiuuabant, partim eam praegrauabant, nec in solidum eam vocabant, sed in quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes, certis legitimis dabant personis, in aliis autem contrarium faciebant: nobis visum est recta & simplici via, matrem omnibus personis legitimis anteponi, & sine vlla deminutione, filiorum suorum successionem accipere: excepta fratris & sororis persona siue consanguinei sint, siue sola cognationis iura habentes:) vt quemadmodum eam toti alii ordini legitimo praeposuimus, ita omnes fratres & sorores (siue legitimi sint, siue non) ad capiendas hereditates simul vocemus; ita tamen, vt si quidem solae sorores agnatae vel cognatae, & mater defuncti vel defunctae supersint, dimidiam quidem mater, alteram vero dimidiam partem omnes sorores habeant. Si vero matre

Ad §. 5. *Excepta fratris & sororis)* Imo frater consanguineus & vterinus hodie per matrem excluditur *Nov.* 118. *c.* 2.

Dimidiam quidem mater) Hodie mater tam cum sororibus quam fratribus in capita succedit *d. Nov.* 118. *c.* 2.

matre superstite, & fratre vel fratribus solis, vel etiam cum sororibus, siue legitima, siue sola cognationis iura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur, in capita distribuatur eius hereditas.

De tutore liberis petendo.

6. Sed quemadmodum Nos matribus prospeximus, ita eas oportet suæ soboli consulere, scituris eis, quod si tutores liberis non petierint, vel in locum remoti vel excusati, intra annum petere neglexerint, ab eorum impuberum morientium successione merito repellentur.

De vulgo quæsitis.

7. Licet autem vulgo quæsitus sit filius filiaue, potest tamen ad bona eius mater ex Tertulliano senatusconsulto admitti.

TITV-

Ad §. 6. *Intra annum petere*) Nisi mater minorennis sit L. 2. *C. si adu. delict.* aut ipsa tutelam gerere velit. *L.* 10. *C. de legitim. hered.*

Impuberum morientium) Hinc si puberes moriantur, mater a successione non excluditur *L.* 3. *C. h.* Carpz. *P.* 2. *C.* 11. *d.* 15.

Ad §. 7. *Bona eius mater*) Quantum ad matrem non distinguitur, an filii sint spurii, an naturales, sed mater omnibus succedit, nisi sint incestuosi *Auth. Ex complexu. C. de incest. nupt.*

TITV-

TITVLVS IV.

D. XXXIIX. 17. C. VI. 57.

DE SENATVSCONSVLTO ORFICIANO.

PEr contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex senatusconsulto Orficiano, quod Orficio & Rufo consulibus effectum est diui Marci temporibus, & data est tam filio, quam filiæ legitima hereditas, etiamsi alieno iuri subiecti sint, & præferuntur consanguineis & agnatis defunctæ matris.

De nepote & nepte.

1. Sed cum ex hoc senatus consulto nepotes & neptes ad auiæ successionem legitimo iure non vocarentur; postea constitutionibus Principalibus emendatum est, vt ad similitudinem filiorum filiarumque & nepotes & neptes vocentur.

De capitis deminutione.

3. Sciendum autem est, huiusmodi successiones, quæ ex Tertulliano & Orficiano senatusconsultis deferuntur, capitis deminutio-

TITVLVS IV.

Ad pr. *Data est tam filio*) Huius SCt. auxilio ad consequendam hereditatem maternam liberi opus non habent, sed eodem iure hodie patri & matri succedunt ex promissione Iustiniani *Nou.* 118. c. 1.

nutione non perimi, propter illam regulam, qua nouæ hereditates legitimæ capitis deminutione non pereunt, sed illæ solæ, quæ lege duodecim tabularum deferuntur.

De vulgo quæsitis.

3. Nouissime sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgo quæsiti sunt, ad matris hereditatem ex senatusconsulto admitti.

De iure accrescendi inter legitimos heredes.

4. Si ex pluribus legitimis heredibus quidam omiserint hereditatem, vel morte vel alia causa impediti fuerint, quo minus adeant, reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio: & licet ante decesserint, ad heredes tamen eorum pertinet.

TITV-

Ad §. 2. *Capitis deminutione*) De minima seu familiæ mutatione hoc intelligendum, maxima autem & media etiam nouas successiones tollit §. 6. *L. de cap. dimin.* Remoto enim iure ciuitatis, remouetur etiam ius succedendi.

Ad §. 3. *Vulgo quæsiti*) Nisi mater illustris sit & liberos legitimos habeat L. 5. *ad SC. Orphit.*

Ad §. 4. *Adcrescit illorum portio*) Ratio, quia non tantum in testamentaria, sed & in legitima hereditate iuri adcrescendi locus, ne pars sine herede remaneat.

Ante decesserint) H. e. Si heres, qui adiit, decedat, antequam coheres repudiauerit, tamen heredi heredis adcrescit, quia hic subintrat locum heredis defuncti.

TITV-

TITVLVS V.
DE SVCCESSIONE COGNATORVM.

Tertius ordo succedentium.

POst suos heredes, eosque, quos inter suos heredes prætor & constitutiones vocant, & post legitimos (quo numero sunt agnati, & ii, quos in locum agnatorum tam supra dicta senatusconsulta, quam nostra erexit constitutio) proximos cognatos prætor vocat.

Qui vocantur in hoc ordine.

1. Qua parte naturalis cognatio spectatur. Nam agnati capite deminuti, quique ex his progeniti sunt, ex lege duodecim tabularum, inter legitimos non habentur; sed a prætore tertio ordine vocantur, exceptis solis tantummodo fratre & sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anastasiana, cum fratribus integri

---

TITVLVS V.

Ad pr. *Post legitimos*) Iure Ciuili duo tantum erant succedentium ordines, liberorum & legitimorum, seu suorum & agnatorum. Prætor tertium ordinem addidit, cognatorum. Verum his melius consuluit Iustinianus in *Nou.* 118. *c.* 3. vbi cognatos non post agnatos, sed simul cum his vocauit.

Ad §. 1. *Integri iuris*) H. E. non emancipatis.. Verum hodie emancipationis & potestatis ratio non amplius attenditur, sed æqualiter omnes admittuntur.

gri iuris constitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, siue sororis; non aequis tamen partibus; sed cum aliqua deminutione, quam facile est ex ipsius constitutionis verbis intelligere. Aliis vero agnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem passi non sunt, tamen anteponit eos, & procul dubio cognatis.

De coniunctis per feminas.

2. Eos etiam, qui per feminini sexus personas ex transuerso cognatione iunguntur, tertio gradu proximitatis nomine Praetor ad successionem vocat.

De liberis datis in adoptionem.

3. Liberi quoque, qui in adoptiua familia sunt, ad naturalium parentum hereditatem hoc eodem gradu vocantur.

De vulgo quaesitis.

4. Vulgo quaesitus, nullos habere agnatos, manifestum est: cum agnatio a patre sit,

Ad §. 2. *Feminini sexus*) Hi hodie non differunt ab his, qui per masculinum sexum coniuncti. In feudis tamen masculis praeeminentia manet; sicut feminis in Saxonia, quoad Geradam.

Ad §. 3. *Hoc eodem gradu*) Hodie liberi in adoptionem dati, patri naturali pariter cum liberis in potestate retentis, succedunt.

Ad §. 4 *Nullos agnatos*) Qui enim patrem habere non intelliguntur h. §. illi nec agnatos habere possunt, vtpote qui per patrem coniunguntur. L. 4. *ff. Vnde cogn.* Nec melioris conditionis sunt filiae naturales *L. 14. ff. de Statu homin.*

Si

sit, cognatio a matre: hi autem nullum patrem habere intelligantur. Eadem ratione ne inter se quidem possunt videri consanguinei esse: quia consanguinitatis ius species est agnationis. Tantum ergo cognati sunt sibi, sicut & matri cognati sunt. Itaque omnibus istis ex ea parte competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

Ex quoto gradu agnati vel cognati succedunt.

5. Hoc loco & illud necessario admonendi sumus, agnationis quidem iure admitti aliquem ad hereditatem, etsi decimo gradu sit, siue de lege duodecim tabularum quæramus, siue de edicto, quo prætor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis vero nomine iis solis prætor promittit bonorum possessionem, qui vsque ad sextum gra-

Sicut & matri) Non tantum matri sed & omnibus ex matre coniunctis succedunt spurii & naturales. Vnde & licet fratres naturales ex eodem patre sibi non succedant. *h.* §. Barry *de Success. lib.* 8. *tit.* 3. *n.* 9. naturales tamen & spurii vterini sibi succedunt *L. Si spurius* 4. *ff. vnde cogn.*

Ad §. 5. *Etsi decimo gradu*) Non excluduntur his verbis in vlteriore gradu constituti, sed in infinitum succedunt *L.* 2. §. 1. *ff. de suis & legit. liber.* Nec *Nou.* 118. *c.* 3. *in f.* ad certos gradus restringit agnationem.

Sextum gradum cognationis) Postquam hodie æqui-

gradum cognationis sunt, & ex septimo sobrino sobrinaque nati natæue.

TITVLVS VI.

D. XXXIIX. 10.

DE GRADIBVS COGNATIONVM.

Cognationis diuisio.

HOc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus, cognationem aliam supra numerari, aliam infra, aliam ex transuerso, quæ etiam a latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex transuerso fratrum sororumue, & eorum,

æquiparati agnatis, & non amplius, beneficio Prætoris, sed ex noua constitutione Iustiniani succedunt, pariter in infinitum admittendi. *Nou.* 118 . 3. Si dixeris, sic nunquam succedere coniuges, cum nunquam deficiat cognatio. Resp. Deficit tamen sæpius cognationis computatio.

TITVLVS VI.

Ad pr. *Gradus*) A scalis desumta est metaphora, est enim transitus de proximo in proximum, mediante sanguinis deriuatione *L ult.* §. 10. *ff. h. t.*

Aliam supra) Est hæc linea ascendens.

Aliam infra) Est hæc descendens; Reuera tamen vna tantum linea est, scil. recta, quæ pro diuersa computandi ratione ita distinguitur.

Transuerso) Hæc linea collateralis est, quæ tamen conuenientiam in vno stipite habere debet.

A fe-

rum, qui quæue ex his generantur: & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, materteræ. Et superior quidem & inferior cognatio a primo gradu incipit; at ea, quæ ex transuerso numeratur, a secundo.

Primus gradus.

1. Primo gradu est supra pater, mater, infra filius, filia.

Secundus.

2. Secundo gradu supra auus, auia: infra nepos, neptis; ex transuerso frater, soror.

Tertius.

3. Tertio gradu supra proauus, proauia; infra pronepos, proneptis; ex transuerso fratris sororisque filius, filia; & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui græce πατράδελφος appellatur. Auunculus est frater matris, qui græce μητράδελφος dicitur, & vterque promiscue θεῖος appellatur. Amita est patris soror, quæ græce πατραδέλφη appellatur. Matertera vero matris soror,

---

A secundo) Fratres enim primo gradu esse nequeunt, licet iure canonico res aliter se habeat.

Ad §. 1. *Primo gradu*) Gradus ex generatione computandi; *quot ergo generationes intercedunt inter personas, de quarum cognatione quæritur, tot gradus reputantur.*

Ad §. 3. *θεῖος appellatur*) Ob reuerentiam & cultum, quem ipsis tanquam parentibus exhibere tenentur.

Ad

soror, quæ græce μητραδέλφη dicitur, & vtraque promiscue θεῖα appellatur.

Quartus.

4. Quarto gradu supra abauus, abauia; infra abnepos, abneptis; ex transuerso fratris sororisque nepos, neptisue; & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est, aui frater & soror: item auunculus magnus, matertera magna, id est, auiæ frater & soror; consobrinus, consobrina, id est, qui quæue ex sororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam recte consobrinos eos proprie dici putant, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consororinos: eos vero, qui ex duobus fratribus progenerantur, proprie fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur, amitinos proprie dici putant. Amitæ tuæ filii consobrinum te appellant: tu illos amitinos.

Quintus.

5. Quinto gradu supra atauus, atauia; infra atnepos, atneptis; ex transuerso fratris sororisque pronepos, proneptis; & conuenienter propatruus, proamita, id est, proaui frater & soror; & proauunculus & promatertera, id est, proauiæ frater & soror. Item fratris patruelis vel sororis patruelis, consobrini & consobrinæ, amitini & amitinæ

filius

filius, filia, propius sobrino, propius sobrina: hi sunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius, filia.

Sextus.

6. Sexto gradu supra tritauus, tritauia; infra trinepos, trineptis: ex transuerso fratris sororisque abnepos, abneptis; & conuenienter abpatruus, abamita, id est, abaui frater & soror: abauunculus, abmatertera, id est, abauiæ frater & soror; (item propatrui, proamitæ, proauunculi, promaterteræ filius, filia; item propius sobrino, sobrinaue filius, filia;) item consobrini consobrinæ nepos neptis; item sobrini, sobrinæ, id est, qui quæue ex fratribus vel sororibus patruelibus, vel consobrinis, vel amitinis progenerantur.

De reliquis gradibus.

7. Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum vlteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adiicit, vt longe facilius sit respondere, quoto quisque gradu

Ad §. 7. *Generata persona*) Optima ergo computandi ratio; *quod generationes, tot gradus, tam Iur. Ciuili, quam Canonico*, hoc tamen obseruato, quod *Ius Canonicum vnicum latus tantum computet*, & quidem illud, quod a stipite remotius.

Ad

gradu sit, quam propria cognationis appellatione quemquam denotare.

De gradibus agnationis.

8. Agnationis quoque gradus eodem modo numerantur.

De graduum descriptione.

9. Sed cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur, ideo necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus, & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

TITV-

Ad §. 8. *Agnationis*) Alia ratio affinitatis, cuius nulli Iure Ciuili gradus, cum nulla affinium successio *L. affinitatis 7. C. commun. de success.* Ius Canonicum autem coniugem eodem affinitatis gradu locat, quo gradu consanguinitatis alter iunctus est, dum coniuges ob vnitatem carnis pro vna persona reputantur.

Ad §. 9. *Oculata fide*) Ocularis inspectio probationum optima reputatur, & alias dicitur rem per facti euidentiam probare, Dn. Parens *Tr. de Iure Sens. D. 1. c. 2. n. 2.*

Per aures) Iuxta vulgatum illud:
Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Libro inscribi). Hæc ocularis ostensio graduum a Iustiniano descripta non extat, nec illa opus est, si modo in casu occurrente schema ita formetur, vt nulla persona intermedia, per quam sanguis deriuatur, omittatur, & tunc a persona, de

qua

TITVLVS VII.

DE SERVILI COGNATIONE.

De seruili cognatione.

ILlud certum est, ad seruiles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere. Nam nec vlla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed nostra constitutione, quam pro iure patronatus fecimus (quod ius vsque ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum, & vndique confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus, vt si quis in seruili constitutus consortio, liberum vel liberos habuerit, siue ex libera, siue ex seruilis conditionis muliere: vel contra, serua mulier ex libero vel seruo habuerit liberos cuiuscunque sexus, & ad libertatem his peruenienti.

---

qua quæritur, ascendatur ad communem stipitem; & descendatur iterum ad alteram personam, vbi numerus generationum præbebit numerum graduum.

TITVLVS VII.

Ad pr. *Seruiles cognationes*) Durante seruitute huius cognationis nulla habetur ratio, dum cessat successio, *l. 4. C. comm. de success.* Post manumissionem autem quæ forte parentibus & liberis simul contingit, cognationis ratio habetur. Sicut & iure canonico in nuptiis seruorum idem ius obtinet, quod in liberis hominibus.

entibus, ii, qui ex seruili ventre nati sunt, libertatem meruerint, vel, dum mulieres liberae erant, ipsi in seruitute eos habuerint, & postea ad libertatem peruenerint, vt hi omnes ad successionem patris vel matris veniant, patronatus iure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solum in suorum parentum successionem, sed etiam alterum in alterius successionem mutuam vocauimus, ex illa lege specialiter eos vocantes, siue soli inueniantur, qui in seruitute nati, & postea manumissi sunt, siue vna cum aliis, qui post libertatem parentum concepti sunt, siue ex eodem patre, siue ex eadem matre, siue ex aliis nuptiis ad similitudinem eorum, qui ex iustis nuptiis procreati sunt.

Collatio ordinum & graduum.

1. Repetitis itaque omnibus, quae iam tradidimus, apparet, non semper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari: eoque amplius, ne eum quidem, qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cum enim prima causa sit suorum here-

---

Postea manumissi) Ergo liberi in seruitute nati, sed manumissi, eodem iure gaudent cum illis, qui post manumissionem nati.

Ad §. 1. *Non semper:*) Hoc iure nouissimo aliter se habet, vbi proximior cognatus semper potior, nisi ex alia linea sit; & qui in eodem gradu sunt, pariter vocantur.

Ple-

heredum, & eorum, quos inter ſuos heredes enumerauimus, apparet pronepotem vel abnepotem defuncti potiorem eſſe, quam fratrem, aut patrem matremque defuncti: cum alioqui pater quidem & mater (vt ſupra quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater vero ſecundum, pronepos autem tertio gradu ſit cognationis, & abnepos quarto. Nec intereſt, in poteſtate morientes fuerit, an non, quod vel emancipatus, vel ex emancipato, aut fœmineo ſexu propagatus eſt. Amotis quoque ſuis heredibus, & quos inter ſuos heredes vocari diximus; agnatus, qui integrum ius habet agnationis, etiam ſi longiſſimo gradu ſit, plerumque potior habetur, quam proximior cognatus. Nam patrui nepos vel pronepos auunculo vel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus, aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet; aut pariter vocari eos, qui cognati ſunt, quoties neque ſuorum heredum, quique inter ſuos heredes ſunt, neque agnationis iure aliquis præferri debeat, ſecun-

Plerumque potius) Hodie non, cum cognatus eodem iure gaudeat. *Nou.* 118. *c.* 4.

Matertera præfertur) Aliter hodie, vbi patrui nepos materteræ tanquam gradu proximiori poſtponitur.

ſecundum ea, quæ tradidimus: exceptis fratre & ſorore emancipatis, qui ad ſucceſſionem fratrum vel ſororum vocantur: qui etſi capite deminuti ſunt, tamen præferuntur ceteris vlterioris gradus agnatis.

Titvlvs VIII.
DE SVCCESSIONE LIBERTORVM.

Qui ſuccedunt. De lege XII. *tabb.*

NVnc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum ſuum impune teſtamento præterire: nam ita demum lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, herede ſuo nullo relicto. Itaque inteſtato mortuo liberto, ſi is ſuum heredem reliquiſſet, patrono nihil in bonis eius iuris erat. Et ſi quidem ex naturalibus liberis aliquem ſuum heredem reliquiſſet, nulla videbatur querela: ſi vero adoptiuus filius fuiſſet, aperte iniquum erat, nihil iuris patrono ſupereſſe.

De

TITVLVS IIX.

Ad pr. *Liberto patronum)* Hic quaſi pater ciuilis erat liberti, cum vitam ciuilem per manumiſſionem ab eo conſecutus, vnde aliqua ſucceſſio patronis adſignanda. Hodie, ſublata ſeruitute, ceſſat ius patronatus; nec illi, qui proprios homines manumittunt, vllum ius in ipſorum bona retinent.

Ad

De iure Prætorio.

1. Qua de causa postea Prætoris Edicto hæc iuris iniquitas emendata est. Siue enim faciebat testamentum libertus, iubebatur ita testari, vt patrono partem dimidiam bonorum suorum relinqueret: & si aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum possessio. Siue intestatus moriebatur, suo herede relicto filio adoptiuo, dabatur æque patrono contra hunc suum heredem partis dimidiæ bonorum possessio. Prodesse autem liberto solebant ad excludendum patronum naturales liberi, non solum quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati & in adoptionem dati: si modo ex aliqua parte scripti heredes erant, aut præteriti contra tabulas bonorum possessionem ex edicto prætorio petierant. Nam exheredati nullo modo repellebant patronum.

De Lege Papia.

2. Postea vero lege Papia adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, vt ex bonis eius, qui sestertium centum millium patrimoni-

---

Ad §. 1. *Naturales liberi:*) Sicut ergo defuncto, qui liberos reliquit, non succedunt parentes, ita nec liberto patronus, modo ille liberos non exheredasset, quod tamen §. *seq.* restrictum.

monium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat,(siue is testamento facto, siue intestatus mortuus erat) virilis pars patrono deberetur. Itaque cum vnum quidem filium filiamue heredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine vllo filio filiaue intestatus decessisset: cum vero duos duasue heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus.

De constitutione Iustiniani.

3. Sed nostra constitutio (quam pro omni natione, graeca lingua compendioso tractatu habito composuimus) ita huiusmodi causam definiuit, vt, si quidem libertus vel liberta minores centenariis sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiae summam interpretati sumus, vt pro mille sestertiis vnus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione: si tamen testamentum fecerint. Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relicto, tunc patronatus ius, quod erat ex lege duodecim tabularum, integrum reseruauit. Cum vero maio-

Ad §. 2. *Si tres reliquerat*) Per legem Papiam tres liberi demum excludunt patronum a successione liberti; quod si pauciores habebat, patronus capiet portionem filialem.

Ad

maiores centenariis ſint, ſi heredes vel bonorum poſſeſſores liberos habeant, ſiue vnum, ſiue plures cuiuscunque ſexus vel gradus; ad eos ſucceſſiones parentum deduximus, patronis omnibus modis vna cum ſua progenie ſemotis. Sin autem ſine liberis deceſſerint: ſi quidem inteſtati, ad omnem hereditatem patronos patronasque vocauimus. Si vero teſtamentum quidem fecerint, patronos autem aut patronas præterierint, cum nullos liberos haberent, vel habentes eos exheredauerint, vel mater ſiue auus maternus eos præterierint, ita, quod non posſint argui inofficioſa eorum teſtamenta, tunc ex noſtra conſtitutione per bonorum poſſeſſionem contra tabulas non dimidiam, (vt antea) ſed tertiam partem bonorum liberti conſequantur, vel quod deeſt eis, ex conſtitutione noſtra repleatur, ſi quando minus tertia parte bonorum ſuorum libertus vel liberta eis reliquerit: ita ſine onere, vt

---

Ad §. 3. *Liberos habeant*) Iuſtinianus, etiamſi vnus tantum filius liberti adſit, patronum excludit.

Tertiam partem) Si libertus improlis decedat & quidem inteſtatus, patronus eſt heres vniuerſalis; ſi teſtatus, tertiam partem loco legitimæ capit.

Sine onere:) In hoc legitima patroni cum legitima ordinaria coincidit, quod ſi non integra reli-

vt nec liberis liberti libertæue ex ea parte legata vel fideicommissa præstentur, sed ad coheredes eorum hoc onus redundet. Multis aliis casibus a nobis in præfata constitutione congregatis, quos necessarios esse ad huiusmodi dispositionem iuris perspeximus, vt tam patroni patronæque, quam liberi eorum, nec non qui ex transuerso latere veniunt, vsque ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarumue vocentur, sicut ex ea constitutione intelligendum est. Et, si eiusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarumue pluriumue liberi sint, qui proximior est, ad liberti vel libertæ vocetur successionem, & in capita, non in stirpes diuidatur successio: eodem modo & in iis, qui ex transuerso latere veniunt, seruando. Pene enim consonantia iura ingenuitatis & libertinitatis in successionibus fecimus.

Quibus libertinis succeditur.

4. Sed hæc de iis libertinis hodie dicenda sunt, qui in ciuitatem Romanam peruenerunt, cum nec sint alii liberti, simul & dedititiis, & latinis sublatis, cum latinorum legitimæ successiones nullæ penitus erant, quia licet vt liberi vitam suam peragebant,

---

relicta, ad supplementum agi posset *b. §. verb. repleatur.* Conf. *L.* 30. *C. de inoffic. testam. Deinde* quod sine onere relinquenda *L.* 32. *C. d. t.*

gebant, attamen ipſo vltimo ſpiritu ſimul animam, atque libertatem amittebant, & quaſi ſeruorum, bona eorum, iure quodammodo peculii, ex lege Iunia Norbana manumiſſores detinebant. Poſtea vero ſenatusconſulto Largiano cautum fuerat, vt liberi manumiſſoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis latinorum præponerentur. Quibus etiam ſuperuenit diui Traiani edictum, quod eundem hominem, ſi inuito vel ignorante patrono ad ciuitatem Romanam venire ex beneficio principis feſtinarat, faciebat quidem viuum ciuem Romanum, latinum vero morientem. Sed noſtra conſtitutione propter huiusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipſis latinis etiam legem Iuniam, & ſenatusconſultum Largianum, & edictum diui Traiani, in perpetuum deleri cenſuimus, vt omnes liberti ciuitate Romana fruantur, & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipſas vias, quæ in latinitatem ducebant, ad ciuitatem Romanam capiendam transpoſuimus.

Titvlvs IX.
DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

De adſignationis effectu.

IN ſumma, quod ad bona libertorum attinet, admonendi ſumus, cenſuiſſe

ſenatum, vt quamuis ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus ſunt, æqualiter bona libertorum pertineant, tamen licere parenti, vni ex liberis adſignare libertum, vt poſt mortem eius ſolus is patronus habeatur, cui adſignatus eſt; & ceteri liberi, qui ipſi quoque ad eadem bona, nulla adſignatione interueniente, pariter admitterentur, nihil iuris in his bonis habeant: ſed ita demum priſtinum ius recipiant, ſi is, cui adſignatus eſt, deceſſerit nullis liberis relictis.

De ſexu adſignati.

1. Nec tantum libertum, ſed etiam libertam, & non tantum filio nepotiue, ſed etiam filiæ neptiue adſignare permittitur.

De liberis in poteſtate vel emancipatis.

2. Datur autem hæc adſignandi facultas ei, qui duos pluresue liberos in poteſtate habebit, vt eis, quos in poteſtate habet, adſignare libertum libertamue liceat. Vnde quærebatur, ſi eum, cui adſignauit, poſtea emancipauerit, num euaneſcat adſignatio? Sed

---

TITVLVS IX.

Ad pr. *Liberis adſignare libertum*) h. e. poteſt patronus, cuius ex liberis hunc vel illum libertum eſſe velit, diſponere, *l.* 107. *ff. de V. S.* Ille ergo filius cui adſignatus erat, ſolus ſucceſſionem liberti conſequebatur. Simile quid hodie contingere poſſet, in adſignatione propriorum hominum.

Ad

Sed placuit euanescere, quod & Iuliano, & aliis plerisque visum est.

Quibus modis aut verbis adsignatio fit.

3. Nec interest an testamento quis adsignet, an sine testamento, sed etiam quibuscunque verbis patronis hoc permittitur facere, ex ipso SC. quod Claudianis temporibus factum est, Sabellio Rufo & Asterio Scapula consulibus.

TITVLVS X.

D. XXVII. I. C. VI. 13. sq.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

Cur introducta bonorum possessio.

IVs bonorum possessionis introductum est a prætore, emendandi veteris iuris gratia. Nec solum in intestatorum hereditatibus vetus ius eo modo prætor emendavit, sicut supra dictum est, sed in eorum quo-

---

Ad §. 2. *Euanescere*) Non puto hoc amplius obtinere, postquam idem ius succedendi emancipati cum suis consecuti non tantum ab intestato, sed etiam ex testamento. *Nou.* 115. *c.* 3.

TITVLVS X.

Ad Rubr.) Siue de hereditatibus a prætore delatis; bonorum enim possessor in effectu heres est.

Ad pr. *Emendandi*) Vel potius temperandi ciuilis iuris gratia; quos enim rigor iuris veteris non admittebat, hos prætor ad successionem vocat.

Qui

quoque, qui testamento facto decesserint. Nam si alienus posthumus heres fuerit institutus; quamuis hereditatem iure ciuili adire non poterat, cum institutio non valebat; honorario tamen iure bonorum possessor efficiebatur, videlicet, cum a Prætore adiuuabatur: sed & is a nostra constitutione hodie recte heres instituitur, quasi & iure ciuili non incognitus. Aliquando tamen neque emendandi, neque impugnandi veteris iuris, sed magis confirmandi gratia, prætor pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui recte testamento facto heredes instituti sunt, dat secundam tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes, & agnatos ad bonorum possessionem vocat. Sed & remota quoque bonorum possessione, ad eos pertinet hereditas iure ciuili. Quos autem solus

---

Qui testamento) Huius quoque primam rationem habet prætor dando bonorum possessionem, vel secundum, vel contra tabulas *vid.* §. 1. *h. t.*

Alienus posthumus) Qui natus in potestate testatoris non futurus.

Nostra constitutione) Non extat illa, sed eius vestigium habetur *in* §. 26. *I. de legat.*

Confirmandi) Siue adiuuandi iuris ciuilis gratia *L.* 7. §. 1. *ff. de H. & I.* Remedia enim prætoria sunt summaria, & sic in iudiciis vtiliora, quam si quis ordinaria actione ex testamento, vel petitione hereditatis agat.

Here-

lus vocat prætor ad hereditatem, heredes quidem ipso iure non fiunt, nam prætor heredem facere non potest: per legem enim tantum vel similem iuris constitutionem heredes fiunt, veluti per Senatusconsulta, & constitutiones principales: sed cum eis prætor dat bonorum possessionem, loco heredum constituuntur, & vocantur bonorum possessores. Adhuc autem & alios complures gradus prætor fecit in bonorum possessionibus dandis, dum id agebat, ne quis sine successore moreretur: Nam angustissimis finibus constitutum per legem duodecim tabularum ius percipiendarum hereditatum, prætor ex bono & æquo dilatauit.

De speciebus ordinariis.

1. Sunt autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæ: Prima, quæ præteritis liberis datur, vocaturque *contra tabulas*. Secunda, quam omnibus iure scriptis heredibus prætor pollicetur, ideoque vocatur secun-

Heredem facere) Nomen heredis erat iuris ciuilis, quod concedere non poterat Prætor: Solo tamen nomine heredis caret bonorum possessor, effectu coincidit L. 117. *ff. de R. I.*

Ad §. 1. *Contra tabulas*) Hoc remedio prætor præcipue succurrit liberis emancipatis; sui enim præteriti poterant testamentum nullum dicere. Iuste autem exheredatis non succurrit *L. 8. pr. ff. de B. P. cont. Tabb.*

secundum tabulas (testamenti.) Et cum de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit. Et primo loco suis heredibus, & iis, qui ex edicto prætoris inter suos heredes connumerantur, dat bonorum possessionem, quæ vocatur *vnde liberi*. Secundo legitimis heredibus. Tertio, decem personis, quas extraneo manumissori præferebat. Sunt autem decem personæ hæ: pater, mater, auus, auia, tam paterni, quam materni; item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quam ex filia; frater, sororue, consanguinei, vel vterini. Quarto, cognatis proximis. Quinto, *tanquam ex familia*. Sexto, patrono, patronæque, liberisque eorum, & parentibus. Septimo, viro & uxori. Octauo, cognatis manumissoris.

Ius nouum.

2. Sed eas quidem prætoria introduxit iurisdictio, a nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est, sed nostris constitutionibus omnia corrigentes, *contra tabulas* quidem

Secundum Tabulas:) Tres casus famosi sunt, vbi hoc remedium prætorium adhuc hodie necessarium. (1) Si duo testamenta eodem tempore condita, diuersique heredes instituti; prætor vtrique simul dat B. P. *L.* 1. §. 6. *ff. de Bon. poss. sec. Tabb.* (2) Si posthumus præteritus decedat iterum viuo testatore L. 12. *ff. de ini. rapt.* (3) Si filius præteritus se abstinuerit *L.* 17. *ff. d. t.*

dem & *secundum tabulas* bonorum possessiones admisimus, vtpote necessarias constitutas, nec non ab intestato, *vnde liberi*, & *vnde legitimi* bonorum possessiones. Quæ autem in prætoris edicto quinto loco posita fuerat, id est, *vnde decem personæ*, eam pio proposito & compendioso sermone superuacuam ostendimus. Cum enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori; nostra Constitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eisdemque manumissoribus, contracta fiducia manumissionem facere dedit. Vt ipsa manumissio eorum hoc in se habeat priuilegium, & superuacuam fiat supra dicta bonorum possessio. Sublata igitur prædicta quinta bonorum possessione, in gradum eius sextam antea bonorum possessionem induximus, & quintam fecimus, quam prætor proximis cognatis pollicetur. Cumque antea fuerat septimo loco bonorum possessio, *tanquam ex familia*. & octauo, *vnde patroni patronæque, liberi & parentes eorum;* vtramque per constitutionem nostram, quam de iure patro-

Ad §. 2. *Nostra constitutio*) *In L. vlt. C. de emancip. liber.*

Omnibus parentibus:) Tota hæc ratio succedendi, & ordo a prætore præscriptus, mutationem recepit per *Nou.* 118. *c.* 2. & 3.

Vnd

patronatus fecimus, penitus euacuauimus. Cum enim ad similitudinem successionis ingenuorum, libertinorum successiones profuerimus, quas vsque ad quintum gradum tantummodo coarctauimus, vt sit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia, sufficit eis tam *contra tabulas* bonorum possessio, quam *vnde legitimi & vnde cognati:* ex quibus possunt sua iura vendicare, omni scrupulositate, & inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum resoluto. Aliam vero bonorum possessionem, quæ *vnde vir & vxor* appellatur, & nono loco inter veteres bonorum possessiones posita fuerat, & in suo vigore seruauimus, & altiori loco, id est, sexto eam posuimus, decima quoque veteri bonorum possessione, quæ erat *vnde cognati manumissoris*, propter causas numeratas merito sublata, vt sex tantummodo bonorum possessiones ordinariæ permaneant, suo vigore pollentes. *Spe-*

Vnde vir & vxor) Omnibus cognatis deficientibus prætor vocat coniuges ad totam hereditatem. Vtilius ergo tali casu hoc remedium est, quam portio statutaria, quæ partem bonorum regulariter tantum adsignat. Interim Iustinianus in *Auth. Præterea C. vnde vir. & vx.* etiam existentibus liberis coniugi succurrit. Statuta in hoc puncto quam maxime variant *vid. Dn. Parens de Succ. ab. Int. D. 4. c. 3.*

Ad

Species extraordinaria.

3. Septima eas secuta, quam optima ratione praetores introduxerunt. Nouissime enim promittitur edicto iis etiam bonorum possessio, quibus vt detur, lege, vel senatusconsulto, vel constitutione comprehensum est: quam neque bonorum possessionibus, quae ab intestato veniunt, neque iis, quae ex testamento sunt, praetor stabili iure connumerauit: sed quasi vltimum & extraordinarium auxilium (prout res exigit) accommodauit, scil. iis, qui ex legibus, senatusconsultis, constitutionibusue Principum, ex nouo iure, vel ex testamento, vel ab intestato veniunt.

De successorio edicto.

4. Cum igitur plures species successionum praetor introduxisset, easque per ordinem dispsosuisset; & in vnaquaque specie successionis saepe plures extent dispari gradu personae; ne actiones creditorum differrentur, sed haberent, quos conuenirent, & ne facile in possessionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo sibi consulerent, ideo petendae bonorum possessioni cer-

Ad §. 3. *Ex nouo iure*) Huc referre solent, si ex noua lege prouinciali deferatur successio, e. gr. coniugibus in portione statutaria; filiabus in gerada, masculis in rebus expeditoriis, secundum ius Saxonicum.

certum tempus præfiniuit. Liberis itaque & parentibus, tam naturalibus, quam adoptiuis, in petenda bonorum possessione *anni spatium*, ceteris autem (agnatis, vel cognatis) centum dierum dedit.

De iure accrescendi.

5. Et si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit, eiusdem gradus personis adcrescit, vel si nullus sit, deinceps ceteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur, ac si is, qui præcedebat, ex eo numero non esset. Si quis itaque delatam sibi bonorum possessionem repudiauerit, non quousque tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit, expectatur, sed statim ceteri ex eodem edicto admittuntur.

Expli-

Ad §. 4. *Certum tempus*) Ergo qui remedio prætorio ad successionem peruenire cupit, probe attendat, vt intra præfinitum tempus B. P. agnoscat vel iudicialiter se heredem profiteatur. De computatione temporis vid. Dn. Parens *de Succ. ab Int. D. 9. c. 7. §. 15.*

Centum dierum.) Scil. vtilium *§. 6. h. t.*

Ad §. 5. *Adcrescit*) Idem hic iuris, quam in coherede repudiante *vid. §. 6. I. de legitim. agnat. success.*

Successorio edicto) Primi gradus heredibus repudiantibus, prætor sequentem gradum vocat, & ita ordinem ordini, & gradum gradui substituit. *L. 1. ff. de success. edict.*

Ad

Explicatio dicti temporis.

6. In petenda autem bonorum possessione dies vtiles singuli considerantur.

Quomodo peti debet.

7. Sed bene anteriores Principes & huic causæ prouiderunt, ne quis pro petenda bonorum possessione curet; sed quocunque modo admittentis eam iudicium intra statuta tempora ostenderit, plenum habeat earum beneficium.

TITVLVS XI.

DE ADQVISITIONE PER ADROGATIONEM.

Continuatio.

EST & alterius generis per vniuersitatem successio, quæ neque Lege duodecim Tabularum, neque Prætoris edicto, sed

---

Ad §. 6. *Dies vtiles*) Scil. ratione initii, quia non currunt nisi scienti: in progressu autem sunt continui; *l. 2. pr. ff. quis ord. in bon. poss.* nisi decreto opus sit ad B. P. vbi dies iudiciales tantum computantur, *d. l. 2. §. 1.*

Ad §. 7. *Iudicium*) h. e. qualiscunque declaratio de agnoscenda hereditate coram magistratu facta, sufficit.

TITVLVS XI.

Ad pr. *Per vniuersitatem.*) Adrogator enim non tantum personam adrogati, sed & omnia eius iura & bona in suam potestatem redigit. *§. 1. h.*

ſed eo iure, quod conſenſu receptum eſt, introducta eſt.

Quæ hac modo adquiruntur.

1. Ecce enim, cum paterfamilias ſeſe in adrogationem dat, omnes res eius corporales, & incorporales, quæque ei debitæ ſunt, adrogatori antea quidem pleno iure adquirebantur, exceptis iis, quæ per capitis deminutionem pereunt, quales ſunt operarum obligationes, & ius agnationis. Vſus etenim & vſusfructus, licet his antea connumerabantur, attamen capitis deminutione minima eos tolli, prohibuit noſtra conſtiſtitutio.

Ius nouum.

2. Nunc autem nos eandem adquiſitionem, quæ per adrogationem fiebat, coarctavimus ad ſimilitudinem naturalium parentum. Nihil enim aliud, niſi tantummodo vſusfructus, tam naturalibus parentibus, quam adoptiuis, per filios familiarum adquiritur, in iis rebus, quæ extrinſecus filiis obueniunt, dominio eis integro ſeruato. Mor-

---

Conſenſu) Scil. tacito populi h. e. conſuetudine.

Ad §. 1. *Operarum*) Scil. obſequialium, fabriles enim operæ capitis diminutione, ſeu emancipatione, non tolluntur.

Ad §. 2. *Integro ſeruato*) Bona ergo, quæ cum adrogato conſequitur pater, eius intuitu pro profecti

Mortuo autem filio adrogato in adoptiua familia, etiam dominium rerum eius ad adrogatorem pertransit, nisi supersint aliæ personæ, quæ ex constitutione nostra patrem in iis, quæ adquiri non possunt, antecedant.

Effectus huius adquisitionis.

3. Sed ex diuerso pro eo, quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem iure adrogator non tenetur, sed nomine filii conuenietur, &, si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus, per competentes nostros magistratus, bona, quæ eius cum vsufructu futura fuissent, si se alieno iuri non subiecisset, possidere & legitimo modo ea disponere.

Titvlvs XII.
DE EO, CVI LIBERTATIS CAVSA BONA ADDICVNTVR.

Accessit nouus casus successionis ex constitutione diui Marci. Nam si ii, qui

fectitiis haberi nequeunt, sed pro aduentitiis; & hinc patris est tantum vsusfructus, filii proprietas.

Aliæ personæ) Vtpote si adrogatus liberos habeat.

Ad §. 3. *Ipso quidem iure*) Quia obligatio non egreditur personam contrahentis.

Bona) H. e. immissio decernitur creditoribus ex primo decreto, & continuata contumacia, etiam ex secundo.

qui libertatem acceperunt a domino in testamento, ex quo non aditur hereditas, velint bona sibi addici, libertatum conseruandarum causa, audiuntur.

Rescriptum D. Marci.

1. Et ita diui Marci rescripto ad Pompilium Rufum continetur. Verba rescripti ita se habent: *Si Virginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam adscripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona eius esse cœperunt, vt venire debeant, is, cuius de ea re notio est, aditus, rationem desiderii tui habebit, vt libertatum, tam earum, quæ directo, quam earum, quæ per speciem fideicommissi relictæ sunt, tuendarum gratia addicantur tibi, si idoneè creditoribus caueris de solido, quod cuique debetur, soluendo. Et ii quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hereditas adita esset. Ii autem, quos heres manumittere rogatus est, a te liber-*

TITVLVS XII.

Ad pr. *Non aditur hereditas*) Fieret enim ita testamentum destitutum, & sic corrueret etiam libertas, ne ergo hac priuetur ille, cui testamento data erat, petere poterat, vt sibi addicantur bona, ne pereat libertas.

Ad §. 1. *Creditoribus caueris*) Ergo pro commodo libertatis, is cui bona addicta, cauere creditoribus debebat, fideiussoribus aut pignoribus, de ære alieno in solidum soluendo.

Si

libertatem consequentur: ita autem, vt si non alia conditione velis tibi bona addici, quam vt ii etiam, qui directo libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuae, si ii, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accommodamus. Et ne huius rescriptionis nostrae emolumentum alia ratione irritum fiat, si fiscus bona agnoscere voluerit, & ii, qui rebus nostris attendunt, sciant commodo pecuniario praeferendam esse libertatis causam, & ita bona cogenda, vt libertas eis salua sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamento adita esset.

Vtilitas rescripti.

2. Hoc rescripto subuentum est, & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum a creditoribus possideantur, & veneant. Certe si fuerint hac de causa bona addicta, cessat bonorum venditio: existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cauet.

Quibus casibus locus est Rescripto.

3. Inprimis hoc rescriptum toties locum

Si fiscus bona) Ergo & fiscus succedens libertates praestare tenetur, sicut & reliqua onera hereditaria ipsi incumbunt. *L.* 16. *in f. ff. de his quae vt indign.* L. 11. *ff. de iur. fisci.* Non tamen vltra vires hereditatis *L.* 1. §. 1. *ff. de iur. fisci.*

Ad §. 2. *Possideantur*) Et sic ignominia a defuncto auertatur, §. 1. *I. quib. ex caus. manum.*

cum habet, quoties teſtamento libertates datæ ſunt. Quid ergo, ſi quis inteſtatus decedens, codicillis libertates dederit, neque adita ſit ab inteſtato hereditas, an fauor conſtitutionis debebit locum habere? Certe ſi inteſtatus deceſſerit, & codicillis dederit libertatem, competere eam, nemini dubium eſt.

Si certum ſit vel incertum, vtrum ſucceſſor exiſtat.

4. Tunc conſtitutioni locum eſſe, verba oſtendunt, cum nemo ſucceſſor ab inteſtato exiſtat. Ergo quamdiu incertum erit, vtrum exiſtat, an non, ceſſabit conſtitutio. Si vero certum eſſe cœperit, neminem exiſtere, tunc erit conſtitutioni locus.

De in integrum reſtitutione.

5. Si is, qui in integrum reſtitui poteſt, abſtinuerit hereditate; an, quamuis poteſt, in integrum reſtitui, poſſit admitti conſtitutio, & bonorum addicto fieri? Quid ergo ſi poſt addictionem libertatum conſeruandarum cauſa factam, in integrum ſit reſtitutus? Vtique non erit dicendum reuocari libertates: quia ſemel competierunt.

Si libertates datæ non ſunt.

6. Hæc conſtitutio libertatum tuendarum cauſa introducta eſt. Ergo ſi libertates nullæ ſint

---

Ad §. 5. *Semel competierunt*) Imo qui contra omiſſam hereditatem reſtitutus, ſi eam adeat, agnoſcere debet libertates a defuncto relictas.

Ad

ſint datæ, ceſſat (hæc) conſtitutio. Quid ergo, ſi viuus dederit libertates, vel mortis cauſa, & ne de hoc quæratur, vtrum in fraudem creditorum, an non factum ſit, idcirco velint ſibi addici bona? an audiendi ſint? Et magis eſt, vt audiri debeant, etſi deficiant verba conſtitutionis.

De ſpeciebus additis a Iuſtiniano.

7. Sed cum multas diuiſiones eiusmodi conſtitutioni deeſſe perſpeximus, lata eſt a nobis pleniſſima conſtitutio, in qua multæ ſpecies collatæ ſunt, quibus ius huiusmodi ſucceſſionis pleniſſimum eſt effectum, quas ex ipſius lectione conſtitutionis poteſt quis cognoſcere.

Titvlvs XIII.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, QVÆ FIEBANT PER BONORVM VENDITIONES, ET EX SENATVSCONSVLTO CLAVDIANO.

ERant ante prædictam ſucceſſionem olim & aliæ per vniuerſitatem ſucceſſiones, qualis fuerat bonorum emptio, quæ de

---

Ad §. 6. *Deficiant verba*) Sufficit, quod non deficiat ratio, quæ anima legis eſt, & ſæpius potentior verbis, *ad ſupr. pr. de legitim. patron. tut.*

TITVLVS XIII.

Ad pr. *Bonorum emptio*) Non agitur hic de em-

de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta, & tunc locum habebat, quando iudicia ordinaria in vsu fuerant. Sed cum extraordinariis iudiciis posteritas vsa est, ideo cum ipsis ordinariis iudiciis etiam bonorum venditiones exspirauerunt, & tantummodo creditoribus datur, officio iudicis bona possidere, & prout vtile eis visum est, ea disponere. Quod ex latioribus digestorum libris perfectius apparebit. Erat & ex senatusconsulto Claudiano miserabilis per vniuersitatem adquisitio, cum libera mulier seruili amore bacchata, ipsam libertatem per senatusconsultum amittebat, & cum libertate substantiam, quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & a nostra ciuitate deleri, & non inferi nostris digestis concessimus.

---

emtore hereditatis, qui illam ab herede adeunte comparauit; hic enim, licet heres non fiat, actiones tamen hereditarias vtiles sine cessione exercere potest. *L. emtor 5. C. de hered. vend.* Sed de emtore bonorum herede deficiente.

Seruili amore bacchata) Libera mulier seruo se prostituens libertatem & bona amittit, quod mutatum & eius loco seruus verberibus castigandus, & femina ab illo liberanda. *L. vn. C. de SCt. Claud. toll.*

DE

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO.

Ad ductum Nou. CXIIX. *c.* 1. 2. & 3.

Cap. I.

De Svccessione Descendentivm.

Descendentes sunt vel *legitime nati*, vel *legitimati*, vel *adoptiui*, vel *illegitimi*.

Legitime nati succedunt *omnes*, sine diuersitate sexus & potestatis, quotocunque gradu sint, modo nemo eos antecedat; & quidem qui in primo gradu sunt, succedunt in capita, reliqui in stirpes, per *ius repraesentationis*, etiamsi paris gradus sint.

Excludunt autem descendentes a successione omnes alios, tam parentes, quam collaterales, excepta *defuncti coniuge*, cui iure ciuili, si inops sit, quarta debetur *Auth. praeterea C. vnde vir & vxor*, vel hodie portio statutaria.

Legitimati, siue per subsequens matrimonium, §. 2. *I. de hered. ab int.* siue per rescriptum (hi tamen non aliter, quam si legitimi postea demum nati. *Nou.* 74. *c.* 1. & *Nou.* 89. *c.* 9.) & *Adoptiui* aequaliter cum legitime natis concurrunt in successione intestata.

Illegitimi succedunt *matri*, nisi *illustris* sit, & liberos legitimos habeat *L. Si qua illustris C. ad SCt. Orphit.* sed *non patri*, alimenta tamen capiunt, exceptis *incestuosis*. *Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.*

Cap. II.

De Svccessione Ascendentivm.

Si nulli descendentes adsint, succedunt ascendentes.

Proximus indistincte excludit remotiorem, siue pater, siue mater sit.

Si *eiusdem gradus* parentes adsint, succedunt *in lineas*, nisi concurrant collaterales germani ger-

germanorumque liberi, (quibus demum per *Nou.* 127. *c.* 1. profpectum fuit, nam per *Nou.* 118. *c.* 3. excluduntur) cum quibus fuccedunt *in capita*, germanorum liberis in ftirpes concurrentibus.

Omnes alii collaterales ab afcendentibus excluduntur, vt fratres vnilaterales, & germanorum nepotes. Ceterum quo cafu fratres concurrunt cum parente, pleno iure fuccedunt, patri denegato vfufructu.

Parentes liberorum *legitimatorum* æqualiter fuccedunt.

Adoptiuis vero illis tantum fuccedunt Parentes, quos *in poteftate* habuerunt.

In parentibus *illegitimis* idem ius eft quod in *liberis;* iura enim fucceffionum regulariter funt reciproca.

Cap. III.

De Svccessione Collateralivm.

SI afcendentes non adfint, fed germani germanorumque liberi, tum fuccedunt *illi* in capita, *hi* in ftirpes, iure repræfentationis, nifi liberi *foli* fint, vbi *in capita* concurrunt, non enim iure a parentibus *tranfmiffo*, fed *fuo* fuccedunt.

His deficientibus *vnilaterales*, eorumque liberi, *pari ratione* admittunt.

His quoque deficientibus *proximus* inter collaterales fuccedit indiftincte, ceffante iure repræfentationis & duplicitate vinculi, vt & diuerfitate inter agnatos & cognatos *Nou.* 118. *c.* 4.

Legitimati collaterales eodem iure gaudent, nifi quod legitimati per refcriptum æftimentur iure confanguineorum, & hinc a germanis excludantur.

Adoptiui qui *in poteftate* fuerunt fuccedunt pariter iure confanguineorum *L.* 2. §. 3. *ff. de fuis & legit. hered.*

Illegitimi non, nifi qui ex *eadem matre* nati, qui

qui succedunt per matrem coniunctis. §. 31. *ad SC. Orfic. & §. 4. I. de Succ. Cognat.*

Cap. IV.

DE SVCCESSIONE CONIVGVM.

Coniuges *iure digestorum & codicis* non succedunt.

Iure nouissimo per *Nou.* 53. *c.* 6. *quartam* capit superstes, sed in casu *inopiae* tantum: si plures quam *tres liberi*, capit portionem filialem, sed tantum iure vsusfructus; cum aliis concurrens portionem suam pleno iure capit. *Auth. Praeterea C. vnd. vir. & vir.*

Iure praetorio omnibus cognatis deficientibus coniuges *ex asse* succedunt.

In *Marchia* superstes capit dimidiam, collatis bonis propriis.

In *Saxonia* maritus est heres mobilaris, excepta gerada & legitima liberorum. Vxor capit quartam.

Cap. V.

DE SVCCESSIONE FISCI.

Vltimus heres fiscus est, si nec legitimus nec testamentarius adsit L. 1 *C. de bon. vac.* vnde fiscus ad omnia onera hereditaria tenetur. Vid. Dn. Parens *de Succ. ab int. Diss.* 5. *c.* 1. §. 46. In Saxonia & iure Lubecensi omnes ciuitates mero imperio gaudentes ius succedendi in bona vacantia habent. Richter *de Success. Sect.* 5. *n.* 3. Meu. *ad Ius Lub. P.* 2. *tit.* 2. *Art.* 14. *n.* 41. *seq.*

Praeferuntur tamen fisco coniuges. *L. vn. C. vnd. vir. & vx.* socii liberalitatis imperialis L. *vn. C. si liberal. Imper. Soc. sin. hered. decess.* ecclesia in bonis clerici *L.* 20. *C. de Ep. & Cler.* vexillatio in bonis militis *L.* 2. *C. de Hered. Decurion.* & secundum communem opinionem alia collegia licita.

TITV-

TITVLVS XIV.

D. XLIV. 7. C. IV. 10.

DE OBLIGATIONIBVS.

Continuatio, & definitio.

NVnc transeamus ad obligationes. Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ, secundum nostræ ciuitatis iura.

Diuisio prior.

1. Omnium autem obligationum summa diuisio in duo genera deducitur. Namque aut ciuiles sunt, aut prætoriæ. Ciuiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo iure ciuili comprobatæ sunt. Prætoriæ sunt,

Ad rubr. *Obligationibus*) De iure *in rem* a lib. II. tit. 1. vsque huc egit Imp. Nunc de iure *in personam* agere incipit, quod ex obligatione est, qua nobis faciendum aliquid vel dandum, & semper aduersus eundem agitur L. 25. *pr. ff. h. t.*

Ad pr. *Iuris*) Et quidem vel *naturalis* vel *ciuilis* vel *vtriusque*. Illa obligatio naturalis tantum, ista ciuilis tantum, hæc mixta dicitur. Hic de obligatione mixta agitur, nam naturalis quidem pariter effectu omni non destituitur, quam in rem vid. Dn. Hopp. *in Comment. hic;* efficacem tamen actionem non producit.

Alicuius rei soluendæ) Vel facti præstandi, nam & factum sub voce rei generaliter acceptæ continetur. *L. 4. ff. h. t.*

Ad §. 1. *Ciuiles sunt*) Et ita per 30. annos durant *L. 3. C. de præscr. 30. ann.*

Sua

ſunt, quas prætor ex ſua iurisdictione conſtituit, quæ etiam honorariæ vocantur.

Diuiſio poſterior.

2. Sequens diuiſio in quatuor ſpecies diuiditur. Aut enim ex contractu aut quaſi ex contractu ſunt, aut ex maleficio, aut quaſi ex maleficio. Prius eſt, vt de iis, quæ ex contractu ſunt, diſpiciamus. Harum æque quatuor ſunt ſpecies. Aut enim recon-

---

Sua iurisdictione) Ex æquitate plerumque. Exemplum in obligatione ex conſtituta pecunia.

Honorariæ) Et per annum tantum dantur, ſi ſint pœnales *pr. Inſt. perpet. & temp. act.*

Ad §. 2. *Contractu*) Contractus eſt conuentio ex ſe & ſua natura obligationem & actionem producens *Lib. 7. §. 2. ff. de pact.* quo ipſo a pacto nudo differt, quod hoc in ſimplicibus conuentionum finibus ſubſiſtat, & nomine ac cauſa careat *d. l. 7. §. 1. & 2.* atque ita actionem non producat *d. l. 7. pr. & §. 4. L. 15. ff. de præſcript. verb. L. 27. C. locat.* Niſi ſit pactum *veſtitum*, quod extrinſecus validitatem agendi accipit, veluti ob *legis adſiſtentiam*, quod legitimum dicitur *l. 6. ff. de pact.* vel *cohærentiam contractus* L. 7. §. 2. *ff. & L. 13. C. de pact.* quod pactum adiectum dicitur, vel quod in ipſa *traditione* conuentum. *L. 48. ff. de pact.*

Quatuor ſunt ſpecies) Plures adhuc ſunt diuiſiones contractuum hic omiſſæ. Ita, *ratione obligationis*, quidam ſunt *vnilaterales*, vt mutuum, ſtipulatio, litterarum obligatio, hereditatis aditio, indebiti ſolutio; quidam *bilaterales*, vt emtio, venditio, locatio, conductio &c. Et hi, ſi vterque

Titvlvs XV.

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR OBLIGATIO.

De mutuo.

Re contrahitur obligatio; veluti mutui datione. Mutui autem dato in iis rebus consistit, quae pondere, numero mensuraue constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, aere, argento, auro, quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpen-

TITVLVS XV.

Ad pr. *Veluti*) Itaque non omnes species contractuum realium hic recensentur, sed quaedam tantum, & quidem potissima exempla. Sunt enim etiam omnes contractus innominati reales, ac demum ex datione vel facto obligant *L. 7. §. 2. de pact. L. 5. pr. de praescr. verb.* non ex conuentione *L. 1. §. 2. ff. de permut.* Ille vero in his tantum obligatur, qui accepit, vel cui quid factum, nam faciens & dans poenitere potest, antequam alter contractui satisfecerit *d. l. 1. §. 2. l. 3. C. eod.* Aliud hodie, vbi solus consensus obligat, & poenitentiam in omni negotio excludit. Vid. Dn. Patens *tr. de Cautel. Contr. S. 3. c. 5. §. 5.* vbi praeiudicium.

Mutui datione) Hinc pactum de mutuo non obligat.

Pondere, numero, mensura) Hae res dicuntur *fungibiles*, quia alia alterius vice fungitur, si in eodem pondere & numero restituatur *L. 2. §. ff. de Reb. Cred.* siue quarum vsus consistit in abusu.

pendendo in hoc damus, vt accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, ſed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddûntur, inde etiam mutuum appellatum eſt; quia ita a me tibi datur, vt ex meo tuum fiat: & ex eo contractu naſcitur actio, quæ vocatur condictio.

De indebito ſoluto.

1. Is quoque, qui non debitum accepit ab eo,

Accipientium fiant) Per mutuum ergo transfertur dominium, & ſic ſubeſt alienatio. Nec obſt. L. 213. §. 1. *ff. de V. S.* vbi æs meum eſt, quod alii mihi debent; non enim ſpecies ſed genus in obligatione eſt.

Eiusdem naturæ & qualitatis) In ea enim bonitate reſtituenda pecunia, in qua accepit debitor, niſi forte ex alterius generis moneta damnum non ſenſerit creditor L. 99. *ff. de Solut.* Quod ſi bonitas monetæ interea temporis mutata, tum ſemper ad bonitatem illius temporis, quo accepta pecunia, reſpiciendum, & ad hanc præſens pecunia reducenda, & ita tantum, quantum acceptum, non plus vel minus, reſtituendum. L. 3. *ff. de Reb. Cred.* Carpz. *P.* 2. *C.* 28. *d.* 4. & 5.

Condictio) Et quidem *condictio certi*, quia certum eſt quod petitur L. 74. §. 1. *de V. O.* Sed cum addito *ex mutuo*. Nam alias etiam condictio certi aliis contractibus communis eſt L. 9. *ff. de reb. cred.* Vocatur etiam *actio mutui* in L. 5. *C. Quib. non obiic. long. temp. præſc.* Sed non in ff.

Ad §. 1. *Non debitum*) Sc. quod nullo iure debetur: nam quod ex naturali debito ſolutum non repetitur *l.* 9. §. *ult.* & *l.* 10. *ff. ad SCt. Maced.* excepto pupillo L. 41. *ff. de Cond. ind.* & muliere ex interceſſione ſua ſoluente L. 40. *pr. ff. eod.*

Accepit) Et quidem *bona fide*. Nam mala fide acci-

eo, qui per errorem soluit, re obligatur, daturque agenti contra eum propter repetitionem condictitia actio. Nam perinde ei condici potest, *si apparet, eum dare oportere*, ac si mutuum accepisset. Vnde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione, non magis quam mutui datione.

---

accipiens & retinens, furti tenetur, & pecunia soluentis manet *L.* 44. §. 1. *ff. de furt.*

Per errorem) *Facti*, non *iuris*; per *L.* 10. *C. de iuris & fact. ign.* nam hic in casu rei amissæ nocet, aliud si de damno rei amittendæ agatur L. 7. & 8. *ff. eod.* Sciens vero indebitum soluens illud non repetit L. 1. §. 1. *l.* 24. & 26. §. 3. *ff. de Cond. indeb.*

Condictitia actio) S. Condictio §. 6. *infra de obl. quæ quasi ex contr.* Hæ enim voces promiscue occurrunt. Vid L. 24. *de reb. cred. L.* 7. *de Condict. furt.*

Ac si mutuum) Hinc etiam *Promutuum* vocari solet. Si species indebite data, inde fit commodatum. Diuersitas effectus subest in præstatione periculi.

Per errorem) Soluentis.

Non tenebitur indebiti condictione) Quia nec ex mutuo accepto obligatur; sine auctoritate tutoris, cum ita conditionem suam deteriorem redderet *pr. Inst. de Auct. tut.* Nisi tamen vel locupletior redditus, *arg.* L. 5. *pr. ff. de Auct. tut.* L. 13. §. 1. & *l.* 14. *ff. de Condict. indeb.* vel pecuniam rursus soluerit, vbi repetere eam nequit *l.* 25. §. 1. *ff. quand. dies leg.* quod sublimit. nisi sine tutoris auctoritate soluerit L. 29. *ff. de Cond. indeb.*

ne. Sed hæc species obligationis non videtur ex contractu consistere: cum is, qui solvendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quam contrahere.

De commodato.

2. Item is, cui res aliqua vtenda datur, id est, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longe distat. Namque non ita res datur, vt eius fiat: & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit; veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiumue incursu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui

---

Non videtur ex contractu) Sed potius quasi ex contractu §. 6. *infra de Obl. quæ quasi ex contr.* nisi id expresse actum, vt, si indebitum fuerit, restituatur, vbi verus contractus est L. 2. *ff. de Condict. indeb.*

Ad §. 2. *Vtenda datur*) Et quidem ad certum & determinatum vsum. Nam si secus, precarium est L. 11. & 12. *ff. de precar.* Vnde commodatum finito demum vsu, precarium quandocunque reuocari potest. *L.* 17. *§.* 3. *ff. commod.* L. 1. *pr. ff. de precar.* Quæ causa est, cur in precario tantum præstanda culpa lata L. 8. §. 3. *ff. de precar.*

Commodati actione) *directa.* Nam *contrariam* habet commodatarius ad indemnitatem *d.* L. 17. §. 3.

Obligatus remanet) Incendium enim ære alieno non liberat debitorem quantitatis. L. 11. *C. Si cert. pet.*

Exa-

is qui vtendum accepit, ſane quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare iubetur, nec ſufficit, ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quatenus ſuis rebus adhibere ſolitus eſt, ſi modo alius diligentior poterat eam rem cuſtodire, ſed propter maiorem vim maioresue caſus non tenetur, ſi modo non ipſius culpa is caſus interuenerit. Alio-

---

Exactam diligentiam) Deſcribitur hic diligentia, cuius omiſſio efficit culpam *leuiſſimam*, a qua differt culpa *leuis*, vbi quis mediocrem diligentiam in cuſtodienda re aliena omittit, & *lata*, quæ dicitur omiſſio communis diligentiæ, quam omnes homines rebus ſuis impendere ſolent. *Illa* regulariter præſtanda, vbi ſolius accipientis verſatur vtilitas, vt in commodato; *Iſta*, vbi tam accipientis quam dantis, vt in venditione, locatione; *Hæc*, vbi ſolius dantis. Vt in depoſito *L.* 5. §. 2. *ff. commod.* Vox *culpæ* ſimpliciter poſita, vt plurimum denotat leuem. Vox *diligentia*, leuiſſimam *d. l.* 5. §. 2. *l.* 23. *ff. de R. I.* Quamuis ſemper ad materiam ſubſtratam reſpiciendum.

Nec ſufficit ei) Hinc tempore incendii res commodatas ſuis præferre tenetur *d. l.* 5. §. 4.

Alius diligentior) Ergo culpa hic non in concreto, ſed in abſtracto conſideratur.

Caſus non tenetur) Caſus eſt qui conſilio humano præcaueri non potuit *L.* 2. §. 7. *ff. de admin. rer. ad ciuit. pert. l.* 15. §. 2. *ff. locat.* Et hunc regulariter nemo præſtat *d. l.* 23. ſc. in re *aliena*, res enim *propria* perit domino.

Non ipſius culpa) Hæc eſt exceptio regulæ modo traditæ *L.* 5. §. 4. & 7. *ff. commod. L.* 11. §. 1.

Cc 3 *ff. loc.*

Alioqui si id, quod tibi commodatum est domi, peregre tecum ferre malueris, & vel incursu hostium prædonumue, vel naufragio amiseris, dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, res tibi vtenda data est. Alioqui, mercede interueniente, locatus tibi vsus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.

De deposito.

3. Præterea & is, apud quem res aliqua depo-

---

ff. loc. sub qua culpa etiam continetur *mora* tradendi *l.* 23. *ff. de V. O. L.* 8. §. 6. *ff. de precar.* modo non res apud alterum etiam periisset L. 14. §. 1. *ff. depos.* Altera exceptio est, si quis pacto casum in se receperit L. 6. *C. de pign. act.*

Locatus) Si sc. merces in pecunia numerata consistat; si vero in alia re, est contractus innominatus *l.* 5. §. 12. *ff. commod.*

Gratuitum) Ita tamen vt non excludatur honorarium, arg. *l.* 6. *pr. ff. Mand.*

Ad §. 3. *Res aliqua*) Mobilis sc. L. 1. *pr. ff. Depos.* nam si res immobilis alicui custodienda gratis committatur, mandatum est *l.* 5. §. 4. *ff. de præscr. verb.* Sequestrari tamen potest res immobilis *l.* 21. *C. quor. appell. non recip.* Est vero *sequestrum*, depositum rei litigiosæ, pendente lite factum, vt, ea finita, restituatur victori. L. 5. §. 1. & 2. & *l.* 6. *ff. depos.* Quod a iudice non facile decernendum L. *vn. C. de prohib. sequestr.* ne processus ab executione incipiat, & possessor commodo possessionis priuetur.

Actione

deponitur, re obligatur, teneturque actione depositi, quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit: culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentiæ, non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit; quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.

De pignore.

4. Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur, quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus vtriusque gratia datur,

Actione depositi) *Directa.* Deponens vero tenetur depositario ad indemnitatem actione contraria L. 5. *pr. ff. depos.*

Dolo) Cui lata culpa comparatur *l.* 32. *ff. depos.*

Culpæ) Sc. leuis, ad latam enim tenetur.

Non tenetur) Nisi honorarium interuenerit, & vtriusque vtilitas ita versetur L. 5. §. 7. *ff. commod.* Si se sponte obtulerit, leuissimam quoque culpam præstare tenetur *l.* 1. §. 30. *ff. depos.*

Ad §. 4. *Restituenda tenetur*) Sc. soluto debito *l.* 9. §. 3. *ff. de pignorat. action.*

Pignoratitia) Sc. directa. Nam Contraria Creditor agit contra Debitorem ad indemnitatem L. 2. §. 2. & *l.* 16. §. 1. *de pignorat. Act.* vtraque tamen est personalis, quia ex contractu est; sed actio hypothecaria est realis, quia ex iure pignoris oritur. *vid. infr.* §. 7. *de Act.* Illa contra debitorem ad

tur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum; placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat: quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit; securum esse, nec impediri creditum petere.

Titvlvs XVI.

D. XLV. I. C. IIX. 38.

De Verborvm Obligationibvs.

Summa.

Verbis obligatio contrahitur ex inter-

---

ad restituendum pignus soluto debito: Hoc contra quemuis possessorem, ad consequendam pignoris possessionem, debito nondum soluto, datur.

Exactam diligentiam) Hæc verba ex præcedentibus explicanda, & de præstatione culpæ leuis intelligenda L. 5. §. 2. *ff. Commodat.*

Titvlvs XVI.

Ad Rubr. *Verborum obligationibus*) Hic effectus est. Ipse contractus vocatur *stipulatio*.

Ad pr. *Verbis obligatio*) Non igitur solo consensu, nam eo ipso differt stipulatio a pactis nudis, quæ sunt duorum vel plurium in idem placitum consensus *l.* 1. *ff. de pact.* Et iure ciuili obligationem & actionem non producebant *L.* 7. *pr.* & §. 4. *ff. eod.* L. 15. *ff. de præscr. verb.* Exemplum in pacto de mutuo. L. 27. *C. locat.* Hodie autem ex pacto etiam nudo, quod serio & deliberato animo initum est, actio datur. Et sic a stipulatione in effectu non amplius differt. Dn. Parens *de Caut. Contr. P.* 1. *C.* 4. §. 5.

In-

terrogatione & responsione, cum quid dari fieriue nobis stipulamur: & qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio certi, si certa sit stipulatio; quam ex stipulatu, si incerta sit. Quæ hoc nomine inde vtitur, quod stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte a stipite descendens.

De verbis stipulationum.

1. In hac olim talia verba tradita fuerunt: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fidepromittis? Fidepromitto. Fideiubes? Fideiubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Vtrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua, stipulatio concipiatur, nihil interest, scil. si vterque stipulantium intellectum eius linguæ habeat. Nec necesse est eadem lingua vtrumque vti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua

Interrogatione & responsione) Oretenus facta: Non per scripturam. Hoc enim pactum esset; *l.* 1. §. 2. *l.* 7. §. 12. *ff. de pact.* nam inter absentes non est stipulatio *L.* 1. *pr. &* §. 1. *ff. h. t.*

Condictio certi) Cum addito; *ex stipulatu. arg. l.* 9. *ff. de reb. cred.*

Certa sit) H. e. si constet quid quale quantumque sit, quod debetur. *L. Certum* 6. *ff. eod.*

Si incerta:) Si factum sit in obligatione, vel interesse petatur.

Ad §. 1. *Intellectum:*) Sufficit modo per interpretes intelligant *l.* 1. *in fin. ff. h. t.*

gua obligationem contrahere possunt. Sed hæc solennia verba olim quidem in vsu fuerunt, postea autem Leonina Constitutio lata est, quæ solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab vtraque parte solum desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum.

Quibus modis stipulatio fit.

2. Omnis stipulatio aut *pure*, aut *in diem* aut *sub conditione* fit. Pure veluti, *quinque aureos dare spondes?* Idque confestim peti potest. In diem, cum adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit: veluti, *Decem aureos primis Calendis Martiis dare spondes?* id

---

Ad §. 1. *Leonina constitutio*) Quæ extat in *l.* 10. *C. de Contr. stip.*

Solennitate verborum) Non ergo ipsa interrogandi & respondendi necessitas sublata; Quo ita stipulatio non amplius pro speciali contractu venditari potuisset; & in sequentibus etiam consonantem verborum intellectum requirit Imp. Sed solennitas verborum, dum iisdem verbis facienda erat responsio, quibus interrogatum, tantum sublata.

Ad §. 2. *In diem*) Obligatio *in diem* alias dicitur quæ non perpetua est, sed vsque ad certum diem. Hic vero intelligit Imp. obligationem *ex die*, quæ demum exacto die cum effectu incipit. Vti patet ex subiecto exemplo. Vid. L. 44. §. 1. *ff. de O. & A.*

Primis calendis Martii) Qui promisit se die sæpius recurrente soluturum v. g. *Calendis Martii*, non

id autem, quod *in diem* ſtipulamur, ſtatim quidem debetur, ſed peti prius, quam dies venerit, non poteſt, ac ne eo quidem ipſo die, in quem ſtipulatio facta eſt, peti poteſt; quia totus is dies arbitrio ſoluentis tribui debet. Neque enim certum eſt eo die, in quem promiſſum eſt, datum non eſſe, prius, quam is præterierit.

De promiſſione ad dies vitæ.

3. At ſi ita ſtipuleris, *Decem aureos annuos quoad viuam, dare ſpondes?* & pure facta obligatio intelligitur, & perpetuatur; quia ad tempus non poteſt deberi: ſed heres petendo, pacti exceptione ſubmouebitur.

De conditione.

4. *Sub conditione* ſtipulatio fit, cum in aliquem caſum differtur obligatio: vt, ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur ſtipulatio: veluti, *Si Titius Conſul fue-*

---

non addito *primis*, nihilominus primo die adueniente ſoluere tenetur. L. *Eum qui calendis* 41. *ff. h. t.*

Statim quidem debetur) H. e. ſtatim poſt promiſſionem *ceſſit* dies. vid. L. 213. *ff. de V. S.*

Ad §. 3. *Pacti exceptione*) Nam id tacite pacti cenſentur contrahentes, ne heres petat *l.* 56. §. 4. *ff. h. t.* Obſtat etiam heredi exceptio doli. L. 44. §. 1. *ff. de O. & A.* Ergo in effectu primi anni pura eſt obligatio, ſequentium conditionalis, ſi vixero.

Ad §. 4. *Committatur ſtipulatio*) Stipulatio tunc committi dicitur, cum ex ea agi poteſt.

Cum

fuerit factus, quinque aureos dare spondes? Si quis ita stipuletur: *Si in Capitolium non ascendero, dare spondes?* perinde erit, ac si stipulatus esset, cum moreretur, sibi dari. *Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri, eamque ipsam spem in heredem transmittimus,* si prius quam conditio extet, mors nobis contigerit.

De loco.

5. *Loca* etiam inseri stipulationi solent, veluti, *Carthagini dare spondes?* Quæ stipulatio licet pure fieri videatur, tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor vtatur ad pecuniam Carthagini dandam. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur, *Hodie Carthagini dare spondes?* inutilis erit stipulatio, cum impossibilis sit repromissio.

De conditione in præsens, vel præteritum.

6. *Conditiones*, quæ ad præsens vel præ-

Cum moreretur) Nam moriendo velle & facere desinimus *l. 1. C. de SS, Eccles. l. 4. ff. locat.*

In heredem transmittimus) Aliud in vltimis voluntatibus, vbi sub conditione relicta non transeunt ad heredem legatarii, nisi conditio viuo legatario extiterit *l. 4. ff. quand. dies leg. l. vn. §. 7. C. de Caduc. toll.* Aliud etiam in conditione, quæ in facto stipulantis consistit, quæ non transmittitur, nisi defunctus fecerit, ita vt heres conditionem implere nequeat. L. 69. *ff. de Condit. & demonstr.*

Præ-

præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt; veluti, *Si Titius Consul fuit:* vel *Si Mævius viuit, dare spondes?* Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

Quæ in stipulatum deducuntur.

7. Non solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: vt sit stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. Et huiusmodi stipulationibus optimum erit pœnam subiicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quod eius intersit. Itaque si quis, vt fiat aliquid, stipuletur, ita adiici pœna debet: *Si ita factum non erit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?* Sed si quædam fieri, quædam non

Ad §. 6. *Præteritum tempus*) Huc *sponsiones* pertinent, das Wetten, quæ toties licitæ, quoties de re honesta, & ab vtroque parte dubia, ineuntur L. 3. *ff. de Aleat.* Carpz. *P.* 2. *C.* 19. *d.* 18.

Obligationem) Bene tamen *executionem*, tam diu, donec certi fiamus, quid factum sit.

Ad §. 7. *Quod eius intersit*) Nam obligatus ad factum, liberatur præstando interesse *l.* 72. 81. *&* 112. *§.* 1. *ff. h. t.* Aliud est, si factum præstationem rei coniunctam habeat, vt soluere, reddere. *L.* 218. *& l.* 175. *de V. S.* ad hoc enim manu militari compelli potest, non ad illud.

Pœnæ

non fieri, vna eademque conceptione stipuletur quis; clausula huiusmodi erit adiicienda; *Si aduersus ea factum erit, siue quid ita factum non fuerit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?*

TITVLVS XVII.

D. XLV. 2. C. VIII. 40.

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI, ET PROMITTENDI.

Quibus modis duo rei fieri possunt.

ET stipulandi & promittendi duo pluresue rei fieri possunt. Stipulandi ita, si post omnium interrogationem promissor respondeat, *Spondeo:* vt puta, cum duobus separatim stipulantibus, ita promissor respon-

Pœnæ) De cuius quantitate vid. *l.* 15. *C. de Vsur.*

TITVLVS XVII.

Ad Rubr. *Stipulandi*) Non tantum hic, sed & in aliis contractibus, correalis obligatio locum inuenit *l.* 9. *ff. h. t.* & hinc dantur duo rei emendi, conducendi.

Ad pr. *Pluresue rei*) Rei hic sunt consortes eiusdem obligationis, siue rei; nam & obligatio res est; quibus ergo vna res in solidum debetur, vel qui eandem rem alteri in solidum debent, correi sunt; illi *credendi* seu stipulandi, hi *promittendi.*

Separatim) Nam si simul stipulentur, quisque promissorem pro parte haberet obligatum. Copulatiua enim in contractibus, obligationem pro numero

ſpondeat: *Vtrique ſveſtrum dare ſpondeo.* Nam ſi prius Titio ſpoponderit, deinde alio interrogante reſpondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei ſtipulandi eſſe. Duo pluresue rei promittendi ita fiunt: *Maui, decem aureos dare ſpondes? &, Sei, eosdem decem aureos dare ſpondes?* ſi reſpondeant ſinguli ſeparatim, *Spondeo.*

De effectu huius modi ſtipulationum.

1. Ex huiusmodi obligationibus & ſtipulationibus ſolidum ſingulis debetur, & promittentes ſinguli in ſolidun tenentur. In

---

numero contrahentium diuidit. *L.* 2. §. 4. *ff. de eo quod cert. loc. l.* 110. *ff. de V. O.*

Vtrique veſtri) Nam ſi cuiuis ſeparatim promitteret, diuerſæ eſſent obligationes.

Singuli ſeparatim) Sufficit tamen, ſi ſimul dicant: ſpondemus. Hodie, cum ſtipulationis vſus rarior ſit, ſufficit ſi ſe obligent, ſamt und ſonders, mit ungetheilter Hand, beyde vor einen, und einer vor beyde, quibus tamen verbis nullatenus inducitur renuntiatio beneficii diuiſionis. L. 3. *C. de Fideiuſſ.* Carpz. *P.* 2. *C.* 17. *d.* 9.

Ad §. 1. *Solidum*) Ex obligatione correali hic effectus ſua ſponte fluit, licet hoc non expreſſerint. Vnusquisque ergo ius petendi ſolidum habet, imo & debitor eligere poteſt cui ſoluere velit, ſcil. antequam conueniatur L. 16. *ff. h. t.*

Tenentur) Iure nouo tamen per *Nou.* 99. ipſis beneficium diuiſionis tribuitur. Licet enim ibi Imperator de mutuis fideiuſſoribus ab initio loquatur, poſtea tamen ſimpliciter illos appellat reos, *Carpz. p.* 2. *c.* 17. *d.* 13. Sed quid iuuat illos in ſolidum obligatos dicere cum diuiſione ob-

iecta

In vtraque tamen obligatione *vna res* vertitur, & vel alter debitum accipiendo, vel alter ſoluendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.

De diſpari obligatione.

2. Ex duobus reis promittendi, alius pure, alius in diem, vel ſub conditione, obligari poteſt: nec impedimento erit dies aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus eſt, petatur.

TITV-

iecta, ſolutione partis liberentur? Reſp. ceſſat hæc exceptio, ſi alter correus abſens, vel non ſolvendo; quod ſi vero ab initio ad partem obligaretur, amplius non præſtat, licet reliqui non ſoluendo ſint.

Vna res) H. e. res in obligationem deducta ſemel tantum, non bis debetur. *vid. l.* 57. *ff. R. I.*

Premit obligationem) Aliud ſi vnus capitis diminutione eximatur ab obligatione *l. fin. ff. h. t.* Multum enim intereſt, an perſona eximatur, an res ipſa ſoluatur.

Liberat) Nec regreſſum habet contra correum ad reſtituendam partem, niſi, antequam ſoluerit, a creditore ſibi actiones cedi curauerit, vel ſocii fuerint *l.* 2. *C. h. t.* In praxi tamen vtilem negotiorum geſtorum actionem concedunt, tam correis, quam fideiuſſoribus. Meu. *P.* 6. *d.* 387. *n.* 5. Hering. *de Fideiuſſ. c.* 25. *n.* 137. *ſeq.* Alphonſ. de Olea *de Ceſſ. Iur. & Act. T.* 5. *qu.* 4. *n.* 38. Brunn. *de Ceſſ. Act. c.* 3. *n.* 19. & ibi Dn. Parens.

Ad §. 2. *Alius pure*) Diuerſa qualitas correalis obligationis illam non vitiat, modo eadem res vel quantitas ſit in obligatione. *l.* 15. *ff. h. t.*

Quo minus:) Sed quomodo pure promittens contra

TITVLVS XVIII.
D. XLV. 3.
DE STIPVLATIONE SERVORVM.

An seruus stipulari possit.

SEruus ex persona domini ius stipulandi habet. Sed & hereditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet. Ideoque quod seruus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, adquirit hereditati, ac per hoc etiam heredi postea facto adquiritur.

Cui adquirat seruus.

1. Siue autem domino, siue sibi, siue con-

---

contra correum conditionalem vtetur benefic. diuisionis? Resp. Suspenditur exceptionis effectus, donec certum, conditionem extituram vel non, vnde si alia exceptio non superfit, solidum soluet, repetita parte a socio, si conditio extiterit.

TITVLVS XIIX.

Ad pr. *Ex persona*) Ipse enim seruus personam non habet, sed pro mortuo reputatur *l.* 32. *ff. de R. I.*

Personæ defuncti) Quamdiu scilic. iacet; postquam vero adita, retro heredis personam sustinuisse censetur, cum aditio retrotrahatur ad tempus mortis.

Adquirit hereditati) Nisi hoc, quod in stipulationem deductum, veram personam requirat, vt in vsufructu, L. 26. *ff. h. t.*

Ad §. 1. *Siue sibi*) Hæc stipulatio cum in persona serui reuera inutilis sit, verba ita explicanda, vt actus sustineri possit.

conseruo suo, siue impersonaliter seruus stipuletur, domino adquirit. Idem iuris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis adqnirere possunt.

De stipulatione facti.

2. Sed cum factum in stipulatione continebitur, omni modo persona stipulantis continetur, veluti si seruus stipuletur, vt sibi ire, agere, liceat. Ipse enim tantum prohiberi non debet, non etiam dominus eius.

De seruo communi.

3. Seruus communis stipulando vnicuique dominorum pro portione domini adquirit nisi iussu vnius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus est, tunc enim soli ei adquiritur. Quod seruus communis stipula-

Impersonaliter) Impersonalis stipulatio sustinetur & personæ stipulantis applicatur. Aliud in constituto impersonali *Auth. si quand. C. de constit. pecun.*

Adquirere possunt) H. e. quatenus res ad peculium profectitium pertinet: vel si ad peculium aduentitium res spectet, promouetur simul vsusfructus paternus.

Ad §. 2. *Factum*) Adquisitio iuris, cuius exercitium in actu corporali subsistit, sustinetur in persona serui: quod si impediatur, ius agendi non serui sed domini est.

Ad §. 3. *Pro portione*) Hoc ita, si generali nomine dominus stipuletur, secus si sub nominibus propriis, quorum expressio æqualitatem iuris inducit. *l. 37. ff. h. t*

TITV-

pulatur, si alteri ex dominis adquiri non potest, solidum alteri adquiritur; veluti si res, quam dari stipulatus est, vnius domini sit.

TITVLVS XIX.
DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.

Diuisio.

STipulationum aliæ sint iudicales, aliæ prætoriæ, aliæ conuentionales, aliæ communes, tam prætoriæ, quam iudiciales.

De stipulationibus iudicialibus.

1. *Iudiciales* sunt duntaxat, quæ a mero iudicis officio proficiscuntur, veluti de dolo cautio, vel persequendo seruo, qui in fuga est, restituendoue pretio.

De Prætoriis.

2. *Prætoriæ* sunt, quæ a mero prætoris officio

TITVLVS XIX.

Ad pr. *Aliæ sunt*) Diuisio hæc stipulationum a causa mouente dependet; stipulamur enim vel vltro, vel iussu iudicis, vel iussu prætoris, vel iussu vtriusque.

Ad §. 1. *A mero iudicis*) Sed tales in §. 2. etiam dicuntur, quæ a mero prætoris officio proficiscuntur. Bachou. h. t. hæc ita distinguit, vt prætoriæ sint, quæ exiguntur officio iudicis nobili, iudiciales, quæ mercenario.

De dolo cautio) Huc spectat clausula, dolum malum abfuturum, alles sonder arge List und Gefährde.

Ad §. 2. *Prætoris officio*) Hodie cum prætores ipsi iudicent, distinctio hæc non attenditur.

officio proficiſcuntur, veluti damni infecti, vel legatorum. Prætorias autem ſtipulationes ſic exaudiri oportet, vt in iis etiam contineantur ædilitiæ: nam & hæ a iurisdictione prætoris veniunt.

De conuentionalibus.

3. Conuentionales ſunt, quæ ex conuentione vtriusque partis concipiuntur, hoc eſt, neque iuſſu iudicis neque iuſſu prætoris, ſed ex conuentione contrahentium, quarum totidem genera ſunt, quot (pene dixerim) rerum contrahendarum.

De communibus.

4. Communes ſunt, veluti rem ſaluam fore pupillo (nam & prætor iubet rem ſalvam fore pupillo, caueri, & interdum iudex, ſi aliter hæc res expediri non poteſt) vel de rato ſtipulatio.

TITV-

Damni infecti) Hæc cautio exigitur ob imminentem ruinam, ex vicinis ædibus *l. 2. ff. de damn. infect.*

Ædilitiæ) Ædilitia edicta iuris honorarii portio ſunt §. 7. *I. de I. N. G. & C.* & ex his cautiones exiguntur de rebus in foro venalibus.

Ad §. 3. *Rerum contrahendarum*) Omnibus enim contractibus adiici poſſunt ſtipulationes, imo vbi contractus alii deficiunt, ſtipulationes ſubſiſtunt, modo negotium honeſtum ſit.

Ad §. 4. *Fore pupillo*) Hanc cautionem hodie exigit qui tutorem dat *vid. Ref. Pol. de anno* 1577. *tit.* 32.

De rato) Cautio rati præſtanda a procuratore ſuf-

Titvlvs XX.

C. IIX. 39.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS.

De his quæ sunt in commercio.

Omnis res, quæ dominio nostro subiicitur, in stipulationem deduci potest, siue illa mobilis sit, siue soli.

De his, quæ non sunt.

1. At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dare stipulatus fu-

sufficienti mandato non instructo, vel a persona coniuncta, sine mandato agente *l. Maritus* 21. *C. de procur.*

TITVLVS XX.

Ad rubr. *Inutilibus*) Quæ stipulationes inutiles reddunt, vitiant etiam alios contractus, nisi vitium latitet in interrogatione vel responsione.

Ad pr. *Subiicitur*) H. e. quæ in commercio est. Vnde quicquid alienari nequit, nec in stipulationem deduci potest.

Siue soli) Et sic quoque iura solo cohærentia e. g. iurisdictio, pastura, venatio, quatenus hæc sine solo exerceri possunt.

Ad §. 1. *Aut esse*) Particula *aut* non semper disiungit, sed aliquando coniungit *l.* 28. §. 1. *ff. de V. S.* Coniunctim ergo & hic capi debet, quæ enim non sunt, esse tamen possunt, recte promittuntur, vt fructus futuri, partus ancillæ *l.* 73. *pr.* & *l.* 75. §. 4. *de V. O.*

fuerit, veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.

De his, quæ non sunt in commercio.

2. Idem iuris est, si rem sacram, aut religiosam, quam humani iuris esse credebat; vel (rem) publicam, quæ vsibus populi perpetuo exposita sit, vt forum, vel theatrum vel liberum hominem, quem seruum esse credebat; vel cuius (rei) commercium non habuerit; vel rem suam dari quis stipuletur. Nec in pendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in priuatam deduci, & ex libero seruus fieri potest, & commercium adipisci stipulator

---

Mortuus sit) Quid si vero ad anatomiam petatur? Moribus subsisteret stipulatio, nisi ius concedendi ad anatomiam ex Principis concessione dependeret.

Hippocentaurum) Centauri erant Nubis & Ixionis filii (Ixion nubem a Ioue substitutam pro Iunone compresserat) qui adulti cum equabus coniuncti genuerunt hippocentauros. *Nat. Com. Mythol. l. 7. c. 4.*

Ad §. 2. *Vsibus populi*) Huc referri possunt bona domanialia, quæ in patrimonio populi esse dicuntur, & hinc extra commercium, vel si alienata reuocari possunt *cap. Intellecto 33. X. de iureiur.*

Rem suam) Si modo perfecte mea sit, nam quatenus alteri in ea ius competit, recte in stipulatum deducitur, scil. vt ab onere liberetur.

In pendenti) Vbi initium rei vitiosum, non pendet, sed plane nullus est actus.

Ali-

lator poteſt, & res ſua ſtipulatoris eſſe deſinere poteſt, ſed protinus inutilis eſt. Item contra licet initio vtiliter res in ſtipulatum deducta ſit, ſi tamen poſtea in aliquam eorum cauſam, de quibus ſupra dictum eſt, ſine facto promiſſoris deuenerit, extinguitur ſtipulatio. At nec ſtatim ab initio talis ſtipulatio valebit, *Lucium Titium, cum ſeruus erit, dare ſpondes?* & ſimilia. Quæ enim natura ſui dominio noſtro exempta ſunt, in obligationem deduci nullo modo poſſunt.

De facto, vel datione alterius.

3. Si quis alium daturum, facturumue quid promiſerit, non obligabitur: veluti, ſi ſpondeat, Titium quinque aureos daturum. Quod ſi effecturum ſe, vt Titius daret, ſpoponderit, obligatur.

De

Aliquam eorum) Quoties res in illum ſtatum deuenit, vnde incipere non poteſt, extinguitur. *h.* §.

Facto promiſſoris) Imo nec impoſſibilitas promiſſorem liberat, ſi facto eius contingat. *L.* 3. §. 3.5. *& f. ff. de Condict. cauſ. dat.*

Nullo modo) H. e. ne quidem ſub conditione, ſi res ſacra profana, vel liber homo ſeruus factus.

Ad §. 3. *Alium daturum*) Alterum obligandi nemo poteſtatem habet, vnde fruſtra alienum factum promittitur *l.* 83. *pr. ff. de V. O.* nec promiſſio promittentem ſtringit, cum ſe obligare noluerit.

Effecturum ſe) Sic concurrit promiſſio facti proprii *l.* 38 *pr. &* §. 1. *ff. de V. O.* Sed an liberatur omnem induſtriam impendendo? Hoc vult Meu.

De eo, in quem confertur solutio.

4. Si quis alii quam ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit. Plane solutio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti, si quis ita stipuletur, ***mihi, aut Seio, dare spondes?*** vt obligatio quidem stipulatori adquiratur, solui tamen Seio, etiam inuito eo, recte possit, vt liberatio ipso iure contingat, sed ille aduersus Seium habeat man-

---

*P.6.Dec.*406. sed germanice hæc multum differunt Ich will ihm die Zahlung schaffen, vel, ich will machen, daß er zahlen soll, ibi ad solutionem, hic ad diligentiam obligatur.

Ad §. 3. *Si quis alii*) Alteri stipulari non possum, cum obligatio ex contractu non nisi contrahentes afficiat *l.* 3. *C. de inut. stipul.* vid. infra §. 18. *h. t.*

Iuri subiectis) Ex iure potestatis nascitur vnitas personarum, ergo idem est, an pater sibi, an filio stipuletur.

Conferri potest) Vocatur hic *adiectus*, non obligationi, sed solutioni, vid. Strauch. *tr. de Adiecto.*

Stipulatori adquiratur) H. e. si promissor adiecto soluere nolit, non hic agere potest, sed stipulator; *l.* 10. *ff. de Solut.* nisi tamen adiecto simul cessa sit actio.

Inuito eo) Non obst. quod mandatum de soluendo reuocari possit. Resp. hic promissori ius ex stipulatu quæsitum, quod ipsi inuito adimi nequit. Secus in mandato, vbi mandatarii non interest.

Man-

mandati actionem. Quod si quis sibi & alii, cuius iuri subiectus non sit, dari decem aureos stipulatus est, valet quidem stipulatio: sed vtrum totum debeatur stipulatori, quod in stipulationem deductum est, an vero pars dimidia, dubitatum est. Sed placuit, non plus, quam dimidiam partem ei adquiri. Ei vero, qui iuri tuo subiectus est, si stipulatus sis, tibi adquiris, quia vox tua tanquam filii sit, sicut & filii vox tanquam tua intelligatur in iis rebus, quæ tibi adquiri possunt.

De interrogatione & responsione.

5. Præterea inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti, si quis decem aureos à te dari sibi stipuletur, tu quinque promittas, vel contra; aut si ille pure stipuletur, tu sub con-

---

Mandati actionem) Est enim adiectus instar Procuratoris, cui mandatum ad recipiendam pecuniam datum.

Sibi & alii) Copulatiua hic diuidit obligationem in tot partes, quot sunt personæ *l.* 110. *ff. de V. O.*

Tanquam filii) Scil. in potestate constituti. Emancipato enim nec hodie stipulari potest pater.

Ad §. 5. *Non respondeat*) Idem in iure est non fieri, quam minus legitime fieri.

Quinque promittas) Eatenus sustinetur stipulatio quatenus in minori summa vterque conuenit *l.* 1. §. 4. *ff. de V. O.* Aliud si pro re pecuniam certam stipuler *l.* 52. *ff. de locat.*

conditione promittas, vel contra; si modo scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione vel in diem stipulanti, tu respondeas: *præsenti die spondeo.* Nam si hoc solum respondeas: *promitto*, breuiter videris in eandem diem, vel conditionem spopondisse: Neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.

De his qui sunt in potestate.

6. Item inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo iuri subiectus est, vel si is a te stipuletur. Sed seruus quidem non solum domino suo obligari non potest, sed ne quidem vlli alii. Filii vero familiarum aliis obligari possunt.

De

Breuiter videris) Responsio enim ex præcedenti interrogatione interpretanda.

Vel conditionem) Quid si promissor aliam rem vel conditionem substituat? Resp. nihil agit, h. §. nisi diuersitas responsionis illico stipulatori placeat *l.* 1. § 3. *de V. O.*

Ad §. 6. *Tuo iuri*) Sicut enim nemo sibi obligari potest *l.* 11. *ff. de leg.* 1. ita nec filiusfam. patri ob vnitatem personæ § 4. *h.*

Aliis obligari) Excepto mutuo, cui resistit SCt. Macedon. In reliquis contractibus obligatur. *l.* 39. *ff. de O. & A.* & in iudicio conuenitur *l.* 57. *ff. de Iudic.* sed executio suspenditur, nec pater pro filio soluere tenetur *l. vn. C. ne fil. pro patr.*

Ad

De muto & surdo.

7. Mutum neque stipulari, neque promittere posse, palam est. Quod & in surdo receptum est, quia & is, qui stipulatur, verba promittentis, & is, qui promittit, verba stipulantis audire debet: vnde apparet, non de eo nos loqui, qui tardius exaudit; sed de eo, qui omnino non audit.

De furioso.

8. Furiosus nullum negotium gerere potest, quia non intelligit, quod agit.

De impubere.

9. Pupillus omne negotium recte gerit: ita tamen, vt, vbi tutoris auctoritas necessaria sit, adhibeatur tutor: veluti, si ipse obligetur. Nam alium sibi obligare etiam sine

Ad §. 7. *Neque stipulari*) Etiamsi scribere posset, quia hic literæ non sufficiunt, sed verba exiguntur *l.* 1. §. *pen. ff. de O. & A.* Hodie vi pacti tenetur.

Audire debet) Sufficit sonum verborum audire, licet sensum non capiat ipse, interpres enim hic admittitur *l.* §. *fin. de V. O.*

Ad §. 8. *Gerere potest*) Sed curator eius nomine gerere debet, non furiosus autore curatore *l.* 5. *ff. de R. I.*

Non intelligit) Nisi dilucida interualla habeat §. 1. *I. quib. non est perm. testam. fac.* quæ probanda sunt, nam sæpius latitat furor sub specie inumbratæ quietis *l.* 18. §. 1. *ff. de A. vel A. P.*

Ad §. 9. *Alium sibi*) Non se alii, quia conditionem suam tantum meliorem facere potest *pr. I. de Autor. tut.*

In-

siue tutoris auctoritate potest. Sed quod diximus de pupillis, vtique de iis verum est, qui iam habent aliquem intellectum. Nam infans, & qui infantiæ proximus est, non multum a furioso distant, quia huiusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiæ, propter vtilitatem eorum, benignior iuris interpretatio facta est, vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes, ne auctore quidem patre obligatur.

De conditione impossibili.

10. Si impossibilis conditio obligationi adiiciatur, nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur, cui natura impe-

---

Infantiæ proximus) Qui septennium non ita pridem egressus.

A furioso distant) Hinc nec sibi obligationem adquirere potest excepto vnico casu, si ipsi res mobilis donetur, cuius possessionem potest adquirere *l. 3. C. de adquir. possess.*

Pubertati proximi) Qui proxime accedunt ad annum decimum quartum, quamuis hæc proximitas magis ex prudentia quam annis æstimanda.

Ne autore quidem patre) Sed pater contrahit iure potestatis, quam in filium habet.

Ad §. 10. *Nihil valet*) Aliud in vltimis voluntatibus, de quo *dict. §. 10. I. de hered. inst.* conf. *L. 31. ff. de O. & A.*

Cui natura) Impossibilitas alia naturæ, alia legis; quæ enim legibus interdicta aut probrosa sunt

impedimento eſt, quo minus exiſtat: veluti, ſi quis ita dixerit: *Si digito cœlum attigero, dare ſpondes?* At ſi ita ſtipuletur: *Si digito cœlum non attigero, dare ſpondes?* pure facta obligatio intelligitur, ideoque ſtatim peti poteſt.

De abſentia.

11. Item verborum obligatio inter abſentes concepta, inutilis eſt. Sed cum hoc materiam litium contentioſis hominibus præſtabat, forte poſt tempus tales allegationes opponentibus, &, non præſentes fuiſſe, vel ſe vel aduerſarios ſuos, contendentibus: ideo noſtra conſtitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta eſt, quam ad Cæſarienſes Aduocatos ſcripſimus: per quam diſpoſuimus, tales ſcripturas, quæ præſto eſſe partes indicant, omnino eſſe credendas, niſi is, qui talibus vtitur improbis allegatio-

---

ſunt, illa moraliter cenſentur impoſſibilia *l.* 15. *de condit. inſtit.*

Non attigero) Quod enim per rerum naturam fieri nequit, hoc morari obligationem non poteſt.

Ad §. 11. *Inter abſentes*) Verbis enim ore prolatis perficitur ſtipulatio, non nuda conſenſus declaratione.

Noſtra conſtitutio) Extat illa in *L. Optimam* 14. *C. de contrah. ſtipul.*

Eſſe credendas) Eſt enim pro inſtrumento veritatis præſumptio, donec probetur contrarium.

Toto

tionibus, manifestissimis probationibus, vel per scripturam, vel per testes idoneos approbauerit, toto eo die, quo conficiebatur instrumentum, sese vel aduersarium suum in aliis locis fuisse.

De stipulatione post mortem.

12. Post mortem suam dari sibi, nemo stipulari poterat, non magis quam post eius mortem, a quo stipulabatur. Ac nec is, qui in alicuius potestate est, post mortem eius stipulari poterat, quia patris vel domini voce loqui videretur. Sed & si quis ita stipuletur: *pridie quam moriar*, vel *pridie quam morieris, dare spondes?* inutilis erat stipulatio. Sed cum (vt iam dictum est) ex consensu contrahentium stipulationes valeant, placuit nobis etiam in hunc iuris articulum necessariam inducere emendationem, vt, siue post mortem, siue pridie quam moriatur stipulator siue promissor, stipulatio concepta sit, stipulatio valeat.

De

Toto eo die) Est quidem negatiue probatio per rerum naturam impossibilis L. *Asseueratio*. 10. *C. de N. N. P.* si tamen loco & tempore circumscripta, probatur per remotionem loci & temporis.

Ad §. 12. *Ex consensu contrahentium*) Per interrogationem tamen & responsionem expresso.

Stipulatio valeat) Idem enim est ac si dicerem: *dabisne heredi meo?* quia enim heres in locum defuncti transit, nil vetat, quo minus heredi stipulari possim, licet mihi non stipuler, vt sic actio ab ipso

De stipulatione præpostera.

13. Item si quis ita stipulatus erat, *si navis (cras) ex Asia venerit, hodie dare spondes?* inutilis erat stipulatio, quia præpostere concepta est. Sed cum Leo inclytæ recordationis in dotibus eandem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, uon esse reiiciendam existimauerit, nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, vt non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis.

De stipulatione collata in tempus mortis.

14. Ita tamen stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, *cum moriar, dare spondes?* vel *cum morieris?* & apud veteres vtilis erat, & nunc valet.

De stipulatione post mortem alterius.

15. Item post mortem alterius recte stipulamur.

De

---

ipso herede incipiat *l. vn.C. vt act. ab hered. & contr. hered. inc.*

Ad §. 13. *Præpostere*) Præposteratio est, si solutio promittatur, antequam obligatio nascatur.

Valeat) Ita vt illud quod præposterum est pro non adiecto habeatur, & diei euentus expectetur *l. 25. C. de testam.*

Ad §. 14. *Apud veteres*) Quia momentum moriendi non morti sed vitæ tribuitur.

Nunc valet) Quia & post mortem stipulari licet *§. seq.*

Ad

De promissione scripta in instrumento.

16. Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit.

De pluribus rebus.

17. Quoties plures res vna stipulatione comprehenduntur, si quidem promissor simpliciter respondeat, *dare spondeo*, propter omnes tenetur. Si vero vnam ex his vel quasdam daturum se spoponderit; obligatio in iis, pro quibus spoponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus vna, vel quædam videntur esse perfectæ: singulas enim res stipulari, & ad singulas respondere debemus.

De pœna adiecta stipulationi.

18. Alteri stipulari (vt supra dictum est) nemo potest. Inuentæ enim sunt huiusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, vt vnusquisque adquirat sibi, quod sua interest: ceterum si alii detur, nihil interest stipu-

---

Ad §. 16. *Interrogationis præcedente*) Est hæc præsumtio solennitas pro instrumento, omnia sc. in illo expressa solenniter peracta esse.

Ad §. 17. *Propter omnes*) Ratio data superius ad §. 5.

Singulas enim res) Ergo quot res copulatiue in stipulationem deducuntur, tot sunt stipulationes.

Ad §. 18. *Nihil interest*) Exinde colligunt practici: exceptio tua non interest, repellit omnem agentem.

Pæ-

ſtipulatoris. Plane ſi quis velit hoc facere, pœnam ſtipulari conueniet, vt niſi ita factum ſit, vt eſt comprehenſum, committatur pœnæ ſtipulatio, etiam ei, cuius nihil intereſt. Pœnam enim cum ſtipulatur quis, non illud inſpicitur, quod interſit eius, ſed quæ ſit quantitas in conditione ſtipulationis. Ergo ſi quis ita ſtipuletur, *Titio dari?* nihil agit: ſed ſi adiecerit pœnam, *niſi dederis, tot aureos dare ſpondes?* tunc committitur ſtipulatio.

Si interſit eius, qui alii ſtipulatur.

19. Sed & ſi quis ſtipuletur alii, cum eius intereſſet, placuit ſtipulationem valere. Nam ſi is, qui pupilli tutelam adminiſtrare cœperat, ceſſerit adminiſtrationem contutori ſuo, & ſtipuletur, rem pupilli ſaluam fore: quoniam intereſt ſtipulatoris fieri, quod ſtipulatus eſt, cum obligatus futurus ſit

Pœnam ſtipulari) Quantacunque etiam illa ſit, quia hic facto adiicitur; aliud ſi quantitati, vbi legitimum vſurarum modum non excedet *l. Cum allegas* 15. *C. de Vſur.*

Quod interſit eius) Imo quia probatio intereſſe eſt difficillima, pœna adiici ſolet, vt probatio intereſſe euitetur.

Committitur ſtipulatio) H. e. ex illa agi poteſt non vt Titio des, ſed vt mihi pœnam præſtes.

Ad §. 19. *Eius intereſſet*) Concurrens enim ſtipulatoris intereſſe facit, ne cauſa amplius ſit aliena.

Obligatus futurus) Non enim liberatur periculo tu-

ſit pupillo, ſi male res geſſerit: tenet obligatio. Ergo & ſi quis procuratori ſuo dari ſtipulatus ſit, habebit vires ſtipulatio. Et ſi creditori ſuo quis ſtipulatus ſit, quod ſua intereſt, ne forte vel pœna committatur, vel prædia diſtrahantur, quæ pignori data erant, valet ſtipulatio.

De pœna adiecta promiſſioni facti alieni.

20. Verſa vice, qui alium facturum promiſit, videtur in ea eſſe cauſa, vt non teneatur, niſi pœnam ipſe promiſerit.

De re ſtipulantis futura.

21. Item nemo rem ſuam futuram in eum caſum, quo ſua ſit, vtiliter ſtipulatur.

De diſſenſu.

22. Si de alia re ſtipulator ſenſerit, de alia promiſſor, perinde nulla contrahitur obligatio, ac ſi ad interrogatum reſponſum non eſſet: veluti, ſi hominem Stichum a te quis

---

lo tutelæ, qui tutori adminiſtrationem commiſerit, aut cum ipſo adminiſtrationem diuidit *l. 2. C. de diuid. tut.*

Ad §. 20. *Alium facturum*) Vid. ſupra §. 4. *h. t.*

Ad §. 21. *Quod ſua ſit*) Ab actibus fruſtraneis iura abhorrent.

Ad §. 22. *De alia re*) H. e. de alio corpore, quod ſi in hoc conſenſerint, ſed in materia errauerint, ſubſiſtit ſtipulatio, *l. 22. ff. de V. O.* alia ratio eſt emptionis, vbi ex quantitate pretii æſtimatur, ad quam qualitatem reſpexerit *l. 9. §. vlt. ff. de contrab. emt. & l. 14. ff. eod.*

Ad §. 23.

quis ſtipulatus fuerit, tu de Pamphilo ſenſeris, quem Stichum vocari credideris.

De turpi cauſa.

23. Quod turpi ex cauſa promiſſum eſt: veluti, ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat, non valet.

De morte contrahentium.

24. Cum quis ſub aliqua conditione ſtipulatus fuerit, licet ante conditionem deceſſerit, poſtea, exiſtente conditione, heres eius agere poteſt. Idem eſt & ex promiſſoris parte.

Quando agi poteſt ex ſtipulatione.

25. Qui hoc anno, aut hoc menſe dari ſtipulatus eſt, niſi omnibus partibus anni vel menſis præteritis, non recte petet. Si fundum dari ſtipuleris, vel hominem, non poteris continuo agere, niſi tantum ſpatium præterierit, quo traditio fieri poſſit.

TITV-

Ad §. 23. *Non valet) vid. ſupra* §. 10. *notata.* Nullum enim pactum, imo nec iuramentum, contra LL. ſuſtinetur *l. Non dubium* 5. *C. de LL.*

Ad §. 24. *Heres eius)* Conditionalis enim obligatio ad heredes tranſit. §. 4. *I. de V. O.*

Promiſſoris parte) Heres enim factum defuncti præſtare debet *L.* 14. *C. de R. V.*

Ad §. vlt. *Hoc anno)* Si tempus obligationi adiectum, non niſi finito tempore integro datur actio. *L.* 42. *ff. de V. O.* Aliud ſi annuum promittatur, quod initio cuiuſuis anni debetur *l.* 10. §. 1. *ff. quand. dies legat.*

Continuo agere) Actio quidem mox intentari poteſt, ſed præſtatio pro arbitrio iudicis differenda.

Titvlvs XXI.

D. XLVI. 1. C. IIX. 41.

DE FIDEIVSSORIBVS.

Cur accipiuntur.

PRo eo, qui promittit, solent alii obligari, qui fideiussores appellantur: quos homines accipere solent, dum curant, vt diligentius sibi cautum sit.

In quibus obligationibus.

1. In omnibus autem obligationibus adsumi possunt, id est, siue re, siue verbis, siue litteris, siue consensu contractæ fuerint. At nec illud quidem interest, vtrum ciuilis, an naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor:

TITVLVS XXI.

Ad pr. *Fideiussores*) Ita dicti, quod fide sua iubeant esse creditum.

Quos homines) Vocantur aliis *Adpromissores*, quia alterius obligationi accedunt. Alii sunt *expromissores*, qui totam obligationem in se recipiunt. *Mandatores*, quorum mandato pecunia creditur; hic mox obligatur principaliter ex mandato. Struu. *ad ff. tit. de Fideiuss. th.* 35.

Cautum sit) Omnis cautio fit per stipulationem, & sic etiam fideiussio *l.* 12. *C. h. t.* hodie nudo pacto, & sic etiam per estipolam.

Ad §. 1. *Omnibus*) Quia vbi adest principalis obligatio, ibi etiam admittitur accessoria. Exceptio est in dote restituenda, pro qua fideiussor non datur *tit. C. ne fideiuss. dot. dent.* vid. Carpz. *P.* 2. *C.* 42. *d.* 17.

Natu-

for: adeo quidem, vt pro seruo quoque obligetur, siue extraneus sit, qui fideiussorem a seruo accipiat, siue ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

De herede.

2. Fideiussor non tantum ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum.

Si fideiussor praecedat obligationem.

3. Fideiussor & praecedere obligationem & sequi potest.

De pluribus fideiussoribus.

4. Si plures sint fideiussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditori, a quo velit, soli-

---

Naturalis sit) Quamuis enim haec ad actionem producendam non sufficiat, accedere tamen potest alius ad contrahendum habilis, vt in huius persona robur accipiat naturalis obligatio *l.* 16. §. 3. *h. t.* Imo vtut sciat, priorem obligationem plane non valere, illam tamen fide sua stabilire potest fideiussor, exemplum in furioso *l. Marcellus* 25. *ff. h. t.*

Ad §. 2. *Etiam heredem*) Generaliter contractus ad heredes transeunt, etiam si illorum nulla mentio facta *l. Veteris* 13. *C. de contrah. stipul.* Statutum singulare est Erfurti *Art.* 90. heredem fideiussoris liberans. Idem in Weichbild. *Art.* 117.

Ad §. 3. *Praecedere*) Ita tamen, vt effectum non habeat, antequam principalis obligatio, seu creditum, secutum.

Ad §. 4. *In solidum*) Licet hoc non exprimatur; imo etiamsi exprimeretur, non tamen ea propter cessat beneficium diuisionis *l.* 3. *C. h. t.*

ſolidum petere Sed ex epiſtola D. Adriani impellitur creditor a ſingulis, qui modo ſolvendo ſunt litis conteſtatæ tempore, partes petere. Ideoque ſi quis ex fideiuſſoribus eo tempore ſoluendo non ſit, hoc ceteros onerat. Sed ſi ab vno fideiuſſore creditor totum conſecutus fuerit, huius ſolius detrimentum erit, ſi is, pro quo fideiuſſit, ſoluendo non ſit, & ſibi imputare debet, cum potuerit iuvari ex epiſtola D. Adriani, & deſiderare, vt pro parte in ſe detur actio.

In

Epiſtola D. Hadriani) H. e. reſcripto, & alias dicitur *beneficium diuiſionis*, quo oppoſito fideiuſſor partem ſoluens liberatur.

Soluendo) Ergo ſi confideiuſſor non ſoluendo, vel abſens ſit, vel huic beneficio renunciauerit, ceſſat diuiſionis exceptio; ſicut & ſi ſe fideiuſſorem negauerit, ob pœnam mendacii. *L.* 10. §. 1. *ff. h. t.*

Litis conteſtatæ) Nam ſi poſtea bonis excidat, ſibi imputare debet creditor, quod eundem non ſimul conuenerit.

Imputare debet) Ergo non ipſo iure diuiſa eſt obligatio inter confideiuſſores, ſed ope exceptionis *l.* 26. *ff. h. t.* Vnde ſuſtinetur ſententia, ſi fideiuſſor, neglecta hac exceptione, in ſolidum ſit condemnatus.

Actio) Alterum benefic. fideiuſſoris eſt, *excuſſionis*, ſiue *ordinis*, vt prius excutiatur principalis *Nou.* 4. *c.* 1. modo hic ſoluendo & præſens nec huic beneficio renuntiatum. Tertium eſt beneficium *cedendarum actionum*, quo præcipue contra confideiuſſores ad repetendam partem opus habet. *Nou.* 4. *c.* 1.

Ad

In quam summam obligetur fideiussor.

5. Fideiussores ita obligari non possunt, vt plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse, quam in principali re. At ex diuerso vt minus debeant, obligari possunt. Itaque si reus decem aureos promiserit, fideiussor in quinque recte obligatur: contra vero obligari non potest. Item si ille pure promiserit, fideiussor sub conditione promittere potest: contra vero non potest. Non solum autem in quantitate sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus enim est statim aliquid dare, minus est, post tempus dare.

De actione fideiussoris aduersus reum.

6. Si quid autem fideiussor pro reo sol-verit

Ad §. 5. *Plus debeant*) Fideiussor in duriorem causam obligari non potest, sc. vt plus debeat, quam principalis debitor, in leuiorem tamen potest *l. Græce* 8. §. 7. *ff. h. t.* Validius vero obligari potest, e. g. sub hypotheca, sub iuramento; modo idem debitum sit.

Contra vero) Tenetur tamen quoad concurrentem summam, cum maiori quantitati minor insit *l.* 1. §. 4. *ff. de V. O.*

Plus est) Ob commodum interusurii.

verit, eius recuperandi causa habet cum eo mandati iudicium.

Si fideiussor græce accipiatur.

7. Græce etiam fideiussor ita accipitur, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω, λέγω. Sed & si dixerit θέλω, siue βούλομαι, sed & φημί, pro eo erit, ac si dixerit λέγω.

Si scriptum sit aliquem fideiussisse.

8. In stipulationibus fideiussorum sciendum est hoc generaliter accipi, vt quodcunque scriptum sit quasi actum, videatur etiam actum. Ideoque constat, si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solenniter acta.

Ad §. 6. *Mandati*) Si debitore sciente fideiusserit. L. *Qui patitur* 18. *ff. mandat.* Pro ignorante datur actio negotiorum gestorum *l.* 20. §. 1. *ff. d. t.* Pro inulto cessat regressus *l. fin. C. neg. gest.* nisi cessis actionibus vtatur.

Iudicium) Regressum tamen non habet fideiussor antequam soluerit, nisi diu steterit in obligatione aut iam condemnatus sit, aut debitor bonis labatur. *l. Lucius* 38. §. 1. *ff. mand. l.* 10. *C. eod. c. vlt. X. h. t.*

Ad §. 7. *Græce*) *Conf. L. Græce* 8. *pr. ff. t.*

Ad §. 9. *Quasi actum*) Probatur ex hoc §. præsumtio solennitatis & veritatis pro instrumento militantis. *vid.* §. 11. & 16. *I. de inut. stip.*

Titvlvs XXII.

C. IV. 30.

DE LITTERARVM OBLIGATIONIBVS.

Olim scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in vsu. Plane si quis debere se scripserit, quod sibi numeratum non est, de pecunia minime numerata, post multum temporis, exceptionem opponere non

---

TITVLVS XXII.

Ad rubr. Litteræ non sunt causa huius obligationis, sed confessio mutui litteris facta, cui accedere debet silentium biennale, & interim omissa querela de N. N. P. Et huc pertinent verba h. t. *dum queri non potest*, scil. ob lapsum biennii, *scriptura obligatur:* ob pœnam negligentiæ, & quia mutuum accepisse præsumitur.

Nominibus.) Nomen enim debitoris tabulis suis inscribebat creditor. Vnde adhuc hodie *nomen* pro debito, vel obligatione capitur. *L.* 4. *ff. de V. S. l. vlt. pr. C. de pact. conu.*

Multum temporis) Quinquennium hoc olim erat, hodie biennium, *l.* 4. *C. de non num. pec.* contra apocham tamen seu quietantiam 30 dies tantum patent. *d. l.* 14. §. 2. Ratio quare tam exiguo tempore excludatur hæc exceptio: illa est quia deuoluit onus probandi in actorem *d. l.* 14. §. 2. & *l.* 3. *C. eod.* cum alias quilibet reus suam exceptionem probare debeat. *L.* 1. *ff. de Except. l.* 19. *ff. de probat.* Cautelas ad excludendam hanc exceptionem etiam intra biennium, recensuit Dn. Parens *de Caut. contr. S. II. cap.* 7. §. 9. *seq.*

non poteſt: hoc enim ſæpiſſime conſtitutum eſt. Sic fit, vt & hodie, dum queri non poteſt, ſcriptura obligetur; & ex ea naſcatur condictio, ceſſante ſcilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus conſtitutionibus vsque ad quinquennium procedebat: ſed ne creditores diutius poſſint ſuis pecuniis forſitan defraudari, per conſtitutionem noſtram tempus coarctatum eſt, vt vltra biennii metas huiusmodi exceptio minime extendatur.

TITVLVS XXIII.
DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV.

Con-

Scriptura obligatur) Inde *contractus chirographarius* dicitur. Cuius parata executio valde antiqua eſt *Tob*. 5. *v*. 3. ſicut & hodie vbiuis poſt recognitionem executiue proceditur.

Ceſſante) Si enim ſtipulatio interceſſerit, & probari poſſit, fruſtra ex litteris ageretur.

Conſtitutionem) *d. l.* 14. *C. de N. N. P.*

Minime extendatur) Adeo vt nec iuramentum poſtea deferre liceat, *d. l.* 14. §. 3. Habet enim actor pro ſe fundatam intentionem. Sed quid ſi debitor ipſe negatiuam probare velit? Reſp. nec in foro noſtro audiendus foret ad remorandam executionem, quia exceptio ſine dubio illiquida eſt, & hinc ad reconuentionem remittenda.

TITV-

CONsensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis. Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, neque præsentia omnimodo opus est: at nec dari quicquam necesse est, vt substantiam capiat obligatio, sed sufficit, eos, qui negotia gerunt, consentire. Vnde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuntium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, cum alioquin in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.

TITV-

TITVLVS XXIII.

Consensu fiunt) H. e. perficiuntur solo consensu citra interuentum rei. Non vero a reliquis contractibus excluditur consensus, sed solus non sufficit.

Per nuntium) sed cur per hunc obligatio adquiritur, & non per procuratorem, nisi hic actionem cedat? L. 8. §. 5. & l. 45. ff. mand. Resp. Procurator gerit seu contrahit; nuntius non, sed tantum alterius contrahentis voluntatem exponit.

Ex bono & æquo) Omnis contractus consensualis est b. f. sed non vice versa.

TITV-

TITVLVS XXIV.

D. XVIII. I. C. VI. 38.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

De emtione pura, arrhis, & scriptura.

EMtio & venditio contrahitur, simul atque de pretio conuenerit, quamuis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit: nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emtionis & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emtionibus & venditionibus, quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet. Nam nihil a nobis in huiusmodi emtionibus & venditionibus innouatum est. In iis autem

---

TITVLVS XXIV.

Ad pr. *De pretio*) Supponit Imp. de re ipsa vendenda iam tum constare, nam de pretio plerumque tantum disceptatur.

¶ *Conuenerit*) Conuentio vel pura est vel conditionalis; hæc cum consensum suspendat, suspendit quoque emtionem *l.* 7. *ff. h. t.*

Numeratum) Numeratio ad perfectionem contractus non pertinet, sed ad eius executionem: alias emtori obstat exceptio implementi non secuti a sua parte. *L. Iulianus* 13. §. *offerri* 8. *ff. de act. emt.*

Arrhæ nomine) Arrha etiam venditionis perficiendæ argumentum esse potest, si, durantibus tractatibus de pretio, detur in eum finem, ne interim res alii vendatur, quorsum spectant verba finalia *h. pr.*

Scri-

tem, quæ ſcriptura conficiuntur, non aliter perfectam eſſe venditionem & emtionem conſtituimus, niſi & inſtrumenta emtionis fuerint conſcripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem ſcripta, a contrahentibus autem ſubſcripta. Et ſi per tabellionem fiunt, niſi & completiones acceperint, & fuerint partibus abſoluta. Donec enim aliquid deeſt ex his; & pœnitentiæ locus eſt, & poteſt emtor vel venditor ſine pœna recedere ab emtione & venditione. Ita tamen impune eis recedere concedimus, niſi iam arrharum nomine aliquid fuerit datum. Hoc enim ſubſequuto, ſiue in ſcriptis, ſiue ſine ſcriptis, venditio celebrata

---

Scriptura conficiuntur) Conſtare debet de hac voluntate in ſcriptis contrahendi, alias enim a regulis iuris communis, receſſiſſe contrahentes non præſumuntur, vid. *l. Contractus* 17. *C. de fid. inſtrum.* Nam inſtrumentum venditionis, tantum probationis gratia requiſitum eſſe præſumitur *l.* 4. *ff. de pign. l.* 5. *C. de transact.*

Completiones) Idem eſt, quod germanice dicimus, bis es gäntzlich vollenzogen.

Partibus abſoluta) Scil. per vtriusque ſubſcriptionem.

Ita tamen) Verba quæ hic ſequuntur, pertinent ad caſum proxime præcedentem, ſi emtio nondum penitus perfecta. Si perfecta, non locus eſt pœnitentiæ, etiam cum arrharum amiſſione *L.* 5. *C. de Reſc. vend.* Cum nec duplum pretii reſtituere volens, pœnitere poſſit. *l.* 6. *C. d. t.*

Sine

brata eſt, is, qui recuſat adimplere contractum, ſi quidem eſt emtor, perdit quod dedit, ſi vero venditor, duplum reſtituere compellitur, licet ſuper arrhis nihil expreſſum ſit. Pretium autem conſtitui oportet. Nam nulla emtio ſine pretio eſſe poteſt.

De pretio in arbitrium alienum collato.

1. Sed & certum eſſe pretium debet: alioqui, ſi inter aliquos ita conuenerit, vt quanti Titius rem æſtimauerit, tanti ſit emta; inter veteres ſatis abundeque hoc dubitabatur, conſtaretne venditio an non. Sed noſtra deciſio ita hoc conſtituit, vt quoties ſic compoſita ſit venditio, *quanti ille æſtimauerit*, ſub hac conditione ſtaret contractus: vt ſi quidem ille, qui nominatus eſt, pretium definierit, tunc omnimodo ſecun-

---

Sine pretio) Scil. rei venditæ proportionato, & ſic vno nummo emtio fieri non poteſt *l. 46. ff. loc.* Nam ſi quis ita venderet, donatio eſſet. Admittitur tamen inæqualitas pretii, modo abſit dolus, & læſio non ſit vltra dimidium *l. 2. C. de Reſc. vend.*

Ad §. 1. *Certum eſſe pretium*) Certitudo hæc adeſſe debet vel ex *conuentione*, vel ex *ſtatuto*, ſeu conſuetudine, prout res in foro venditur nach dem gemeinen Marck-Kauff L. *Pretia* 63. *ff. ad L. Falcid.*

Noſtra deciſio) Habetur illa in *l. vlt. C. h. t.*

Ille æſtimauerit) De tertio hæc intelligenda, nam in arbitrium emtoris conferri nequit pretium *l. 35. §. 1. ff. h. t. l. 13. C. h. t.*

Tunc omnimodo) Si tamen magna iniquitas adſit,

cundum eius æstimationem & pretium persoluatur, & res tradatur & venditio ad effectum perducatur: emtore quidem ex emto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod ius cum in venditionibus nobis placuerit: non est absurdum, & in locationibus & in conductionibus trahere.

In quibus pretium consistit.

2. Item pretium *in numerata pecunia* consistere debet. Nam in ceteris rebus an pretium esse posset, valde querebatur: veluti an homo, aut fundus, aut toga, alterius rei pretium esse posset. Et Sabinus & Cassius etiam in alia re putabant pretium posse consistere: vnde illud est, quod uulgo dicebatur, permutatione rerum emtionem & venditionem contrahi, eamque speciem em-

---

sit, non deneganda est reductio ad arbitrium boni viri *l. 76. §. fin. ff. pro soc.*

Pro nihilo) Deficit enim alterum substantiale venditionis, scil. pretium.

In locationibus) Quia locatio & emtio iisdem iuris regulis consistit *pr. I. de Locat.*

Ad §. 2. *Numerata pecunia*) Opponitur hæc pecuniæ per auersionem oblatæ, e. g. pro re vendita dabo tibi omnem pecuniam, quæ in hoc sacco est; sic enim nascitur contractus innominatus, do vt des.

Vetu-

emtionis & venditionis vetuſtiſſimam eſſe, argumentoque vtebantur Græco Poeta Homero, qui aliquam partem exercitus Achiuorum vinum ſibi comparaſſe ait permutatatis quibusdam rebus, his verbis:

Νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρήςασαν, οἶνον ἄγουσαι:
Ἔνθεν ἄρ οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ.
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

Hoc eſt:

Aduecta è Lemno tunc vina fuere carinis:
Inde capillati ſibi vina parâre Pelaſgi:
Ære micante alii, nitido pars altera ferro
Pars bubulis tergis, ipſis plerique iuuencis,
Pars quoque mancipiis.

Diuerſæ ſcholæ Auctores contra ſentiebant: aliudque eſſe exiſtimabant permutationem rerum, aliud emtionem & venditio-

---

Vetuſtiſſimam eſſe) Vid. *l.* 1. *ff. h. t.*
Hoc eſt) Verſio κατὰ πόδα ſic ſe habet:
Naues autem e Lemno appulerant vina vehentes,
Illinc vinum emebant, capitibus comati Achiui,
Alii quidem ære, alii vero ſplendido ferro;
Alii autem pellibus, alii vero ipſis bobus;
Alii etiam mancipiis:
Permutatione) Hoc intereſt in effectu, an permutatio ſit, an venditio: Ibi ex conſenſu non naſcitur obligatio, ſed locus eſt pœnitentiæ, donec

tionem: alioqui non posse rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur res venisse, & quæ pretii nomine data esse. Nam vtramque videri & venisse, & pretii nomine datam esse, rationem non pati. Sed Proculi sententia, dicentis, permutationem propriam esse speciem contractus, a venditione separatam, merito præualuit, cum & ipse aliis Homericis versibus adiuuabatur, & validioribus rationibus argumentabatur. Quod & anteriores diui Principes admiserunt, & in nostris digestis latius significatur.

De periculo, & commodo rei venditæ.

3. Cum autem emtio & venditio contracta sit (quod effici diximus, simul atque de pretio conuenerit, cum sine scriptura res agitur) periculum rei venditæ statim ad em-

---

nec res interuenerit. Emtio autem solo consensu perfecta. §. 3. *h. t.* & hinc nullus pœnitentiæ locus.

Permutatis rebus) Quid ergo, si partim res, partim pretium detur? A potiori facienda denominatio, *l.* 6. *C. de pact. int. emt. & vendit.* Si vtrumque æquale, videndum, quid ab initio actum? Si enim de pretio conuentum, non mutatur venditio, etiamsi postea pro pretio aliud consentienti venditori detur.

Validioribus rationibus) Ergo non quid quisque dicat, sed quibus rationibus hoc afferat, animaduertendum.

D. Principes) Diocletian. & Maxim. in *l. pen. C. de rer. permut.*

Ad §. 3. *Periculum*) Res quidem perit suo do-

mino,

emtorem pertinet, tametsi adhuc ea res emtori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit, vel aliqua parte corporis læsus fuerit; aut ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumtæ fuerint; aut fundus vi fluminis totus, vel aliqua ex parte ablatus sit, siue etiam inundatione aquæ, aut arboribus turbine deiectis, longe minor aut deterior esse cœperit: emtoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium soluere. Quicquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed & si post emtionem fundo aliquid per alluuionem accesserit, ad emtoris commodum pertinet. Nam & commodum eius esse debet, cuius periculum est.

mino, qualis venditor adhuc est ante traditionem *h. §. in fin.* Sed cum ille ex contractu rei venditæ debitor factus sit, eius interitu liberatur, cum iam impossibile sit, speciem peremtam tradere.

Consumtæ fuerint) Scil. post venditionem; nam si antea, ignorante emtore & venditore res tota, vel pro maiori parte peremta, nulla est venditio *l. 57. & seq. ff. h. t.*

Pretium soluere) Ergo & rei & pretii periculum est emtoris, cum quantitas non pereat & incendium ære alieno non liberet debitorem. *L. incendium 11. C. si cert. pet.*

Accesserit) Dum periculum emtoris est, omne quoque commodum & accessio rei venditæ ad ipsum pertinet *l. 7. ff. de peric. & comm. rei vend.*

Eius esse debet) Per regulam notissimam in *l. 10. ff. de R. I.*

est. Quod si fugerit homo, qui veniit, aut surreptus fuerit, ita vt neque dolus, neque culpa venditoris interuenerit, animaduertendum erit, an custodiam eius vsque ad traditionem venditor susceperit. Sane enim si susceperit, ad ipsius periculum is casus pertinet; si non susceperit, securus est. Idem & in ceteris animalibus, ceterisque rebus intelligimus. Vtique tamen vindicationem rei, & condictionem exhibere debebit emtori: quia sane qui nondum rem emtori tradidit, adhuc ipse dominus est. Idem etiam est de furti, & damni iniuriae actione.

De

Custodia) Regulariter ad culpam leuem tenetur venditor *l.* 23. *ff. de R. I.* Sed si custodiam insuper recipiat, ad exactissimam diligentiam ipsum teneri certum est; Casum vero fortuitum sui natura non infert custodia, nam qui ad exactissimam diligentiam tenetur, non tenetur ad casum: Ergo latius vocem *custodiae* hic capit Imp. vt & periculum comprehendat.

Susceperit) Poterit enim pacto quis ad hoc se obligare, ad quod de iure non tenetur.

Exhibere debebit) H. e. cedere debet has actiones.

Tradidit) Emtio enim neminem facit dominum, sed *titulum* tantum praebet, *modus* vero transferendi dominii in traditione consistit *l. Traditionibus* 20. *C. pact.*

Dominus est) Ex hoc apparet, si venditor sibi reseruet dominium, donec pretium solutum, ex pro-

De emtione conditionali.

4. Emtio tam ſub conditione, quam pure contrahi poteſt. Suc conditione: veluti, *ſi Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emtus aureis tot.*

De re, quæ non eſt in commercio.

5. Loca ſacra, vel religioſa, item publica (veluti forum, baſilicam) fruſtra quis ſciens emit. Quæ tamen ſi pro profanis vel priuatis deceptus a venditore quis emerit, habebit

---

propter ipſum non obligari ad periculum, quod tamen vult Carpz. *lib.* I. *reſp.* 108.

Ad §. 4. *Sub conditione*) Eſt hæc vel *ſuſpenſiua*, vbi venditio manet imperfecta, nec periculum eſt emtoris, etiamſi pendente conditione res tradita fuerit. *L.* 8. *pr. ff. de peric. & comm. rei vend.* Vel *reſolutiua*, vbi contractus eſt perfectus, ſed ſub conditione reſoluitur e. g. ſi pretium non numeratum, quod dicitur *pactum commiſſorium.* Vid. *l.* 4. *ff. de leg. Comm.* Vel niſi alius meliorem conditionem intra certum tempus obtulerit, quæ dicitur *addictio in diem* vid. *l.* 2. *ff. de in diem addict.*

Tibi placuerit) Pertinet huc pactum *diſplicentiæ*, vt ſi res emtori diſplicuerit, reddat, quod faciendum intra 60. dies *L.* 31. §. 22. *ff. de ædilit. edict.*

Ad §. 5. *Fruſtra*) Scil. extra caſum neceſſitatis, quo harum rerum venditio permiſſa. §. 8. *I. de R. D.*

Deceptus) Diuerſa ergo hæc ſunt; an valeat vt emtio, hoc effectu vt contra venditorem actionem exercito ad intereſſe habeam; an valeat hoc effe-

bit actionem ex emto, quod non habere ei liceat, vt consequatur, quod sua interest, eum deceptum non esse. Idem iuris est, si hominem liberum pro seruo emerit.

Titvlvs XXV.

D.XIX.I. C.IV. 68.

DE LOCATIONE ET CONDVCTIONE.

Collatio emtionis, & locationis.

Locatio & conductio proxima est emtioni & venditioni, iisdemque iuris regulis consistit. Nam vt emtio & venditio ita contrahitur, si de pretio conuenit; sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit: & competit locatori quidem locati actio, conductori vero conducti.

De

effectu, vt rem retinere liceat? Hinc si res sacra scienti vendatur, vtroque effectu nulla est venditio.

TITVLVS XXV.

Ad pr. *Proxima est*) Nam in locatione *vsus* rei, in emtione *res ipsa* venditur.

Merces) Cum non tantum *res*, sed & *opera* locari possit, talis intelligenda est opera, quæ mercede æstimabilis, seu *locari solita*. Vnde pro operis liberalibus non *merces*, sed *honorarium* seu remuneratio præstari solet, vid. *l. 6. pr. ff. mand.*

Locati actio) Ratione subiecti seu actoris differt ab actione conducti; vtraque tamen directo, & æque principaliter ex contractu nascitur. *Conducti*

De mercede collata in arbitrium alienum.

1. Et quæ supra diximus; si alieno arbitrio pretium promissum fuerit, eadem & de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces permissa fuerit. Qua de causa si fulloni polienda curandaue, aut sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos conuenerit, non proprie locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur.

In quibus rebus merces consistit.

2. Præterea, sicut vulgo quærebatur, an permutatis rebus emtio & venditio contraheretur; ita quæri solebat de locatione & conductione, si forte rem aliquam vtendam siue fruendam tibi aliquis dederit, & inuicem a te vtendam siue fruendam aliam rem acceperit. Et placuit non esse locationem & con-

---

ducti actio datur, ad præstandum liberum vsum, *Locati*, ad soluendam mercedem.

Ad §. 1. *Supra diximus*) *In* §. 1. *I. de emt. & vend.*

Nulla mercede) Nisi merces moribus certa, vel statuto determinata, vbi manet locatio.

Præscriptis verbis) Subest enim contractus innominatus, facio vt des.

Ad §. 2. *Quærebatur*) Vid. supr. §. 2. *de emt. & vendit.*

Pro-

& conductionem, sed proprium genus contractus. Veluti, si, cum vnum bouem quis haberet, & vicinus eius vnum, placuerit inter eos, vt per denos dies inuicem boves commodarent, vt opus facerent; & apud alterum alterius bos perierit, neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio; quia non fuit commodatum gratuitum: verum præscriptis verbis agendum est.

De Emphyteusi.

3. Adeo autem aliquam familiaritatem inter se videntur habere emtio & venditio, item locatio & conductio, vt in quibusdam causis quæri soleat, vtrum emtio & venditio contrahatur, an locatio & conductio. Vt ecce de prædiis, quæ perpetuo quibusdam

---

Proprium genus) Scil. contractus innominatus *facio* vt *facias.*

Neque locati) Quia certa merces deficit.

Neque commodati) Ratio in textu adiecta, ex quo apparet, non posse dari commodatum reciprocum.

Præscriptis verbis) Quia vti dictum, subest contractus innominatus *facio vt facias.*

Ad §. 3. *De prædiis*) Emphyteuticariis scilic. quæ primitus sterilia dabantur, hoc fine, vt ad culturam redigerentur. Postea etiam prædia iam culta ita dari cœperunt.

Perpetuum) Ergo emphyteusis sua natura perpetua est, sed pacto temporalis fieri potest *L. fin. ff. si ager vectig.*

dam fruenda traduntur, id eſt, vt quamdiu penſio ſiue reditus pro his domino præſtetur, neque ipſi conductori, neque heredi eius, cuiue conductor heresue eius id prædium vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit, alioue quocunque modo alienauerit, auferre liceat. Sed talis contractus, quia inter veteres dubitabatur, & a quibusdam locatio, a quibusdam venditio exiſtimabitur, lex Zenoniana lata eſt, quæ emphytheuſeos contractus propriam ſtatuit naturam, neque ad locationem, neque ad venditionem inclinantem, ſed ſuis pactionibus fulciendam; & ſi quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac ſi naturalis

---

Quamdiu penſio) In emphyteuſi ab eccleſia conſtituta intra biennium; in emphyteuſi ſeculari intra triennium, canon ſub pœna caducitatis, ſolui debet *l. 2. C. de iur. emphyteut.*

Siue reditus) Canon alias dicitur, qui non pro quantitate redituum, ſed in *recognitionem dominii* ſoluitur, & hinc ob ſterilitatem non remittitur, Carpz. *l.* I. *Reſp.* 91.

Alienauerit) Modo domino fundum alienandum prius obtulerit; huic enim ius Protimiſeos competit *l. fin. C. de iur. emphyteut.*

Emphyteuſeos contractus) Emphyteuſis conſtituitur per contractum, accedente traditione; ſed conſtituta, tribuit poſſeſſori ius in re ſeu *dominium vtile*, hinc ab emphyteuſi ad feudum, & vice verſa, duci ſolet argumentum.

Ad

ralis esset contractus. Sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum, tunc, si quidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum: sin autem particularis, ad emphyteuticarium huiusmodi damnum venire. Quo iure vtimur.

De forma alicui facienda ab artifice.

4. Item quæritur, si cum aurifice Titius conuenerit, vt is ex auro suo certi ponderis certæque formæ annulos ei faceret, & acciperet (verbi gratia) decem aureos, vtrum emtio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur? Cassius ait, materiæ quidem emtionem & venditionem contrahi, operæ autem locationem & conductionem. Sed placuit, tantum emtionem & venditionem contrahi. Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta, dubium non est, quin locatio & conductio sit.

Quid

Ad dominum) Quia hic dominus directus & vtilis concurrunt, ad illum periculum *proprietatis*, ad hunc damnum *vtilitatis* pertinet.

Damnum venire) Scil. hoc effectu, vt integrum canonem præstet, pariter quam si integra res adhuc extaret.

Ad §. 4. *Tantum emtionem*) Ratio, quia opera rei meæ accedens, pretium rei auxit, nec amplius separatim considerari potest. *l.* 20. *ff. h. t.*

Suum aurum) Scilicet hoc pacto, vt non aliud aurum substituat.

Quid præstare debeat conductor.

5. Conductor autem omnia secundum legem conductionis facere debet; & si quid in lege prætermissum fuerit, id ex bono & æquo præstare. Qui pro vsu aut vestimentorum, aut argenti, aut iumenti, mercedem aut dedit, aut promisit, ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. Quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito eam rem amiserit, de restituenda ea non tenebitur.

De

Ad §. 5. *Legem conductionis*) Cum pacta dent legem contractui *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* Ita quoque legem conductioni dant; vt hinc ante omnia ad instrumentum locationis, & pacta ibi comprehensa, sit respiciendum.

Prætermissum fuerit) Egregie hinc patet amplior potestas iudicis in contractibus b. f. quam in stricti iuris, in illis enim etiam quæ non conventa seu *prætermissa* sunt, ex bono & æquo præstari iubet *h.* §. in his vero limites conuentionis non excedi debent.

Diligentissimus) Superlatiuum pro positiuo hic capi omnes asserunt, ob *l.* 15. §. *per ff. h. t.* cum subsit vtriusque vtilitas; vnde in materia culparum semper materiæ substratæ ratio habenda. Longe tamen aliter custodiam hic capi, quam in §. 3. *I. de empt. & vendit.* collatio docet.

Casu fortuito) Sed quid de casu in fructibus contingente? Resp. si adhuc terræ cohæreant, pars fundi sunt. *l.* 44. *ff. de R. V.* ergo de periculo participat locator & ad remissionem pensionis tenetur. *L.* 15. §. 4. *ff. h. t. L.* 8. & 18. *C. eod.* in

qua

De morte conductoris.

6. Mortuo conductore intra tempora conductionis, heres eius eodem iura in conductione succedit.

TITVLVS XXVI.
D. XVII. 2. C. IV. 37.

DE SOCIETATE.

Diuisio a materia.

Societatem coire solemus aut totorum bonorum, quam Graeci specialiter κοινωνίαν appellant; aut *vnius alicuius negotiationis*, veluti

---

qua *l.* 18. de edaci locustarum pernicie agitur. Si vero in fructibus iam perceptis periculum contigerit, damnum est conductoris, tanquam domini. *L.* 12. *C. h. t.* Carpz. *p.* 2. *c.* 37. *d.* 20.

Ad §. 6. *Tempora conductionis*) Contractus enim sui natura ad heredem transeunt. *L.* 10. *C. h. t.* Nisi in locatione operae personae industria sit electa, vbi contractus personam non egreditur.

Succedit) Idem obtinet, si locator moriatur; nam & heres eius tenetur stare locationi; aliud si locator rem vendat, vbi emtori cedere debet conductor Kauff geht vor Miethe, per *l. Emtorem* 9. *C. h. t.* salua tamen actione conducti ad interesse.

TITVLVS XXVI.

Ad pr. *Totorum bonorum*) Haec generalis est, & vel *bonorum* est, quae *indefinita* dicitur, quo pertinent tantum titulo oneroso quaesita *l.* 7. *seq. ff. h. t.* vel specialiter *omnium bonorum*, quo & bona futura pertinent, quocunque titulo quaesita *l.* 3. §. 1. *l.* 52. §. 17. *ff. h. t.*

Vnius alicuius) Haec societas *particularis* est.

Ad

veluti mancipiorum vendendorum emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendique.

De partibus lucri & damni.

1. Et quidem si nihil de partibus lucri & damni nominatim conuenerit, æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectantur. Quod si expressæ fuerint partes, hæ servari debent. Nec enim vnquam dubium fuit, quin valeat conuentio, si duo inter se pacti sint, vt ad vnum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia.

De partibus inæqualibus.

2. De illa sane conuentione quæsitum est, si Titius & Seius inter se pacti sint, vt ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia; ad Seium duæ partes damni, lucri tertia; an rata debeat haberi conuentio? Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactionem esse existimauit, & ob id non esse ratam habendam. Seruius Sulpitius (cuius sententia præualuit) contra sensit: quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera

Ad §. 1. *Æqualis*) Est enim in societate aliquod ius fraternitatis & æqualitatis *l.* 63. *ff. h. t.*

Ad §. 2. *Contra naturam societatis*) Propterea, quod æqualis esse debeat distributio damni & lucri, ob rationem in *l.* 10. *ff. R. I.*

Contra sensit) *in* L. 30. *in fin. ff. h. t.*

Pretiosa est opera:) Ergo necessum est, vt societas operæ simul sit inita, non nuda societas rerum.

Lucrum

opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet. Et adeo contra Quinti Mutii sententiam obtinuit, vt illud quoque constiterit, posse conuenire, vt quis lucri partem ferat, de damno non teneatur. Quod & ipsum Seruius conuenienter sibi fieri existimauit. Quod tamen ita intelligi oportet, vt si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit; compensatione facta, solum quod superest, intelligatur lucro esse.

De partibus expressis in vna causa.

3. Illud expeditum est, si in vna causa pars fuerit expressa (veluti in solo lucro, vel in solo damno) in altera vero omissa; in

Lucrum) Non vero ipsa sors inter eos communis fit. Vti nec si pereat sors, alter propterea aliquid contribuere tenetur.

Opera alicuius) Honesta tamen hæc esse debet, quia rei illicitæ fœda communio *l.* 53. *ff. h. t.*

De damno non teneatur) Vicissim vero, vt damni partem ferat, de lucro nihil capiat, non valet societas, sed Leonina dicitur. L. 29. §. *fin. ff. h. t.* nisi animum donandi quis exprimat. *L.* 38. *ff. de contrah. empt.*

Quod superest) Nam lucrum non intelligitur, nisi deducto prius damno, *L.* 30. *ff. h. t.*

Ad

in eo quoque, quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſeruari.

De renuntiatione ſocietatis.

4. Manet autem ſocietas eo vsque, donec in eodem conſenſu perſeuerauerint. At cum aliquis (1) *renunciauerit* ſocietati, ſoluitur ſocietas. Sed plane ſi quis *callidè* in hoc renuntiauerit ſocietati, vt obueniens aliquod lucrum ſolus habeat, veluti ſi totorum bonorum ſocius, cum ab aliquo heres eſſet relictus, in hoc renunciauerit ſocietati, vt hereditatem ſolus lucrifaceret: cogitur hoc lucrum communicare; ſi quid vero aliud lucrifaciat, quod non captauerit, ad ipſum ſolum pertinet. Ei vero, cui renunciatum eſt,

---

Ad §. 3. *Quod prætermiſſum eſt*) Hic fundatur regula, quod omiſſum iudicetur ex expreſſo. Sc. ſi relationem habeat ad expreſſum, & vtriusque eadem ſit ratio.

Ad §. 4. *In eodem conſenſu*) Alias contractu perfecto reſilire non licet. arg. L. 5. *C. de O. & A.* Alius in ſocietate, ne quis inuitus in communione detineatur *l. vlt. C. commun. diuid.* Quia communio eſt mater diſcordiæ. *L.* 77. § 20. *ff. de leg.* 2. Cum naturalis hominum ad diſſentiendum ſit facilitas *l.* 17. *ff. de his qui arbit.* Alia exceptio eſt in mandato §. 11. *tit. ſequ.*

Renunciauerit) Quæ facultas renunciandi nec pacto excludi poteſt *l.* 14. & *l.* 10. *ff. h. t.*

Callide) Nemo enim ex dolo ſuo debet ſentire commodum, *l.* 65. §. 3. *ff. h. t.*

Soli

eſt, quicquid omnino poſt renunciatam ſocietatem adquiritur, ſoli conceditur.

De morte.

5. Soluitur adhuc ſocietas etiam (2) *morte* ſocii, quia qui ſocietatem contrahit, certam perſonam ſibi eligit: ſed & ſi conſenſu plurium ſocietas contracta ſit, morte vnius ſocii ſoluitur, etſi plures ſuperſint: niſi in coeunda ſocietate aliter conuenerit.

De fine negotii.

6. Item ſi alicuius rei contracta ſocietas ſit, & (3) *finis negotio impoſitus eſt*, finitur ſocietas.

De publicatione.

7. (4) *Publicatione* quoque diſtrahi ſocietatem, manifeſtum eſt: ſcilicet ſi vniuerſa bona

---

Soli conceditur:) Renuncians enim ſibi non tertio præiudicare poteſt. L. 155. *ff. de R. I.*

Ad §. 5. *Morte*) Hoc in ſocietate & mandato receptum, contra regulam in *l.* 13. *C. de Contr. ſtipul.* expreſſam. Ratio additur in textu, quia certa perſona eiusque ſingularis induſtria electa cenſetur *l.* 31. *ff. de Solut.* Hinc ſocietatis in æternum nullam coitionem eſſe dicitur in *l.* 70. *ff. h. t.* Actio tamen pro ſocio contra heredes datur. L. 63. §. 8. *ff. h. t.*

Aliter conuenerit) Quod ſc. morte vnius ſocii, quoad reliquos non debeat diſſolui ſocietas. Illa vero conuentio, vt ſocietas in heredes continuetur, non valet *l.* 35. & 52. §. 9. *ff. h. t.*

Ad §. 6. *Finis negotii*) Obtento enim fine ceſſant media. *L.* 65. §. 10. *ff. h. t.*

Ad

in eo quoque, quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſeruari.

De renuntiatione ſocietatis.

4. Manet autem ſocietas eo vsque, donec in eodem conſenſu perſeuerauerint. At cum aliquis (1) *renunciauerit* ſocietati, ſoluitur ſocietas. Sed plane ſi quis *callide* in hoc renuntiauerit ſocietati, vt obueniens aliquod lucrum ſolus habeat, veluti ſi totorum bonorum ſocius, cum ab aliquo heres eſſet relictus, in hoc renunciauerit ſocietati, vt hereditatem ſolus lucrifaceret: cogitur hoc lucrum communicare; ſi quid vero aliud lucrifaciat, quod non captauerit, ad ipſum ſolum pertinet. Ei vero, cui renunciatum eſt,

---

Ad §. 3. *Quod prætermiſſum eſt*) Hic fundatur regula, quod omiſſum iudicetur ex expreſſo. Sed ſi relationem habeat ad expreſſum, & vtriusque eadem ſit ratio.

Ad §. 4. *In eodem conſenſu*) Alias contractu perfecto reſilire non licet. arg. L. 5. *C. de O. & A.* Alias in ſocietate, ne quis inuitus in communione detineatur *l. vlt. C. commun. diuid.* Quia communio eſt mater diſcordiæ. *L.* 77. §. 20. *ff. de leg.* 2. Cum naturalis hominum ad diſſentiendum ſit facilitas *l.* 17. *ff. de his qui arbit.* Alia exceptio eſt in mandato §. 11. *tit. ſequ.*

Renunciauerit) Quæ facultas renunciandi nec pacto excludi poteſt *l.* 14. & *l.* 10. *ff. h. t.*

Callide) Nemo enim ex dolo ſuo debet ſentire commodum, *l.* 65. §. 3. *ff. h. t.*

Soli

eſt, quicquid omnino poſt renunciatam ſocietatem adquiritur, ſoli conceditur.

De morte.

5. Soluitur adhuc ſocietas etiam (2) *morte* ſocii, quia qui ſocietatem contrahit, certam perſonam ſibi eligit: ſed & ſi conſenſu plurium ſocietas contracta ſit, morte vnius ſocii ſoluitur, etſi plures ſuperſint: niſi in coeunda ſocietate aliter conuenerit.

De fine negotii.

6. Item ſi alicuius rei contracta ſocietas ſit, & (3) *finis negotio impoſitus eſt*, finitur ſocietas.

De publicatione.

7. (4) *Publicatione* quoque diſtrahi ſocietatem, manifeſtum eſt: ſcilicet ſi vniuerſa bona

Soli conceditur:) Renuncians enim ſibi non tertio præiudicare poteſt. L. 155. *ff. de R. I.*

Ad §. 5. *Morte*) Hoc in ſocietate & mandato receptum, contra regulam in *l.* 13. *C. de Contr. ſtipul.* expreſſam. Ratio additur in textu, quia certa perſona eiusque ſingularis induſtria electa cenſetur *l.* 31. *ff. de Solut.* Hinc ſocietatis in æternum nullam coitionem eſſe dicitur in *l.* 70. *ff. h. t.* Actio tamen pro ſocio contra heredes datur. L. 63. §. 8. *ff. h. t.*

Aliter conuenerit) Quod ſc. morte vnius ſocii, quoad reliquos non debeat diſſolui ſocietas. Illa vero conuentio, vt ſocietas in heredes continuetur, non valet *l.* 35. & 52. §. 9. *ff. h. t.*

Ad §. 6. *Finis negotii*) Obtento enim fine ceſſant media. *L.* 65. §. 10. *ff. h. t.*

bona socii publicentur. Nam cum in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur.

De cessione bonorum.

8. Item si quis ex sociis mole debiti prægrauatus, (5) *bonis suis cesserit*, & ideo, propter publica & priuata debita, substantia eius veneat, soluitur societas. Sed hoc casu, si adhuc consentiant in societatem, noua videtur incipere societas.

6. *De dolo & culpa.*

9. Socius socio vtrum eo nomine tantum teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus est; an etiam culpæ, id est desidiæ atque negligentiæ nomine, quæsitum est; præualuit tamen, etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim, talem diligentiam communibus rebus adhibere soci-

Ad §. 7. *Alius succedat*) Fiscus nimirum.

Pro mortuo habetur) Sc. ciuiliter.

Ad §. 8. *Noua videtur incipere*) Si sc. vel bona iterum adquisiuerit, vel operam in noua societate conferat alteri sortem suppeditanti.

Ad §. 9. *Pro socio actione*) Hæc datur ad præstandum id, quod ex natura contractus debetur. Ad diuidendas autem ipsas res communes, datur actio communi diuidundo *l.* 1. *ff. commun. diuid.*

Dolo) Et lata culpa, quæ sub dolo comprehenditur *l.* 32. *ff. depos.*

Culpæ) Sc. leuis. Quia vtriusque versatur vtilitas.

Qua-

socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit, de se queri, sibique hoc imputare debet.

TITVLVS XXVII.
D. XVII. I. C. IV. 35.
DE MANDATO.
Diuisio a fine.

MAndatum contrahitur quinque modis: siue sua tantum gratia aliquis tibi mandet, siue sua & tua, siue aliena tantum, siue sua & aliena, siue tua & aliena. At si tua tantum gratia tibi mandatum sit, superuacuum est

Qualem suis) Igitur præstanda culpa leuis *in concreto*, & æstimanda ex industria ipsius socii; non *in abstracto*, ex persona aliorum. Ratio sequitur in textu.

TITVLVS XXVII.

Ad pr. *Mandatum*) Hoc distinguitur in *iudiciale*, quod procuratorium dicitur, de quo infra *tit. de iis per quos ag. & extraiudiciale* de quo hic: Porro vel *generale* est s. ad omnia negotia *l.* 6. §. 6. *h. t.* quo & pertinet mandatum cum libera *c.* 4. *de Procur. in* 6. vel *speciale* ad certum negotium expediendum. Solo autem consensu constituitur mandatum, etiam tacito L. 18. *ff. h. t.*

Quinque modis) Quos eapropter obseruasse vtile est, quo inde constare possit, quæ culpa sit in quouis mandato præstanda. Quodsi enim v. g. mandantis & mandatarii gratia fiat mandatum, cum vtriusque commodum subsit, sufficiet etiam præstare culpam leuem.

eſt mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio naſcitur.

Si mandantis gratia mandetur.

1. Mandantis tantum gratia interuenit mandatum: veluti ſi quis tibi mandet, vt negotia eius gereres, vel vt fundum ei emeres, vel vt pro eo ſponderes.

Si mandantis, & mandatarii.

2. Tua gratia & mandantis: veluti, ſi mandet tibi, vt pecuniam ſub vſuris crederes ei, qui in rem ipſius mutuaretur; aut, ſi volente te agere cum eo ex fideiuſſoria cauſa, mandet tibi, vt cum reo agas periculo mandantis: vel, vt ipſius periculo ſtipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

Si aliena.

3. Aliena autem tantum cauſa interuenit man-

Ad §. 2. *Crederes ei*) Hic ſexta ſpecies mandati fingi poſſet, vbi mandantis, mandatarii & tertii vtilitas concurrit. E. g. Si Meuio ob debitum immineat executio, & creditor Titio mandet, quo Meuio ſub vſuris credat, vt hic ſe ab executione liberet, & creditori ſoluat.

Periculo mandantis) Quod iure nouo ceſſat, cum fideiuſſor habeat beneficium excuſſionis, ne conueniatur, debitore nondum excuſſo. *Nou.* 4. *c.* 1. Tunc tamen vtilis hæc cautela, ſi fideiuſſor beneficio excuſſionis renunciauerit. vid. Dn. Parens *in Caut. Contr. Sect.* 2. *c.* 6. §. 23.

Ad §. 3. *Aliena autem tantum*) Aliquod tamen ipſius mandantis intereſſe concurrere debet *l.* 8. §. 6.

mandatum: veluti si tibi aliquis mandet, vt Titii negotia gereres; vel vt Titio fundum emeres, vel vt pro Titio sponderes.

Si mandantis, & aliena.

4. Sua & aliena: veluti si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel vt sibi & Titio fundum emeres, vel vt pro eo & Titio sponderes.

Si mandatarii, & aliena.

5. Tua & aliena: veluti, si tibi mandet, vt Titio sub vsuris crederes: quia si sine vsuris pecuniam crederes, aliena tantum gratia intercedit mandatum.

Si mandatarii.

6. Tua tantum gratia interuenit mandatum: veluti, si tibi mandet, vt pecunias tuas in emtiones potius prædiorum colloces, quam fœneres, vel ex diuerso, vt pecunias tuas fœneres potius, quam in emtiones prædiorum colloces. Cuius generis mandatum, magis *consilium*, quam mandatum est; & *ob id non est obligatorium. Quia nemo ex consilio mandati obligatur*, etiamsi non

§. 6. *h. t.* si non præcedens, certe ex ipsa gestione nascens. Alias non competit actio mandati *d. l.* 8. §. 4. & 5.

Ad §. 6. *Non est obligatorium*) Nisi sit fraudulentum, sic enim ex dolo dabitur actio *l.* 47. *ff. de R. I.* Fraus autem consilii non ex euentu, sed intentione, æstimanda.

non expediat ei, cui mandabatur: cum liberum cuique ſit, apud ſe explorare, an ſibi expediat conſilium. Itaque ſi otioſam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, vt rem aliquam emeres, vel eam crederes; quamuis non expediat eam tibi emiſſe, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeo hæc ita ſunt, vt quæſitum ſit, an mandati teneatur, qui mandauit tibi, vt pecuniam Titio fœnerares? ſed obtinuit Sabini ſententia, obligatorium eſſe in hoc caſu mandatum: quia non aliter Titio credidiſſes, quam ſi tibi mandatum eſſet.

De mandato contra bonos mores.

7. Illud quoque mandatum non eſt obligatorium, quod contra bonos mores eſt: veluti, ſi Titius de furto, aut de damno faciendo, aut de iniuria facienda mandet tibi. Licet enim pœnam iſtius facti nomine præſtiteris, non tamen vllam habes adverſus Titium actionem.

De

Titio fœnerares) Conſilium ergo ſpeciale in certam perſonam directum, cui alias fidem non habuiſſem, vtique obligat *l.* 6. §. 5. *ff. h. t.* Quod idem de commendatione perſonarum etiam verum eſt, quæ non obligat commendantem, niſi fuerit ſpecialis. *l.* 12. §. 12. *ff. h. t.*

Ad §. 7. *Non eſt obligatorium*) Scil. intuitu mandantis & mandatarii, vnde nihil operatur indemnitas expreſſe promiſſa, ſi negotium inuolvat delictum.

Aduerſus Titium) Læſus tamen contra mandantem

De executione mandati.

8. Is, qui exequitur mandatum, *non debet excedere fines mandati:* vt ecce, si quis vsque ad centum aureos mandauerit tibi, vt fundum emeres, vel, vt pro Titio sponderes, neque pluris emere debes, neque in ampliorem pecuniam fideiubere; alioquin non habebis cum eo mandati actionem, adeo quidem, vt Sabino & Cassio placuerit, etiam si vsque ad centum aureos cum eo agere volueris, inutiliter te acturum. Sed diuersæ scholæ auctores recte vsque ad centum aureos te acturum existimant: quæ sententia sane benignior est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat, vt sibi centum aureorum fundus emeretur, is vtique mandasso

---

dantem & mandatarium actionem habet: vti & vterque a iudice puniri potest, vid. §. 8. & 11. *infra de oblig. quæ ex delict. nasc.*

Ad §. 8. *Excedere fines*) Hinc mandata dicuntur *stricti iuris*, ratione *executionis*, non ratione *adiudicationis;* Nam sunt contractus bonæ fidei; Limitatio est, nisi mandantis plane non intersit, an mandatum stricte an per æquipollens impletum sit *l.* 56. & 62. *de procurat. L. vlt.* §. *vlt. ff. h. t.*

Diuersæ Scholæ) Neruam & Proculum innuit Imp. *L.* 3. §. *vlt.* & *l.* 4. *ff. h. t.*

Benegnior est) Non enim læditur mandans rem carius emptam tanto precio recipiens, quanto mandauerat.

dasse intelligitur, vt minoris (si possit) emeretur.

De reuocatione mandati.

9. Recte quoque mandatum contractum, si dum adhuc integra res sit, (1) *reuocatum* fuerit, euanescit.

2. *De morte.*

10. Item si adhuc integro mandato, (2) *mors* alterutrius interueniat, id est, vel eius, qui mandauerit, vel illius, qui mandatum susceperit; soluitur mandatum. Sed vtilitatis

---

Si possit) Scil. rem æque bonam qualem desiderabat mandans.

Ad §. 9. *Adhuc integra res sit*) Sc. antequam mandatarius impensas in executionem mandati fecerit. Nam postea actionem mandati contrariam habet Mandatarius *L.* 8. §. 6. *h. t.*

Euanescit) Quia mandatarius nullum interesse habet. Quod si ergo illud habeat, cessat facultas reuocandi mandatum, veluti in procuratore in rem suam. *L.* 35. & 55. *ff. de procurat.*

Ad §. 10. *Adhuc integro mandato*) Aliud ergo si id iam impleri cœptum, sic enim perficiendum est, etiam ab heredibus mandatarii, si possint, arg. *L.* 20. *ff. pro Soc. Loc.* 14. *pr. ff. h. t.*

Mors alterutrius) Nisi negotium tale, quod post mortem demum perfici potest, veluti si epitaphium exstruendum: vel si aliud inter partes conuenerit. *L.* 12. §. *fin.* & *l. seqq. ff. h. t.*

Soluitur mandatum) Etiam sine reuocatione expressa. Nam mandans dum mortuus est, reuocasse mandatum & mandatarius moriendo ei renunciasse censetur. vid. *l.* 4. *ff. loc.* Singulare ergo

tatis causa receptum est, si eo mortuo, qui tibi mandauerat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione, alioqui iusta & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic simile est, quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titii per ignorantiam liberto soluerint, liberari eos: cum alioqui stricta iuris ratione non possent liberari, quia alii soluissent, quam cui soluere debuerint.

3. *De renunciatione.*

11. Mandatum non suspicere, cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut quam primum (3) *renunciandum*, vt per semetipsum, aut per alium, eandem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuncietur, vt integra causa mandatori reseruetur eandem rem explicandi, nihilominus mandati actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit aut non renunciandi, aut intempestiue renunciandi.

De

ergo est ex *Rec. Imp. de anno* 1654. §. 99. quod, si mandatum iudiciale heredis nomine conceptum, hoc morte non expiret.

Dispensatore) Talis dispensator erat seruus administrationi præpositus *L.* 18. *ff. de solut.*

Ad §. 11. *Consummandum.*) Et quidem exactissima diligentia perficiendum: nam culpam leuissimam præstat mandatarius L. 13. *&* 21. *C. h. t.*

Iusta causa) Veluti aduersa valetudo, inimicitia capitalis, &c. L. 23. *& seqq. ff. h. t.*

De die & conditione.

12. Mandatum & in diem differri, & ſub conditione fieri poteſt.

De mercede.

13. In ſumma ſciendum eſt, mandatum, *niſi gratuitum ſit*, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede conſtituta, incipit locatio & conductio eſſe. Et, vt generaliter dicamus, quibus caſibus ſine mercede ſuſcepto officio, mandati, ſiue depoſiti, contrahitur negotium, iis caſibus interueniente mercede locatio & conductio intelligitur contrahi. Et ideo ſi fulloni polienda curandaue quis dederit veſtimenta, aut ſarcina tori ſarcienda, nulla mercede conſtituta, neque promiſſa; mandati competit actio.

TITV-

Ad §. 13. *Mercede*) Honorarium tamen non reſpuit mandatum *l. 6. pr. ff. h. t.* Differt autem merces ab honorario, quod illa ſit certa & determinata, hoc incertum, & ex liberalitate mandantis dependeat.

Locatio conductio eſſe) Si factum ſit illiberale & locari ſolitum. Alias degenerat in contractum innominatum, *do vt facias.* Quod etiam contingit, ſi merces non in pecunia numerata conſiſtat.

Mandati competit actio) Imo datur & actio præſcriptis verbis ex contractu innominato *facio vt des l. 22. ff. de præſcript. verb.* Scilicet ſi fullo gratis eam operam in ſe non ſuſcepit, nec tamen certa merces determinata.

TITV-

Titvlvs XXIIX.
DE OBLIGATIONIBVS, QVÆ QVASI EX CONTRACTV NASCVNTVR.

Continuatio.

POst genera contractuum enumerata dispiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non proprie nasci ex contractu intelliguntur, sed tamen, quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

De negotiorum gestione.

1. Igitur cum quis negotia absentis gesserit, vltro citroque inter eos nascuntur actiones,

TITVLVS XXIIX.

Ad pr. *Sed tamen quia non*) Hæc regula non est perpetua, nam & actio *ex pacto legitimo*, vt & ex *æquitate naturali*, veluti si filius contra patrem ad alimenta agat, neque ex contractu neque ex maleficio est, tamen nec quasi ex contractu est. Fundamentum itaque quasi contractuum est in *consensu* alterius *ficto*, & *a lege præsumto* L. 13. §. *fin. ff. commod.* Non in *tacito* consensu, nam hic ad verum etiam contractum sufficit. *L.* 6. §. 2. & *L.* 18. *ff. mand. L.* 4. *pro Soc.* vid. tamen Dn. Parens *Tr. de Act. Inuest. sect.* 1. *m.* 9. §. 2. Oritur autem illa consensus præsumptio, ex facto alterius, quod in nostram vtilitatem suscipit.

Ad §. 1. *Absentis*) Absentia quidem causa introductionis est huius quasi contractus; sed tamen non semper requiritur: nam sola ignorantia sufficit, etiamsi alter præsens sit *l.* 41. *ff. de Neg. Gest.* L. 3. §. 5. *eod.*

 Con-

nes, quæ appellantur negotiorum gestorum: sed domino quidem rei gestæ aduersus eum, qui gessit, directa competit actio; negotiorum autem gestori, contraria. Quas ex nullo contractu proprie nasci manifestum est: qnippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit, ex qua causa ii, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque vtilitatis causa receptum est, ne absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negotia: quæ sane nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturꝰ esset actionem. Sicut autem is, qui vtiliter gessit negotia, dominum habet obligatum negotiorum gestorum: ita & contra iste quoque tenetur, *vt admi-*

Contraria) Ad præstandam indemnitatem & restituendas impensas necessarias & vtiles *l.* 45. *pr. ff. de Neg. gest.* etiamsi non permanserint vtiles *l.* 10. *in fin. eod.* nisi pietatis intuitu factæ, quæ non repetuntur. Vti nec voluptuariæ *l.* 27. *pr. eod.*

Vtiliter gessit) Hic latitat factum obligatorium sc. gestio negotii alieni *vtiliter* suscepta. Nam si *inutilis* gestio, alter non obligatur, quia in eam nemo consensurus præsumitur.

Negotiorum gestorum) Scil. actione contraria ad indemnitatem.

Tenetur) Scil. actioni directa.

Exa-

administrationis reddat rationem: quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet, si modo alius diligentior eo commodius administraturus esset negotia.

De tutela.

2. Tutores quoque, qui tutelæ iudicio tenentur, non proprie ex contractu obligati esse intelliguntur: nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur: sed quia

Exactissimam) Hoc est, præstat culpam leuissimam.

Si modo alius diligentior) Sc. adfuisset. Inde his verbis videntur restringi præcedentia, ita vt eo tantum casu ad culpam leuissimam teneatur gestor, si se obtulerit, cum tamen alii diligentiores adfuerint *l.* 6. §. 12. *ff. de neg. gest.* alias vero tantum ad culpam leuem. *L.* 20. *C. eod.* & ibi Brunnem. *in Comment.* Sed in puncto iuris verior videtur sententia, gestorem in genere ad culpam leuissimam præstandam, obligans. L. 24. *C. de Vsur.* L. 25. §. 16. *ff. fam. herc.* Culpa enim est se immiscere rei ad se non pertinenti. Ergo vel hoc omittendum vel exactissime expediendum. Nisi negotium plane periculosum susceperit, quod nec dominus facturus fuisset, vbl etiam ad casum obligatur *l.* 10. & 11. *ff. de Neg. gest.* In susceptione autem negotii alias perituri, ad latam tantum culpam tenetur. *L.* 3. §. 9. *ff. eod.*

Ad §. 2. *Contrahitur*) Consensu expresso. Præsumitur tamen consensus pupilli ex vtili administratione tutoris: æque vt in negotiorum gestione.

Tutela

quia sane non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Hoc autem casu mutuae sunt actiones. Non tantum enim pupillus cum tutore habet tutelae actionem; sed & contra tutor cum pupillo habet contrariam tutelae, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligauerit.

De rei communione.

3. Item si inter aliquos communis res sit, sine societate: quod pariter eis legata donataue esset, & alter eorum alteri ideo teneatur communi diuidundo iudicio, quod

Tutelae actionem) Sc. directam, ad reddendas rationes, & praestanda damna dolo & leui culpa data *l. 33. pr. ff. de admin. tut.* nisi negotium in specie tutori iniunctum, vbi praestanda tantum culpa lata. *L. 7. §. 2. ff. eod.* Caeterum actio haec in codice appellatur *arbitrium tutelae*, quia hic multa iudicis arbitrio componenda vid. *tit. C. arbitr. tut.*

Ad §. 3. *Sine societate*) Nam communio *in societate* & inde nascens obligatio est ex vero contractu & expresso sociorum consensu. Vnde *actio pro socio* nascitur. Hic autem de communione incidente agitur.

Communi diuidundo) Haec tamen actio interdum etiam in vera societate conuentionali datur, si sc. ad res communes diuidendas agat socius. *L. 1. & 2. ff. comm. diuid.*

Solus

quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius eius solus in eam rem necessarias impensas fecerit; non intelligitur ex contractu proprie obligatus esse: quippe nihil inter se contraxerunt: sed quia ex maleficio non tenetur, quasi ex contractu teneri videtur.

De hereditatis communione.

4. Idem iuris est de eo, qui coheredi familiæ ercifcundæ iudicio ex his causis obligatus est.

De aditione hereditatis.

5. Heres quoque legatorum nomine non proprie ex contractu obligatus intelligi-

---

Solus) Solitaria ergo *administratio* rei communis est factum obligatorium, ex qua, si vtilitas rei communis promota, alterius socii consensus præsumitur.

Necessarias impensas) Sed annon vtiles etiam? Resp. affirm. L. 38. *ff. de R. V.* si iis res pretiosior reddita. Harum tamen intuitu competet actio neg. gest. *l.* 6. §. 2. *de Neg. gest.*

Ad §. 4. *Coheredi*) Hic quasi contractus dicitur *hereditatis communio*, vbi factum obligatorium est administratio solitaria hereditatis, animo coheredem sibi obligandi facta *l.* 16. §. 4. *ff. fam. ercisc.*

Familiæ erciscundæ) *Familia* hereditatem denotat, *erciscere*, est diuidere.

Ad §. 5. *Legatorum nomine*) Hic quasi contractus vocatur *aditio hereditatis*; Vbi dum adit hereditatem heres, præsumitur se ad implendam defuncti voluntatem obligasse *l.* 5. §. 2. *de O. & A.*

Lega

ligitur: neque enim cum herede, neque cum defuncto vllum negotium legatarius gessisse proprie dici potest; tamen quia ex maleficio non est obligatus, quasi ex contractu debere intelligitur.

De solutione indebiti.

6. Item is, cui quis per errorem non debitum soluit, quasi ex contractu debere videtur. Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus esse, vt si certiorem rationem sequamur, magis, vt supra diximus, ex distractu, quam ex contractu, possit dici obligatus esse. Nam qui soluendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, vt distrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is, qui accepit, obligatur, ac si mu-

Legatarius gessisse) Aliud in *creditoribus*. His enim cum defunctus ex vero contractu obligatus sit, etiam heres ex eodem obligatus est, quia contractus in heredes transeunt. *L.*13. *C. de Contr. stipul.* §. 1. *infra. de perpet. & temp. act.* Legatariis vero non obligatus erat defunctus, cum hæc semper reuocare potuerit; heres itaque adeundo agnoscit testamentum, & inde *actione ex testamento*] obligatur.

Ad §. 6. *Non debitum soluit*) Hic factum obligatorium non est indebiti solutio, sed *acceptio*. Accipiens enim quisque tam ingenuus esse præsumitur, quod pecuniam alienam sine causa retinere nolit, cum alioquin furtum committeret si scienter retineret *l.* 13. *ff. de Condict. furt.*

Con-

ſi mutuum ei daretur, & ideo condictione tenetur.

Quando indebitum non repetitur.

7. Ex quibusdam tamen cauſis repeti non poteſt, quod per errorem non debitum ſolutum ſit. Sic namque definierunt veteres, ex quibus cauſis inficiando lis creſcit, ex iis cauſis non debitum ſolutum repeti non poſſe: veluti, ex lege Aquilia, item ex legato. Quod veteres quidem in iis legatis locum habere voluerunt, quæ certa conſtituta, per damnationem cuique legata fuerant. Noſtra autem conſtitutio, cum vnam naturam omnibus legatis & fideicommiſſis induſit, huiusmodi augmentum in omnibus legatis, & fideicommiſſis extendi voluit: ſed non omnibus legatariis hoc præbuit; ſed tantummodo in iis legatis & fideicommiſſis, quæ

Condictione) Quæ in ſpecie dicitur condictio indebiti vid. *tit. ff. de cond. indeb.* conf. ſupra §. 1. *quib. mod. re contr. obl.*

Ad §. 7. *Repeti non poſſe*) Quia hic de dubio euentu litis, qui in duplum creſcere poterat, tranſegiſſe videtur; quæ autem transactionis cauſa ſoluta, non repetuntur, *L.* 65. §. 1. *de Condict. indeb.*

Conſtitutio) Quæ eſt in *l.* 2: *C. comm. de leg.*

In omnibus legatis) Siue per damnationem, ſiue per vindicationem relictis. Sed non in omnibus legatorum ſpeciebus, verum iis tantum, quæ piis cauſis relicta.

Non

quæ ſacroſanctis eccleſiis & ceteris venerabilibus locis, quæ religionis, vel pietatis intuitu honorantur, relicta ſunt: quæ ſi indebita ſoluantur, non repetuntur.

TITVLVS XXIX.

C. IV. 27.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

De his qui ſunt in poteſtate.

Expoſitis generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quaſi ex contractu naſcuntur; admonendi ſumus, adquiri nobis non ſolum per nosmetipſos, ſed per eas quoque perſonas, quæ in noſtra poteſtate ſunt: veluti per ſeruos, & filios noſtros: vt tamen, quod per ſeruos noſtros nobis adquiritur, totum noſtrum fiat: quod autem per liberos, quos in poteſtate habemus, ex obligatione fuerit adquiſitum, hoc diuidatur, ſecundum imaginem rerum proprietatis, & vſusfructus, quam noſtra decrevit conſtitutio: vt quod ab actione commodum perueniat, huius vſumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio ſerve-tur,

---

Non repetuntur) Vid. *l.* 32. §. 2. *ff. de cond. indeb.*

TITVLVS XXIX.

Ad princ. *Ex obligatione*) Extra rem noſtram. Nam quod ex re noſtra adquirunt, totum ad nos pertinet. §. 1. *ſupra per quas perſ. cuique adq.*

Conſtitutio) Quæ extat in *l.* 6. *C. de bon. quæ lib. Actio-*

tur, scilicet patre actionem mouente secundum nouellæ nostræ constitutionis diuisionem.

De bona fide possessionis.

1. Item per liberos homines, & alienos seruos, quos bona fide possidemus, adquiritur nobis: sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis, vel ex re nostra adquirant.

De seruo fructuario, vel vsuario.

2. Per eum quoque seruum in quo vsumfructum, vel vsum, habemus, similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur.

De seruo communi.

3. Communem seruum pro dominica parte dominis adquirere certum est: excepto eo, quod nominatim vni stipulando aut per traditionem accipiendo, illi soli adqui-

---

Actionem mouente) Non tamen neglecto etiam filii consensu, nisi in prima ætate sit. *L. vlt.* §. 3. *C. eod.* Imo & sufficit patrem agenti filio consentire *d. l. vlt. in fin. pr.*

Constitutionis) Quæ reperitur in *d. l. vlt. C. de bon. quæ lib.*

Ad §. 1. *Liberos homines*) Bona fide pro seruis possessos. Ad nostros ergo famulos hoc non pertinet, qui licet ex re nostra, sine iussu tamen nostro, quid adquirant, v. g. si famuli ex pecunia Patrisfam. sibi domum emant, sibi eam adquirunt, contra ipsos autem tantum actio personalis datur. *vid. L. non vnde 7. C. si cert. pet.*

adquirit, veluti, cum ita ſtipulatur, *Titio domino meo dare ſpondes?* Sed ſi domini vnius iuſſu ſeruus fuerit ſtipulatus, licet antea dubitabatur, tamen poſt noſtram deciſionem res expedita eſt, vt illi tantum adquirat, qui hoc ei facere iuſſit, vt ſupra dictum eſt.

TITVLVS XXX.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGATIO.

De ſolutione.

Tollitur autem omnis obligatio (1) ſolutione eius, quod debetur: vel ſi quis conſentiente creditore, aliud pro alio ſol-

---

Ad §. 3. *Poſt noſtram deciſionem*) Quæ reperitur *in L. vlt. C. h. t.*

Supra dictum eſt) §. *vlt. de ſtipul. ſeru.*

TITVLVS XXX.

Ad Rubr. *Tollitur obligatio*) Agitur hic de modis obligationem ipſo iure tollendi. Nam & pactis & transactionibus dicitur quidem tolli obligatio, ſed improprie; reuera autem non ipſa obligatio, ſed vis eiusdem & efficacia tollitur, obiecta exceptione.

Ad pr. *Solutione*) Siue uera præſtatione eius quod in obligatione continetur. *L.* 107. *ff. de ſolut.* Nam vox ſolutionis alias generaliter ſumitur, pro quacunque ſatisfactione ſeu liberatione *l.* 54. *ff. de ſolut.*

Conſentiente creditore aliud) Regulariter ergo aliud pro alio ſolui nequit *l.* 2. §. 1. *ff. de Reb. Cred.* Exceptio vna eſt in textu, *conſentiente creditore;* Alia

ſoluerit. Nec intereſt, quis ſoluat, vtrum ipſe, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio ſoluente: ſiue ſciente, ſiue ignorante debitore, vel inuito eo ſolutio fiat. Item ſi reus ſoluerit, etiam ii, qui pro eo interuenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, ſi fideiuſſor ſoluerit: non enim ipſe ſolus liberatur, ſed etiam reus.

De acceptilatione.

I. Item per acceptilationem tollitur obligatio. Eſt autem acceptilatio imaginaria ſolutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id ſi velit Titius remittere, poterit ſic fieri, vt patiatur hæc verba debi-

---

Alia eſt exceptio, ſi res debita *non poſſit præſtari* aut difficulter *L.* 68. *de R. V. L.* 71. §. 3. *ff. de leg.* I. Quo pertinet beneficium dationis in ſolutum. *Nou.* 4. *c. fin. & Nou.* 120.

Quis ſoluat) Modo alias ad ſoluendum idoneus ſit, h. e. liberam bonorum adminiſtrationem habeat.

Alius pro eo) Et quidem debitoris nomine *l.* 5. *&* 17. *C. de Solut.*

Inuito eo) Ob rationem *l.* 39. *ff. de N. G.* Sed hoc caſu regreſſum non habet ſoluens contra eum pro quo ſoluit *l. vlt. C. de Neg. Geſt.* Niſi ex iure a creditore ceſſo agat.

Sed etiam reus) Hic liberatur quidem a creditore, ſed non a fideiuſſore, qui regreſſum contra principalem inſtituere poteſt.

Ad §. I. *Hæc verba*) Acceptilatio enim pariter per ſtipulationem fiebat *l.* I. *C. de Accept.*

debitorem dicere: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum?* & Titius respondeat, *Habeo.* Sed & græce potest acceptilatio fieri: dummodo sic fiat, vt latinis verbis solet exigi, ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών. Quo genere, vt diximus, tantum eæ soluuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam ceteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolui. Sed & id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui. Sicut autem quod debetur, pro parte recte soluitur: ita in parte debiti acceptilatio fieri potest.

De Aquiliana stipulatione.

2. Est autem prodita stipulatio, quæ vulgo Aquiliana appellatur, per quam contin-

---

Non etiam ceteræ) Ob regulam iuris, quod eo modo quid dissolui debeat, quo colligatum est. L. 35. & 100. *de R. I.*

In stipulationem deduci) Per Aquilianam stipulationem, de qua *in §. seq.*

Pro parte recte soluitur) Hæc accipienda sub ea conditione, quæ *in pr. h. t.* repetitur, si sc. creditor consentiat. Vel pars debiti sit illiquida, vbi liquidam soluisse sufficit *l. 21. ff. de Reb. Cred.* vel nomina ipso iure diuisa sint, vt in heredibus *l. 6. C. fam. herc.* Vel diuersæ summæ debeantur. L. *vlt. ff. quib. mod. pign. solu.* Extra hos casus non permittitur debitori particularis solutio, L. 9. *C. de Solut.* L. 3. *ff. fam. herc.*

tingit, vt omnium rerum obligatio in ſtipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana renovat omnes obligationes, & a Gallo Aquilio ita compoſita eſt: *Quicquid te mihi ex quacunque cauſa dare facere oportet oportebitve, præſens in diemue, aut ſub conditione; quarumcunque rerum mihi tecum actio eſt, quæque aduerſus te petitio, vel aduerſus te perſecutio eſt eritue; quodue tu meum habes, tenes, poſſides, doloue malo feciſti, quo minus poſſideas; quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dare ſtipulatus eſt Aulus Agerius, ſpopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio ſpopondit, id haberetne a ſe acceptum, Numerius Nigidius Aulum Agerium rogavit. Aulus Agerius Numerio Nigidio acceptum fecit.*

De nouatione.

3. Præterea nouatione tollitur obligatio: veluti, ſi id, quod tibi Seius debebat, a Titio dari ſtipulatus ſis. Nam interuentu nouæ

Ad §. 2. *In ſtipulatum deducatur*) Hoc hodi neceſſarium non eſt, cum enim ſimplici pacto eadem vis tribuatur, quæ ſtipulationi, hinc quodcunque debitum per acceptilationem, vel pactum liberatorium tolli poteſt, quocunque modo voluntatem declarauerit creditor. Carpz. *P.* 2. *C.* 19. *d.* 17.

Ad §. 3. *A Titio dari*) Hæc in ſpecie vocatur

 Dele-

nouæ personæ, noua nascitur obligatio, & prima tollitur, translata in posteriorem: adeo vt interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima nouationis iure tollatur: veluti, si id, quod tu Titio debes, a pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fueris, quo casu res amittitur. Nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem iuris est, si a seruo quis fuerit stipulatus. Nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, a qua postea stipuleris, ita demum nouatio fit, si quid in posteriore stipulatione noui sit: forte

---

Delegatio, vbi alius debitor consentiens substituitur, manente eodem creditore *l.* 11. *pr. de Nouat.*

Nouæ personæ) Quodsi, manente eodem debitore, creditor mutetur, *cessio nominis* dicitur, quæ & inuito debitore fieri potest; non delegatio, quæ consensum debitoris delegati exigit. *L.* 1. *&* 6. *C. eod.*

Posterior obligatio nulla) Quia pupillus inde non potest conueniri. Creditor vero sibi imputet, quod pupillum nouantem admiserit, quem sciebat se obligare non posse.

Obligatus manet) Qnia in nouatione interuentio nouæ personæ requiritur, seruus autem nullam personam habet *l.* 32. *de R. I.*

Eadem persona sit) Hæc est *nouatio in specie sic dicta*, vbi genus tantum obligationis mutatur, scil. si debitum ex empto redigatur in mutuum, qnod *in creditum ire* dicunt.

Con-

forte ſi conditio, aut dies, aut fideiuſſor adiiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, ſi conditio adiiciatur, nouationem fieri, ſic intelligi oportet, vt ita dicamus factam nouationem, ſi conditio extiterit: alioqni ſi defecerit, durat prior obligatio. Sed cum hoc quidem inter veteres conſtabat, tunc fieri nouationem, cum nouandi animo in ſecundam obligationem itum fuerat; per hoc autem dubium erat, quando nouandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præſumptiones alii in aliis caſibus introducebant: ideo noſtra proceſſit conſtitutio, quæ apertiſſime definiuit, tunc ſolum nouationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipſum inter contrahentes expreſſum fuerit, quod propter nouationem prioris obligationis conuenerit: alioqui & manere priſtinam obligationem, & ſecundam ei accedere, vt maneat ex vtraque cauſa

Conſtitutio) Quæ extat in *l. vlt. C. de Nouat.*

Nouationem) Idem in delegatione *l.* 3. *C. de Nouat.*

Expreſſum fuerit) Itaque nec verba æquipollentia ſufficiunt, ſed expreſſe prior obligatio annullanda eſt; alioqui etiam ex priori obligatione actio ſupereſt, niſi qua in poſteriori contrarium quid pactum, eatenus enim obſtat exceptio pacti nouiſſimi, priori derogantis. *L.* 12. *C. de pact. conuent.*

causa obligatio, secundum nostræ constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertius cognoscere.

De contrario consensu.

4. Hoc amplius, eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur. Nam si Titius & Seius inter se consenserint, vt fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis: deinde re nondum secuta, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, vt discederetur ab ea emptione & venditione: inuicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt, sicut iam dictum est.

IN-

Ad §. 4. *Re nondum secuta*) Hoc est contractu per traditionem rei, & solutionem pretii nondum consummato. Nam si hoc, non tollitur prior contractus, sed noua fit venditio *l.* 58. *ff. de pact.*

Iam dictum est) Sunt & alii modi tollendi obligationem, veluti *compensatio l.* 4. *C. de Compensat.* Quæ tamen sub solutione comprehenditur. Item *confusio*, quando debitoris & creditoris ius in eadem persona concurrit. L. 107. *in fin. ff. de Solut.* Item *rei interitus d. l.* 107. Et violenta rei nostræ *occupatio* & exactio. L. 13. *ff. quod met. caus.*

LIBER

INSTITVTIONVM IVRIS DIVI IVSTINIANI

LIBER IV.

TITVLVS I.

D. XLVII. 2. C. VI. 2.

DE OBLIGATIONIBVS, QVÆ EX DELICTO NASCVNTVR.

Diuiſio obligationum ex delicto.

CVm ſit expoſitum ſuperiore libro de obligationibus ex contractu & quaſi ex contractu; ſequitur, vt de obligationibus *ex maleficio*, & *quaſi ex maleficio*, diſpiciamus. Sed & illæ quidem, vt ſuo loco tradidimus, in quatuor genera dividuntur: hæ vero vnius generis ſunt: nam omnes ex re naſcuntur, id eſt, ex ipſo maleficio: veluti ex furto, rapina, damno, iniuria.

De-

LIBER IV.

TITVLVS I.

Ad pr. *Omnes ex re*) Ita tamen vt non excludatur conſenſus. Nam alias furioſus, vel infans delinquens eadem pœna adficiendus foret, ac ſi ſanæ mentis & perfecti iudicii homo id feciſſet, cum eadem vtrobique res ſit, idem factum. L. 46. *ff. de O. & A.* Adeſt itaque in delinquente conſenſus in pœnam, ſaltem conditionatus. Si ſc. delictum fuerit manifeſtatum: Er wagets drauf. Et hinc conſenſus cum facto coniunctus parit obligationem.

Ad

Definitio furti.

1. Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisue: quod lege naturali prohibitum est admittere.

Etymologia.

2. Furtum autem vel a furuo, id est: nigro, dictum est, quod clam & obscure fiat, & plerumque nocte: vel a fraude, vel ferendo, id est, auferendo: vel a Græco sermone,

---

Ad §. 1. *Contrectatio*) Quasi ad se tractio. Nam contrectare est de loco mouere, siue res domino subtrahatur, siue, penes alium existens, ab eo aliter, quam debet, habeatur. L. 3. §. 18. *ff. de adquir. poss.*

Fraudulosa) Sub hac fraudulosa contrectatione comprehenditur etiam animus, rem *inuito domino* subtrahendi: nam quod inuito domino non fit, furtum non est *l.* 46. §. 8. *h. t.*

Lucrifaciendi) Aliud ergo si libidinis causa ancillam quis rapiat *L.* 39, *ff. h. t.*

Vsus) Tale est cum quis re commodata aliter vtitur *vid.* §. 6. *h. t.*

Possessionisue) Quam dominus in alium transtulerat e. g. si debitor creditori surripiet pignus. §. 10. *h. t. L.* 15. *& L.* 66. *ff. eod.*

Lege naturali) Iuris naturæ non est, vt hæc res mea sit; vt tamen quod meum est, mihi non auferatur, ius naturæ exigit.

Ad §. 2. *Vel ferendo*) Hoc seruorum munus quondam erat, qui inde fures dicebantur; *quid facient domini, audent cum talia fures?*

Ad

mone, qui Φῶρας appellant fures. Imo & Græci a ferendo Φῶρας dixerunt.

Diuisio.

3. Furtorum autem duo sunt genera: manifestum, & nec manifestum. Nam conceptum & oblatum, species potius actionis sunt, furto cohærentes, quam genera furtorum, sicut inferius apparebit. Manifestus fur est, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant. Nec solum is, qui in ipso furto deprehenditur, sed etiam is, qui in eo loco deprehenditur, quo furtum fit: veluti, qui in domo furtum fecit, & nondum egressus ianuam, deprehensus fuerit; & qui in olìueto oliuarum, aut in vineto vuarum furtum fecit, quamdiu in eo olìueto aut vineto deprehensus fuerit. Imo vlterius furtum manifestum est extendendum, quamdiu eam rem fur tenens visus, vel deprehensus fuerit, siue in publico, siue in priuato, vel a domino, vel ab alio, antequam eo peruenerit, quo deferre vel deponere destinasset. Sed si pertulit, quo destinauit, tametsi deprehendatur cum

---

Ad §. 3. *Deprehenditur*) Scil. postquam rem contrectauit, ante enim deprehensus in ædibus licet furandi causa, de vi tantum tenetur. *L.* 21. §. 7. *ff. h. t.*

Visus) Modo talis visio sit, quæ cum acclamatione, vel alio apprehendendi conatu, coniuncta fuerit, vti hæc verba explicanda ex *L.* 7. §. 2. *ff. h. t.*

Intel-

cum re furtiua, non est manifestus fur. Nec manifestum furtum, quid sit, ex iis, quæ diximus, intelligitur. Nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est.

De furto concepto, oblato, prohibito, non exhibito.

4. *Conceptum* furtum dicitur, cum apud aliquem testibus præsentibus furtiua res quæsita & inuenta sit. Nam in eum propria actio constituta est, quamuis fur non sit, quæ appellatur concepti. *Oblatum* furtum dicitur, cum res furtiua ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit. Vtique si ea mente tibi data fuerit, vt apud te potius, quam apud eum, qui dedit, conciperetur. Nam tibi, apud quem concepta sit, propria aduersus eum, qui obtulit, quamuis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur oblati. Est etiam *prohibiti* furti actio, adversus eum, qni furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit. Præterea pœna constituitur Edicto Prætoris per actio-

---

Intelligitur) Scil. si fur dicto modo cum re furtiua deprehensus non est *l.* 8. *ff. h. t.*

Ad §. 4. *Quamuis fur non sit*) Modo tamen sciverit eam rem furtiuam esse L. 8. *C. ex quib. caus. infam.* Nam si ignorauerit penes se rem furtiuam esse, tum plane nihil ipsi imputari potest.

Nam tibi) Ignoranti, rem oblatam furtiuam esse. Sciens enim actionem non habet *l.* 14. §. 4. *ff. h. t.*

Secun-

actionem furti *non exhibiti*, aduerſus eum, qui furtiuam rem apud ſe quæſitam & inventam non exhibuit. Sed hæ actiones, ſcilicet concepti, & oblati, & furti prohibiti, nec non furti non exhibiti, in deſuetudinem abierunt. Cum enim requiſitio rei furtiuæ hodie ſecundum veterem obſeruationem non fiat; merito ex conſequentia etiam præfatæ actiones ab vſu communi receſſerunt: cum manifeſtum ſit, quod omnes, qui ſcientes rem furtiuam ſuſceperint & celauerint, furti nec manifeſti obnoxii ſint.

Pœna.

5. Pœna manifeſti furti quadrupli eſt, tam ex ſerui, quam ex liberi perſona, nec manifeſti, dupli.

De

Secundum veterem obſeruationem) Non ergo in totum exoleuit requiſitio rei furtiuæ in ædibus priuatorum, modo iudicis auctoritate fiat. *l.* 8. *C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* 1. §. 2. & *l.* 3. *ff. de fugit. l.* 2. *C. de Seru. fugit.* Sed eo modo non amplius requiruntur furta, quo olim. Quem modum deſcribit Gellius *Noct. Attic. l.* 11. *c.* 18.

Celauerint) Nam & hæc contractatio fraudulofa eſt: cum idem rapere, quam rem raptam celare *l.* 9. *C. ad* L. *Iul. de vi publ.*

Ad §. 5. *Pœna*) Hic deſignatur pœna ciuilis, criminalis pœna eſt in maſculo, laquei; in fœmina, ſuffocationis vel gladii: Si furtum ſit violentum, vel magnum, vel ter iteratum *Conſt. Crimin. art.* 159. *ſeq.*

Qua-

De contrectatione.

6. Furtum autem fit, non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet: sed generaliter, cum quis alienam rem inuito domino contrectat. Itaque siue creditor pignore; siue is, apud quem res deposita est, ea re vtatur; siue is, qui rem vtendam accepit, in alium vsum eam transferat, quam cuius gratia ei data est: furtum committit. Veluti, si quis argentum vtendum acceperit, quasi amicos ad cœnam inuitaturus, & id peregre secum tulerit: aut, si quis equum gestandi causa commodatum sibi, longius aliquo duxerit; quod veteres scripserunt de eo, qui in aciem equum perduxisset.

De affectu furandi.

7. Placuit tamen, eos, qui rebus commodatis aliter vterentur, quam vtendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id inuito domino facere; eumque, si intellexisset, non permissurum: at si permissurum

---

Quadrupli) Hæc pœna quadrupli nondum abrogata, potius clarissime comprobata, in *Constit. Crim. art.* 157. & 158. Nec rarior eius vsus statim infert abrogationem. Conf. Brunn. *ad l. 5. ff. Commod. num.* 17.

Ad §. 6. *Siue creditor &c.*) Hæc sunt exempla furti vsus, vbi postea non ipsa res duplicanda, sed vsus eius *l.* 12. §. *fin. ff. h. t.*

Ad §. 7.

ſurum credant, extra crimen videri, optima ſane diſtinctione; *quia furtum ſine affectu furandi non committitur.*

De voluntate domini.

8. Sed & ſi credat aliquis inuito domino ſe rem commodatam ſibi contrectare, domino autem volente id fiat: dicitur furtum non fieri. Vnde illud quæſitum eſt, cum Titius ſeruum Mæuii ſollicitauerit, vt quaſdam res domino ſurriperet, & ad eum perferret, & ſeruus id ad Mæuium pertulerit: Mæuius autem, dum vult Titium in ipſo delicto deprehendere, permiſerit ſeruo quaſdam res ad eum perferre: vtrum furti, an ſerui corrupti iudicio teneatur Titius, an neutro? Et cum nobis ſuper hac dubitatione ſuggeſtum eſt, & antiquorum prudentum ſuper hoc altercationes perſpeximus, quibusdam neque furti, neque ſerui corrupti actionem præſtantibus, quibusdam furti tantummodo; huiusmodi calliditati obuiam euntes, per noſtram deciſionem ſanximus, non ſolum furti actionem, ſed & ſerui corrupti con-

Ad §. 7. *Extra crimen videri)* Quia fraus ceſſat, a qua etiam cauſa fatua excuſare dicitur.

Ad §. 8. *Furtum non fieri) Materialiter*, & in effectu; quia dominus reuera non diſſenſit: vtut *formaliter* & ratione intentionis furtum fit *l.* 46. §. *pen. ff. h. t.*

Noſtram deciſionem) Quæ extat in *l.* 20. *C. de furt.*

Non ſolum furti) Non obſtat, quod volenti non

contra eum dari. Licet enim is seruus deterior a sollicitatione minime factus est, & ideo non curant regulæ, quæ serui corrupti actionem introducunt; tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est, vt sit ei pœnalis actio imposita, tanquam si re ipsa fuisset seruus corruptus. Ne ex huiusmodi impunitate, & in alium seruum, qui facile posset corrumpi, tale facinus a quibusdam perpetretur.

De liberis nostris surreptis.

9. Interdum etiam liberorum hominum furtum fit: veluti, si quis liberorum nostrorum, qui in potestate nostra sunt, subreptus fuerit.

De re propria.

10. Aliquando autem etiam suæ rei furtum quis committit: veluti si debitor rem, quam

---

non fiat furtum; nam hoc verum est, si quis serio velit; aliud si ideo velit & consentiat, vt alterum in furto deprehendat.

Serui corrupti) Ratio sequitur in textu; quantum enim in ipso fuit, corrupit seruum, & eatenus consilium iam ad effectum deductum.

Ad §. 9. *In potestate nostra*) Hinc mater actionem non habet *l.* 38. *pr. ff. h. t.*

Subreptus) Vbi duplicandum interesse patris *l.* 80. §. 1. *in fin. ff. eod.*

Ad §. 10. *Suæ rei*) Regulariter ergo suæ rei non fit furtum, nempe ciuiliter; bene tamen moraliter, si quis intendens furtum, rem suam putans, alienam aufferat.

Pigno-

quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit.

De eo, cuius ope, consilio, furtum factum est.

11. Interdum quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cuius ope & consilio furtum factum est. In quo numero est, qui tibi nummos excussit, vt alius eos raperet; aut tibi obstiterit, vt alius rem tuam acciperet; aut oues tuas vel boues fugauerit, vt alius eas exciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugauit armentum. Sed si quid eorum per lasciuiam, & non data opera, vt furtum admitteretur, factum est, in factum actio dari debet.

Pignoris causa dedit) Hæc est species furti *possessionis*, vbi creditor, quod a debitore actione furti consequitur, sibi retinet *l.* 79. *ff. h. t.* alias quod creditor a tertio fure vltra debitum accipit, ipsi debitori restituere tenetur L. 1. *pr. eod.* Furtum etiam est si debitor rem creditori obligatam, ipso inscio & inuito alienet L. 66. *pr. ff. eod.*

Ad §. 11. *Ope & consilio*) Imo alterutrum sufficit *l.* 52. *pr. & l.* 90. §. 1. *h. t.* Quantum sc. ad actionem ciuilem, nam pœna suspendii non aliter punitur, qui opem & consilium attulit, quam si de lucro vltra 5. solidos participauerit *Const. Crim. art.* 177.

Per lasciuiam) Idem est, quam per *luxuriam* fieri *l.* 1. §. *pen. ff. de Ædil. Ed.* siue per petulantiam, id quod vulgo dicimus, aus Muthwillen.

In factum actio) Ex L. Aquilia, quia culpa eius damnum commissum.

debet. At vbi ope Mæuii Titius furtum fecerit, ambo furti tenentur. Ope & consilio eius quoque furtum admitti videtur, qui scalas forte fenestris supponit: aut ipsas fenestras vel ostium effringit, vt alius furtum faceret: quiue ferramenta ad effringendum, aut scalas, vt fenestris supponerentur, commodauerit, sciens cuius rei gratia commodauerit. Certe qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.

De his, qui sunt in potestate.

12. Hi. qui in parentum, vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtiuam causam cadit, nec ob id ab vllo vsucapi potest, antequam in domini potestatem reuertatur: sed furti actio non nascitur; quia nec ex alia vlla causa potest inter eos actio nasci. Si vero

---

Non tenetur furti). Si sc. res in terminis consilii manserit; quodsi enim furtum secutum, etiam is, qui consilium dedit, furti tenetur *l.* 53. §. 1. *de V. S. L.* 6. *ff. de Cond. furt.* Sic enim consilium degenerat in mandatum.

Ad §. 12. *Non nascitur*) Quia nihil proprii possident *l.* 16 *ff. h. tit.* Hinc aliud si peculium castrense vel quasi castrense habeant *l.* 52. §. 5. & *seqq. ff. eod.*

Ope

vero ope & consilio alterius furtum factum fuerit: quia vtique furtum committitur, conuenienter ille furti tenetur: quia verum est, ope & consilio eius furtum factum esse.

Quibus datur actio furti.

13. Furti autem actio ei competit, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino aliter competit, quam si eius intersit rem non perire.

De pignore subrepto creditori.

14. Vnde constat creditorem de pignore subrepto furti actione agere posse, etiamsi idoneum debitorem habeat: quia expedit ei pignori potius incumbere, quam in personam agere: adeo quidem, vt quamuis ipse debitor eam rem subripuerit, nihilominus creditorii competat actio furti.

De

Ope & consilio) Idem obtinet, si quis consilium vxori dederit, vt res mariti amoueret *d. l.* 52. *pr.* §. 20. *& seq. L.* 36. §. 1. *ff. eod.* Alias contra vxorem furantem datur condictio ex iure gentium *l.* 25. *ff. Rer. amot*, si intuitu diuortii quid abstulerit, datur actio rerum amotarum *l.* 1. *ff. d. t.*

Ad §. 13. *Cuius interest*) Non quod lucro careat, sed quod damnum patiatur *l.* 71. §. 1. *eod.* Siue hoc interesse ex iure in re, siue ex iure ad rem, oriatur *l.* 14. *pr. eod.*

Dominus non sit) Alia ergo ratio est condictionis furtiuæ, quæ domino tantum datur *l.* 1. *ff de cond. furt.*

Ad §. 14. *Ipse debitor*) vid. *not. ad* §. 10. *h. t.*

Actio furti) Quo casu duplicatur summa de-

biti

De re fulloni, vel sarcinatori, subrepta.

15. Item si fullo polienda curandaue, aut sarcinator sarcienda vestimenta mercede certa constituta acceperit, eaque furto amiserit, ipse furti habet actionem, non dominus, quia domini nihil interest eam rem non perire, cum iudicio locati a fullone aut sarcinatore rem suam persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori subrepta re, quam emerit, quamuis dominus non sit, omnino competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni vero & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quam si soluendo fuerint: hoc est, si domino rei æstimationem soluere possint. Nam si soluendo non sint, tunc quia ab eis suum dominus consequi non possit, ipsi domino furti competit actio: quia hoc casu ipsius interest, rem saluam esse. Idem est, & si in parte soluendo fuerit fullo aut sarcinator.

De

---

biti cum vsuris *l.* 87. *ff. eod.* non pretium rei subreptæ.

Ad §. 15. *Non dominus*) Hoc de actione pœnali: nam rei persecutoria, seu condictio furtiua datur tantum domino *l.* 1. *ff. de Cond. furt.*

. *Bonæ fid. emtori*) Si res iam tradita; nam alias venditor agere & rem præstare emtori debet *l.* 14. *pr. eod.* Quodsi dominus & bonæ fidei possessor concurrat, vterque agit; hic ratione possessionis, ille ratione proprietatis *l.* 74. *ff. h. t.* Aliud in malæ fidei possessore *l.* 12. §. 1. *eod.*

Ad §. 61.

16. Quæ de fullone, & ſarcinatore diximus, eadem & ad eum, cui commodata res eſt, transferenda, veteres exiſtimabant. Nam vt ille fullo mercedem accipiendo cuſtodiam præſtat; ita is quoque, qui commodatum vtendi cauſa accepit, ſimiliter neceſſe habet cuſtodiam præſtare. Sed noſtra prouidentia etiam hoc in noſtris deciſionibus emendauit, vt in domini voluntate ſit, ſiue commodati actionem aduerſus eum, qui rem commodatam accipit, mouere deſiderat; ſiue furti, aduerſus eum qui rem ſubripuit: & alterutra earum electa, dominum non poſſe ex pœnitentia ad alteram venire actionem. Sed ſi quidem furem elegerit, illum, qui rem vtendam accepit, penitus liberari. Sin autem commodator veniat aduerſus eum, qui rem vtendam accepit, ipſi quidem nullo modo competere

---

Ad §. 16. *In noſtris deciſionibus*) nominatim *in l. vlt. C. h. t.*

In domini voluntate ſit) Etiamſi eius non interſit. Quia nihil plane commodi dominus ex re commodata habet, vtpote quod ſolius accipientis vtilitatem promouet.

Alterutra electa) Eſt ergo hic concurſus actionum electiuus. Alias quidem actio pœnalis & rei perſecutoria ſe non tollunt; ſed aliud hoc caſu, vbi contra diuerſas perſonas competunt.

petere posse aduersus furem furti actionem: eum autem, qui pro re commodata conuenitur, posse aduersus furem furti habere actionem, ita tamen, si dominus sciens, rem esse subreptam, adversus eum, cui res commodata fuerit, peruenit. Sin autem nescius & dubitans, rem esse subreptam, apud eum commodati actionem instituerit, postea autem re comperta, voluerit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem actionem peruenire; tunc licentia ei conceditur & adversus furem venire, obstaculo nullo ei opponendo: quoniam incertus constitutus mouit aduersus eum, qui rem vtendam accepit, commodati actionem, nisi domino ab eo satisfactum fuerit: tunc etenim omnino furem a domino quidem furti actione liberari: suppositum autem esse ei, qui pro re sibi commodata domino satisfecit: cum manifestissimum sit, etiam si ab initio dominus actionem commodati instituerit, ignarus rem esse subreptam, postea autem hoc ei cognito aduersus furem transierit, omnino liberari eum, qui rem commodatam

Furti actionem) Condictio tamen furtiua ipsi salua est *l.* 1. *ff. de cond. furt.*

Dubitans) Hic enim nescienti comparatur. L. *vlt. C. de Condict. indeb.* Imo alias in dubio actiones non cumulandæ cumulari possunt, modo fiant alternatiuæ *l.* 1. §. 4. *ff. quod legator.*

Ad

modatam acceperit, quemcunque caussæ exitum dominus aduersus furem habuerit. Eadem definitione obtinente siue in parte, siue in solidum soluendo sit is, qui rem commodatam acceperit.

De re deposita.

17. Sed is, apud quem res deposita est, custodiam non præstat: sed tantum in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. Qua de causa, si res ei subrepta fuerit, quia restituendæ eius rei nomine, depositi non tenetur, nec ob id eius interest rem saluam esse, furti agere non potest, sed furti actio domino competit.

An impubes furti teneatur.

18. In summa sciendum est, quæsitum esse, an impubes rem alienam amouendo, furtum faciat? Et placuit, quia furtum ex affectu furandi consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.

De

Ad §. 17. *Custodiam non præstat*) Custodiam præstare hoc loco nihil aliud est, quam præstare culpam leuem: hanc autem non præstat depositarius, sed tantum dolum & culpam latam *l.* 5. §. 2. *ff. commod.*

Ad §. 18. *Intelligat*) Quod in pubertati proximo præsumitur, *l.* 23 *ff. h. tit.* Pœna tamen criminalis mitigari solet. Sed si pubertatem excesserit, suspendi potest, nam *in Const. Crim. art.* 164.

von

De aliis actionibus contra furem.

19. Furti actio, siue dupli, siue quadrupli, tantum ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicando aut condicendo potest auferre. Sed rei vindicatio quidem aduersus possessorem est: siue fur ipse possidet, siue alius quilibet: condictio autem aduersus furem ipsum, heredemue eius, licet non possideat, competit.

TITV-

---

von iungen Dieben, fures impuberes intelliguntur.

Ad §. 19. *Extrinsecus*) Præter & extra actionem furti *l. 7. §. 1. de condict. furt.*

Aut condicendo) Alia ergo aliam consumit *l. 9. §. 1. ff. h. t.* Datur autem condictio furtiua etiam re perempta *l. 15. §. fin. de R. V.*

Possessorem) Siue adhuc possideat, siue dolo desierit possidere *L. 157. §. 1. de R. I. L. 27. §. 3. de R. V.*

Alius quilibet) Adeo, vt dominus pretium possessori refundere non teneatur *l. 23. C. de R. V.* L. 16. *C. de euict.*

Licet non possideat) Et nihil ad eum peruenerit *l. 9. ff. de Condict. furt.* Imo licet ipse fur iam suspendio punitus sit. *vid. l. 7. §. 1. eod.* conf. pluribus Dn. Hopp. *hic.*

TITV-

TITVLVS II.

D. XLVII. 9. C. IX. 32.

DE VI BONORVM RAPTORVM.

Origo huius actionis.

QVi vi res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis alienam rem inuito domino contrectat, quam qui vi rapit? ideoque recte dictum est, eum improbum furem esse) sed tamen propriam actionem eius delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur *vi bonorum raptorum:* & est intra annum, quadrupli: post annum, simpli. Quæ actio vtilis est, etiamsi quis vnam rem, licet minimam, rapuerit. Qua-

---

TITVLVS II.

Ad pr. *Furti*) Tam *manifesti*, quam *nec manifesti*, prout vel deprehensus in ipso delicto, vel non *l. 52. §. vlt. & l. 80. §. 3. & seq. ff. de furt. l. 1. ff. h. t.*

Post annum simpli) In hoc pinguior est actio furti, quod hæc perpetua sit, & vltra qnadruplum adhuc res condici possit. In eo vero pinguior est actio vi bonorum raptorum, quod hæc semper in quadruplum detur, siue deprehensus sit raptor, siue secus. Cautela autem est pro læso, vt post annum actionem furti instituat, quod potest, vt modo dictum.

Licet minimam) Quia non ad rem ablatam sed ad violentiam illatam respicitur. Hinc & ob minimam rem ablatam non mitigatur pœna criminalis; sed in genere pœna gladii dicta-

 tur

Quadruplum autem non totum pœna eſt, ſicut in actione furti manifeſti diximus; ſed in quadruplo ineſt & rei perſecutio: vt pœna tripli ſit, ſiue comprehendatur raptor in ipſo delicto, ſiue non. Ridiculum enim eſſet leuioris conditionis eſſe eum, qui vi rapit, quam qui clam amouet.

Aduerſus quos datur.

1. Ita tamen competit hæc actio, ſi dolo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens iuris, eo animo rapuerit, quaſi domino liceat etiam per vim rem ſuam auferre a poſſeſſoribus; abſolui debet. Cui ſcil. conueniens eſt, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitan-

tur *Conſtit. Crim. art.* 126. & corpus rotæ imponitur. Carpz. *Pr. Cr. q.* 90. *n.* 12. Quodſi homicidium ſimul commiſſum, *latrocinium* vocatur, & contuſio membrorum dictari ſolet. *Conſt. crim. art.* 137.

Vi rapit.) In hoc differt rapina a furto, quod illa *vi*, hoc *clam* fiat. Sola enim violentia rapinam a furto diſtinguit. Et quamuis furtum quoddam dicatur violentum, hic tamen *rei* tantum vis infertur; in rapina *perſonæ*.

Ad §. 1. *Rem ſuam*) Si ergo res ipſius non fuerit, vt ſi creditor pignus ſubripiat, omnino hac actione tenetur *l.* 2. §. 18. *h. t.*

Imprudens iuris) Hoc eſt, ex ignorantia iuris. Nota, etiam ignorantiam iuris excuſare a dolo, licet non excuſet a culpa.

Abſolui debet) Ab hac actione. *Diua-*

gitantur, inueniatur via, per quam raptores impune suam exerceant auaritiam, melius diualibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, vt nemini liceat vi rapere vel rem mobilem, vel se moventem, licet suam eandem rem existimet. Sed, si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere: sin autem aliena res sit, post restitutionem eius, etiam æstimationem eiusdem rei præstare. Quod non solum in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, constitutiones obtinere censuerunt: sed etiam in inuasionibus, quæ circa res soli fiunt: vt ex hac causa ab omni rapina homines abstineant.

Quibus datur.

2. Sane in hac actione non vtique expectatur, rem in bonis actoris esse. Nam siue in bonis sit, siue non: si tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare siue locata

---

Diualibus constitutionibus) Quæ extant *in l.* 13. *ff. quod met. caus.* & *l.* 7. *C. vnde Vi*, quarum illa de re *mobili*, hæc de re *immobili* per vim occupata, agit.

Ad §. 2. *In bonis*) S. in patrimonio L. 32. *pr.* & §. 1. *ff. ad l. Falc.* seu in qua ius quoddam reale habemus *l.* 49. *ff. de V. S.*

Ex bonis) Cuius custodia ad nos pertinet, ita, vt hac omissa, domino obligemur ad satisfactionem, vti patet ex subiectis exemplis.

Culpam

cata, siue commodata, siue etiam pignorata, siue deposita sit res apud Titium, sic vt intersit eius, eam rem per vim non auferri (veluti, si in deposita re culpam quoque promisit,) siue bona fide possideat, siue vsumfructum quis habeat in ea, vel quid aliud iuris, vt intersit eius non rapi: dicendum est, ei competere hanc actionem, non vt dominium accipiat: sed illud solum quod ex bonis eius, qui rapinam passus est, id est, quod ex substantia eius ablatum esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus caussis furti actio competit in re clam facta, ex iisdem caussis omnes habere hanc actionem.

Titvlvs III.

D. IX. 2. C. III. 35.

DE LEGE AQVILIA.

Caput primum.

Damni iniuriæ actio constituitur per legem Aquiliam. Cuius primo capite

---

Culpam quoque promisit) Nam sic & actionem furti habet depositarius *l.* 2. §. 23. *ff. h. t.* supposito tamen, culpa vel negligentia eius rapinam commissam: nam si tanta vis, cui resistere non potueris, aliud dicendum.

Ex iisdem) Modo vis accesserit.

TITVLVS III.

Ad pr. *Damni*) Per hoc intelligitur omnis deminutio patrimonii, culpa alterius contingens.

Homi-

te cautum est: vt, si quis alienum hominem, alienamue quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur.

De quadrupede.

1. Quod autem non præcise de quadrupede, sed de ea tantum, quam pecudum numero est, cauetur, eo pertinet, vt neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus: sed de iis tantum, quæ gregatim proprie pasci dicuntur, quales sunt, equi, muli, asini, oues, capæ. De suibus quoque idem placuit. Nam & sues pecudum appellatione continentur: quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssea ait, sicut Ælius Martianus in suis institutionibus refert.

Δήεις

Hominem) H. e. seruum; nam sub voce *hominis* simpliciter posita, intelligitur seruus.

In eo anno) Retrorsum computato *l.* 21. §. 1. *ff. h. t.* & quidem *a die vulneris accepti*, si post longum interuallum demum mortuus fuerit *d. l.* 21. *&* *l.* 51. §. 2. *ff. h. t.* Quodsi mox decesserit, *a die mortis* computatur annus *d. l.* 52. §. 2.

Ad §. 1. *Neque de canibus)* De his enim agitur in capite tertio. §. 13. *h. t.*

De suibus) Reliqua enim animalia omnia dum viuunt vtilitatem præstant: non sues, sed postquam occisi.

Hoc

Δήεις τόνγε σύεσσι παρήμενον, οἱ δὲ νέμονται.
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

Hoc eſt:

Aſſidet is ſuibus, quorum grex magnus in agris
Paſcitur, ad Coracis ſaxum, fontemque Arethuſam.

De iniuria.

2. Iniuria autem occidere intelligitur, qui nullo iure occidit. Itaque qui latronem occiderit, non tenetur, vtique ſi aliter periculum effugere non poteſt.

De caſu, dolo, culpa.

3. Ac ne is quidem hac lege tenetur, qui caſu

Hoc eſt) Alia verſio eſt Marciani ICti in L. 65. §. 4. *ff. de leg.* 3.

Inueniens hunc ſuibus aſſidentem, qua paſcuntur
Iuxta Coracis Saxum, iuxtaque fontem Arethuſam.

Ad §. 2. *Nullo iure)* H. e. ad quod nullum ius habuit. Licet ſine dolo fecerit, nam & culpa ſufficit *L.* 5. §. 1. *ff. h. t.*

Non tenetur) Nam quod quisque ad tutelam corporis ſui fecerit, hoc iure feciſſe exiſtimandus eſt *l.* 3. *ff. de I. & I.*

Effugere non poteſt) In hoc conſiſtit forma moderaminis *inculpatæ tutelæ*. Vt ſc. alter me inuadat *l.* 3. *C. ad L. Corn. de Sicar.* periculum vitæ immineat *l.* 4. *C. eod. l.* 5. *pr. ff. h. t.* & ego ſine nece inuaſoris periculum effugere nequeam *l.* 45. §. *pen. h. t.*

Ad

casu occidit: si modo culpa eius nulla inueniatur. Nam alioqui non minus ex dolo quam ex culpa, quisque hac lege tenetur.

De iaculatione.

4 Itaque si quis, dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. Nam, si id a milite in eo campo, vbi solitum est exercitari, admissum est, nulla culpa eius intelligitur: si alius tale quid admiserit, culpæ reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quam qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.

De putatione.

5. Item, si putator ex arbore deiecto ramo

Ad §. 3. *Culpa eius nulla*) Nam & leuissima culpa damnum datum resarciendum, si ex lege Aquilia agatur *l.* 44. *ff. h. t.* Si modo damnum ex alterius facto culposo persequatur, veluti si sutor forma calcei percusserit ceruicem pueri, vt oculus ei suffoderetur, *l.* 5. *in fin. ff. h. t.* Aliud si per accidens damnum sequatur, veluti si vulneratus, dum medicum non adhibet, moriatur, vbi Vulnerans non de occiso, sed de vulnerato tenetur *l.* 30. §. *fin. h. t.*

Ad §. 4. *Nulla culpa eius*) Quia in re licita versatur, & quidem licito modo, & alter non debebat ibi intempestiue iter facere *l.* 9. §. *fin. ff. h. t.*

Si alius) Quia non conuenit iaculis ludere, in loco sibi non competente *d. l.* 9. §. *fin.*

In alio loco) Nam sic vtut in re licita versetur sit tamen illud non opportuno loco, & hinc modo illicito.

Ad

mo seruum tuum transeuntem occiderit; si prope viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset, culpae reus est: sed si proclamauit, nec ille curauit praecauere, extra culpam est putator. Æque extra culpam esse intelligitur, si seorsim a via forte, vel in medio fundo caedebat, licet non proclamauit: quia in eo loco nulli extraneo ius fuerat versandi.

De curatione relicta.

6. Praeterea si medicus, qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem eius; & obid mortuus fuerit seruus, culpae reus erit.

De imperitia medici.

7. Imperitia quoque culpae adnumeratur:

Ad §. 5. *Vicinalem*) Vtut enim haec priuata sit, vsum tamen publicum habet *l.* 2. §. 22. *ff. ne quid in loc. publ.*

Licet non proclamauit) Hoc ita, si nesciuerit, aliquem ibi ire *l.* 31. *ff. h. t.* Quod si tamen videat aliquem euntem, etiam tunc proclamare tenetur, alias in dolo esset.

Ad §. 6. *Dereliquerit curationem*) Itaque negligentia in medico, qui aegroto adesse poterat, & debebat, sic coercetur *l.* 5. *pr. ff. h. t.*

Mortuus) Medico quidem euentus mortalitatis non imputatur; si tamen per culpam vel imperitiam quid deliquit, vtique tenetur *l.* 6. §. 7. *ff. de Offic. Praesid.*

Ad §. 7. *Culpae adnumeratur*) Nemo enim debet profiteri artem, quam non intelligit *l.* 132. *d. R. I.*

Ad

tur: veluti, ſi medicus ideo ſeruum tuum occiderit, quia male eum ſecuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.

De imperitia & infirmitate.

8. Impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, ſi ſeruus tuus oppreſſus fuerit, culpæ reus eſt mulio. Sed & ſi propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cum alius firmior eas retinere potuiſſet, æque culpæ tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cum equo veheretur, impetum eius aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam ſuam retinere non potuerit.

Quanti damnum æſtimatur.

9. His autem verbis legis, *Quanti id eo in anno plurimi fuerit*, illa ſententia exprimitur, vt ſi quis hominem tuum, qui hodie claudus, aut mancus, aut luſcus erit, occiderit, qui in eo anno integer, aut pretioſus fuerit, non tanti teneatur, quanti hodie erit, ſed quanti in eo anno plurimi fuerit. Qua ratione creditum eſt, pœnalem eſſe huius legis actio-

Ad §. 8. *Propter infirmitatem*) Non enim debuit affectare id, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam aliis periculoſam futuram *l.* 8. §. 1. *ff. h. t.*

Retinere) Niſi hoc contingat ſubitanea equi conſternatione, forte in rabiem vergente, **wann das Pferd kollrend wird.**

Ad §. 9. *Pœnalem eſſe*) Hodie tantum æſtimatio

actionem: quia non solum tanti quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquando longe pluris. Ideoque constat, in heredem eam actionem non transire: quæ transitura fuisset, si vltra damnum nunquam lis æstimaretur.

Quid æstimatur.

10. Illud non ex verbis legis, sed ex interpretatione placuit, non solum perempti corporis æstimationem habendam esse, secundum ea, quæ diximus: sed eo amplius, quidquid præterea perempto eo corpore damni nobis allatum fuerit: veluti si seruum tuum

---

tio præstari solet ex eo tempore, quo damnum contingit. Brunn. *ad l.27.h.t. num.7.* Carpz. *P.4. C.37. d. 8.* & sic non amplius pœnalis est hæc actio.

Non transire) Potissimum quia ex delicto est §. 1. *Inst. de perpet. & temp. act.* Inde nec hodie contra heredes transit, vtut enim non amplius pœnalis sit, est tamen adhuc ex delicto.

Æstimaretur) Hoc dubium, cum actiones ex delicto in heredem non competant, licet nude rem persequatur Actor *l. 4. §. fin. & l. 7. ff. de alien. iud. mut. caus.* excepta sola condictione furtiua *l. 9. ff. de Cond. furt.* Itaque hoc intelligendum de casu, si heres inde locupletior factus *l. 23. §. 8. ff. h. t.* vel lis cum defuncto contestata *l. vn. C. ex delict. def.* aut restringendum ad L. Aquiliam, vbi etiam culpa vindicatur, nec ad dolum respicitur.

Ad §. 10. *Illatum fuerit)* Re vera; nec enim illud damnum ex affectione, sed ex veritate æstimandum *L. 33. ff. h. t.*

Ad

tuum heredem ab aliquo institutum, ante quis occiderit, quam is iussu tuo hereditatem adierit. Nam hereditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si ex pari mularum vnam, vel ex quadrigis equorum vnum quis occiderit, vel ex comœdis vnus seruus occisus fuerit, non solum occisi fit æstimatio, sed eo amplius id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui supersunt.

De concursu huius actionis, & capitalis.

11. Liberum autem est ei, cuius seruus occisus fuerit, & ex iudicio priuato legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis eum reum facere.

Caput secundum.

12. Caput secundum legis Aquiliæ in vsu non est.

Caput tertium.

13. Capite tertio de omni cetero damno cauetur. Itaque si quis seruum, vel eam qua-

Ad §. 11. *Capitalis criminis*) Lex Aquilia enim læso satisfactionem præstat. Sed publico pariter satisfaciendum criminali iudicio ex L. Cornelia de Sicariis. Modo tamen dolo homicidium commissum *l.* 23. §. *si dolo* 9. *ff. h. t.* non culpa *l.* 7. *ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Ad §. 12. *Vsu non est*) Otiosa ergo opera est, inquirere, de qua re egerit; de hoc tamen prolixe sollicitus fuit Freher. *lib.* 2. *Parerg. c.* 3.

Ad §. 13. *De omni cetero*) In quacunque re; & quæ-

quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, uulnerauerit; ſiue eam quadrupedem, quæ pecudum numero non eſt, veluti canem aut feram beſtiam, vulnerauerit, aut occiderit: hoc capite actio conſtituitur. In ceteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per iniuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim vſtum, aut ruptum aut fractum fuerit, actio ex hoc capite conſtituitur. Quanquam poterat ſola rupti appellatio in omnes iſtas cauſas ſufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum eſt. Vnde non ſolum fracta, aut vſta, ſed etiam ſciſſa, & colliſa, & effuſa, & quoquo modo perempta atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Denique reſponſum eſt, ſi quis in alienum vinum aut oleum id miſcuerit, quo naturalis bonitas vini aut olei corrumperetur, ex hac parte legis Aquiliæ eum teneri.

De dolo & culpa.

14. Illud palam eſt, ſicut ex primo capite demum quisque tenetur, ſi dolo aut culpa eius homo aut quadrupes occiſus occiſaue fuerit; ita & hoc capite de dolo aut culpa, & de

quocunque modo hoc datum fuerit, modo non caſu.

Vulnerauerit) Sed ſi ex illo vulnere mortuus, recurritur ad I. caput. *l.* 15. §. I. & *l.* 46. *ff. h. t.*

Ad

& de cetero damno quemque teneri: ex hoc tamen capite non quanti eo anno, ſed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is qui damnum dederit.

Quanti damnum æſtimatur.

15. At nec *plurimi* quidem verbum adiicitur. Sed Sabino recte placuit, perinde habendam æſtimationem, ac ſi etiam hac parte *plurimi* verbum adiectum fuiſſet. Nam plebem Romanam, quæ Aquilio tribuno interrogante hanc legem tulit, contentam fuiſſe, quod prima parte eo verbo vſa eſſet.

De actione directa, vtili, & in factum.

16. Ceterum placuit, ita demum directam ex hac lege actionem eſſe, ſi quis præcipue corpore ſuo damnum dederit. Ideoque in eum, qui alio modo damnum dederit, vtiles actiones dari ſolent: veluti, ſi quis hominem alienum, aut pecus ita incluſerit, vt fame necaretur: aut iumentum ita vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus in tantum exagitauerit, vt præcipitaretur: aut; ſi quis alieno

Ad §. 14. *In diebus triginta*) Hodie inter hoc & primum caput non eſt ratione æſtimationis damni differentia. *vid. not. ad* §. 9.

Ad §. 15. *Aquilio tribuno*) Eſt enim lex Aquilia plebiſcitum *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.*

Ad §. 16. *Vtile*) Differunt hæ tres actiones ratione originis, ita vt *directa* ex verbis, *vtilis* ex ratione, *in factum* ex interpretatione, deſcendat. In effectu vero omnes conueniunt *l.* 47. §. 1. *ff. de Neg. geſt.*

alieno seruo persuaserit, vt in arborem adscenderet, vel in puteum descenderet, & is adscendendo, vel descendendo, aut mortuus, aut aliqua parte corporis læsus fuerit, vtilis actio in eum datur. Sed, si quis alienum seruum aut de ponte, aut de ripa in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit; eo quod proiecit, corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi potest: ideoque ipsa lege Aquilia tenetur. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit, cum non sufficiat, neque directa, neque vtilis legis Aquiliæ actio; placuit eum, qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri, veluti, si quis misericordia ductus, alienum seruum compeditum soluerit, vt fugeret.

TITV-

Si non corpore) Ex modo damni etiam distinguuntur illæ actiones: *si corpore in corpus* damnum datum, competit actio directa. *Si corpore in non corpus*, datur vtilis: *si non corpore, nec in corpus* e. g. si pecus inclusum quis dimiserit, vel fumo apes fugauerit *l.* 49. *pr. ff. h. t.* datur in factum.

In factum actione) Hæc aliquando latius sumitur, & actionem vtilem comprehendit *l.* 7. §. 3. *l.* 9. *pr.* *l.* 11. §. 8. *ff. h. t.*

Misericordia) Intempestiua misericordia est noxia *l. si hominem* 7. §. 7. *ff. depos.* Illustr. Dn. de Rhetz. *Diss. de Misericord. intempestiua.*

TITV-

Titvlvs IV.

D. XLVII. 10. C. IV. 35.

DE INIVRIIS.

Iniuria quod modis accipitur.

GEneraliter iniuria dicitur omne, quod non iure fit: ſpecialiter, alias contumelia, quæ a contemnendo dicta eſt, quam græci ὕβριν appellant: alias culpa, quam græci ἔγκλημα dicunt, ſicut in lege Aquilia damnum iniuria datum accipitur: alias iniquitas & iniuſtitia, quam græci ἀνομίαν καὶ ἀδικίαν vocant: cum enim prætor vel iudex non iure contra quem pronunciat, iniuriam accepiſſe dicitur.

Quibus modis fit iniuria.

1. Iniuria autem committitur, non ſolum

TITVLVS IV.

Ad pr. *Contumelia*) Quo ſenſu hic etiam accipitur iniuria. & omne verbum vel factum denotat, quo quis contemtibilior redditur.

A contemnendo) Hinc animus doloſus & iniuriandi requiritur ad iniuriam *l.* 5. *C. h. t.* qui præſumitur ex facto atroci *l.* 1. *C. ad L. Cornel. de Sicar.* & ex verbis per ſe probroſis *d. l.* 5. qui ſi auſit, nec veritas conuicii excuſat: niſi crimen debito loco & modo fuerit manifeſtatum *l.* 18. *ff. h. t.* & *l.* 5. *C. eod.*

ἀνομίαν) Huc pertines illud 1. *Ioann.* 5. *v.*17. ἁμαρτία ἐστιν ἀνομία.

lum, cum quis pugno pulsatus, aut fustibus cæsus, vel etiam verberatus erit: sed & si cui conuicium factum fuerit, siue cuius bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat, nihil eum sibi debere: vel, si quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, aut historiam scripserit, composuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret,

---

Ad §. 1. *Pulsatus*) Hæc est iniuria *realis*, quæ fit facto, quo & gestus & habitus in alterius contumeliam directi pertinent *l.* 15. §. 1. & §. 27. *ff. h. t.*

Conuicium factum) Hæc *verbalis* iniuria est, & fit verbis vel *ore* prolatis, vel *scripto* comprehensis. In specie *conuicium* dicitur quasi *conuocium*, quando plures in vnum voces iniuriosas conferant *l.* 15. §. 4. *h. t.*

Possessa fuerint) Hæc iniuria adhuc realis est quia facto fit. *l.* 15. §. 2. & 33. *h. t.* modo possidens sciuerit, ipsum non esse debitorem, per verba: *qui intelligebant.*

Libellum aut carmen) Hinc vocatur *libellus famosus*, quo certum crimen alicui obiicitur & in vulgus spargitur, *l. Vn. C. de famos. libell.* vulgo ein Pasquill. Vbi in specie requiritur vt nomen autoris non fuerit adiectum *l.* 5. §. 9. *ff. h. t.* Const. Crim. *art.* 110. Huic talis pœna statuta, qualem meretur crimen quod alteri obiectum *d. l. vn.* & *d. art.* 110. Quod tamen hodie non obseruatur. Quodsi certum crimen non obiectum, sed alter Satyricis verbis traductus, vel si certum crimen obiectum autor tamen nomen suum subscripsit, vocatur *iniuria scripta.*

Ma-

ret, siue quis matremfamilias aut prætextatum prætextamue adsectatus fuerit: siue cuius pudicitia attentata esse dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti iniuriam, manifestum est.

Qui & per quos iniuriam patiuntur.

2. Patitur autem quis iniuriam non solum *per semetipsum*; sed etiam *per liberos suos*, quos in potestate habet: item per vxorem suam: id enim magis prævaluit. Itaque, si filiæ alicuius, quæ Titio nupta est, iniuriam feceris, non solum filiæ nomine tecum iniuriarum agi potest, sed etiam patris quoque & mariti nomine. Contra autem

---

Matremfam.) Hoc est honestam feminam; nam neque nuptiæ, neque natales, sed boni mores matremfam. faciunt *l.* 1. §. *vlt. ff. de lib. exhib.*

Prætextatum prætextatamue) H. e. puerum puellamue. Erat enim prætexta puerile vestimentum *l.* 23. §. 2. *de aur. & arg. leg.*

Pudicitia attentata) Quod etiam fit, si quis virgines *appellet; L.* 15. §. 15. *ff. h. t.* Appellare autem est blanda oratione alterius pudicitiam attentare. *d. l.* 15. §. 20. Quo & pertinet qui *adsectatur* feminam, h. e. qui tacitus frequenter sequitur. *d. l.* 15. §. 22.

Ad §. 2. *Per liberos &c.*) Modo iniuriam inferens sciuerit eas personas alterius potestati, vel affectioni, esse subiectas *l.* 18. §. *pen. vlt. ff. h. t.*

Per vxorem) Item *sponsam L.* 15. §. 24. *ff. h. t.*

tem, si viro iniuria facta sit, vxor iniuriarum agere non potest. Descendi enim vxores a viris, non viros ab vxoribus æquum est. Sed & socer nurus nomine, cuius vir in eius potestate, iniuriarum agere potest.

De seruo.

3. Seruis autem ipsis quidem nulla iniuria fieri intelligitur, sed domino per eos fieri videtur: non tamen iisdem modis, quibus etiam per liberos & vxores: sed ita, cum quid attrocius commissum fuerit, & quod aperte ad contumeliam domini respicit: veluti, si quis alienum servum atrociter verberauerit: & in hunc casum actio proponitur. At si quis seruo conuitium fecerit, vel pugno eum percusserit, nulla in eum actio domino competit.

De seruo communi.

4. Si communi seruo iniuria facta sit, æquum est, non pro ea parte, qua dominus quisque est, æstimationem iniuriæ fieri, sed ex

---

Agere non potest) Nisi iniuria vxorem simul tangat *l.* 5. *C. qui accusar.* veluti si maritum quis *lenonem* dixit.

Ad §. 3. *Nulla iniuria*) Quia pro ciuiliter mortuis habentur *l.* 32. *de R. I.*

Contumeliam Domini) Ergo iniuria ex intentione inferentis æstimatur.

Domino competit) Prætor tamen nec hanc malitiam inultam relinquit *l.* 25. §. 34. *ff. h. t.*

Ad

ex dominorum persona, quia ipsis fit iniuria.

De seruo fructuario.

5. Quod si vsusfructus in seruo Titii est, proprietas Mæuii, magis Mæuio iniuria fieri intelligitur.

De eo, qui bona fide seruit.

6. Sed si libero homini, qui tibi bona fide seruit, iniuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine is experiri poterit. Nisi in contumeliam tuam pulsatus sit: tunc enim competit & tibi iniuriarum actio. Idem ergo est & in seruo alieno bona fide tibi seruiente; vt toties admittatur iniuriarum actio, quoties in tuam contumeliam iniuria ei facta sit.

Pœna iniuriarum.

7. Pœna autem iniuriarum ex LL. XII. Tabb. propter membrum quidem ruptum ta-

Ad §. 4. *Ex dominorum persona*) Id est ex conditione & qualitate dominorum, hæc enim auget vel minuit iniuriam §. 7. *h. t.*

Ad §. 5. *Intelligitur*) H. e. præsumitur, nisi iniuria expresse in Titii contumeliam tendat.

Ad §. 6. *In contumeliam tuam*) Hoc ad nostros famulos applicari potest: nam & hi liberi homines sunt, & sic ipsi vindicant iniuriam. Dominus non aliter, quam si appareat, famulos eius intuitu, & in ipsius contumeliam, iniuria adfectos esse. Quod etiam præsumitur, si in nostris operis occupatum seruum sciens alter iniuria adfecerit.

Ad

talio erat, propter os vero fractum nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea prætores permittebant ipsis, qui iniuriam passi sunt, eam æstimare: vt iudex vel tanti reum condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem iniuriæ, quæ ex lege XII. tabularum introducta est, in desuetudinem abiit: quam autem prætores introduxerunt, quæ etiam honoraria appellatur, in iudiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem, crescit aut minuitur æsti-

Ad §. 7. *Talio*) Et hæc iure diuino locum habuit *Exod.* 21. *v.* 24. *Deut.* 19. *v.* 21.

Nummariæ) Erat hæc XXV. assium, duorum realium cum dimidio Zoes. *ad ff. h. t. n.* 12.

Æstimare) Inde nascitur *actio æstimatoria*. Vbi actor æstimat iniuriam, iudex vero pro qualitate personæ iniuriam passæ moderatur *l.* 37. *in ff. h. t.* Quæ tamen actio ab iniquitate liberari nequit ceu in genere *omnis actio iniuriarum*, quia ad *vindictam* tendit, christianismo est contraria: Differt ab actione æstimatoria, actio ad *palinodiam s. recantationem* vt per reuocationem iniuriam fama læsi, ex sententia vulgi ablata, quodammodo restituatur; inde rei persecutoriam dicunt hanc actionem. Gail. *l.* 1. *obs.* 65. *n.* 5. Frequentius iniungitur reis, vel *deprecatio*, vel, quod adhuc minus est, *declaratio honoris*, vid. Carpz. *Pr. Cr. qu.* 94. *n.* 18.

Secundum gradum dignitatis) Quomodo æstimanda sit iniuria, prolixius traditur *in* §. 9.

Ad

æstimatio iniuriæ. Qui gradus condemnationis & in seruili persona non immerito seruatur.: vt aliud in seruo actore, aliud in medii actus homine, aliud in vilissimo vel compedito ius æstimationis constituatur.

De Lege Cornelia.

8. Sed & lex Cornelia de iniuriis loquitur, & iniuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem, quod se pulsatum quis verberatumue, vel domum suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, siue in propria domo quis habitet, siue in conducta, siue gratis, siue hospitio receptus sit.

De æstimatione atrocis iniuriæ.

9. Atrox iniuria æstimatur vel ex facto; veluti, si quis ab alio vulneratus sit, vel fustibus cæsus: vel ex loco: veluti, si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris iniu-

Ad §. 8. *Iniuriarum actionem*) Tam *ciuilem*, qua ad pœnam sibi applicandam actor agit *l.* 37. §. 1 *ff. h.t.* & ad hanc iuramenti delatio restringenda est in *l.* 5. §. 8. *ff. h. t.* *quam criminalem*, qua ad pœnam publicam agitur *l.* 12. §. *fin. ff. de accusat.*

Pulsatum) Ob aliam iniuriam præter has tres enumeratas, ex lege Cornelia agi non potest *l.* 5.

Verberatum) Verberare est cum dolore cædere; pulsare sine dolore *l.* 5, §. 1. *ff. h. t.*

Ad §. 9. *Theatro*) Multo magis in residentia principis, ob loci sanctitatem, vid. Diss. nostra *de Sanctitate Residentiarum.*

Si in oculo) Deformitatis tamen & cicatri-

iniuria facta ſit: vel ex perſona; veluti, ſi magiſtratus iniuriam paſſus fuerit: vel ſi ſenatori ab humili perſona iniuria facta ſit, aut parenti patronoue fiat a liberis vel libertis: aliter enim ſenatoris & parentis patronique, aliter extranei & humilis perſonæ iniuria æſtimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit; veluti, ſi in oculo quis percuſſus fuerit. Parui autem refert, vtrum patrifamilias, an filiofamilias talis iniuria facta ſit: nam & hæc atrox iniuria æſtimabitur.

De iudicio ciuili & criminali.

10. In ſumma, ſciendum eſt, de omni iniuria eum, qui paſſus eſt, poſſe vel criminaliter agere, vel ciuiliter. Et ſi quidem ciuiliter agitur; æſtimatione facta, ſecundum quod dictum eſt, pœna reo imponitur. Sin autem criminaliter; officio iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet obſeruando, quod Zenoniana conſtitutio introduxit; vt viri illuſtres, quique ſuper eos ſunt,

---

ricum ratio haberi non debet *L. vlt. ff. de his qui eſfud. vel deiec.* Niſi forte in femina, cui forma pro dote. Quamuis *d. l. fin.* ad æſtimationem damni ſit reſtringenda. Alia ratio eſt in æſtimatione iniuriæ.

Ad §. 10. *Conſtitutio*) Quæ extat *in L. vlt. C. h. t.*

Viri illuſtres) Hodie quilibet priuatus etiam, quia ceſſat inſcriptionis neceſſitas *Conſt. Crim. art.* 12.

sunt, & per procuratores possint actionem iniuriarum criminaliter vel persequi, vel suscipere, secundum eius tenorem, qui ex ipsa manifestius apparet.

Qui tenentur iniuriarum.

11. Non solum autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, id est, qui percussit: verum ille quoque tenetur, qui dolo fecit iniuriam, vel qui procurauit, vt cui mala pugno percuteretur.

Quomodo tollitur hæc actio.

12. Hæc actio dissimulatione aboletur. Et ideo, si quis iniuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non reuocaverit

---

Criminaliter) Nam ciuiliter quilibet per procuratorem experiri potest. L. 11. §. 2. *h. t.* L. 42. §. 1. *ff. de procur.*

Ad §. 11. *Procurauit*) Modo etiam iniuria reuera secuta *l.* 15. §. 10. *ff. h. t.*

Ad §. 12. *Dissimulatione*) Si non mox ad animum reuocata, hoc enim facto, non nocebit alterius silentium. Item *retorsione.* Quia paria delicta mutua compensatione tolluntur L. 39. *ff. sol. matr.*

Aboletur) Item *præscriptione* annali in actione æstimatoria *l.* 5. *C. h. t.* Vicennali, si ex *L.* Cornelia criminaliter agatur *l.* 12. *C. ad L. Corn. de fals.* Vel ex famoso libello, nam & huius vindicta ex iure ciuili est *l. vn. C. de fam. libell.* Tricennali, si ex lege Cornelia agatur ciuiliter *arg. pr. Inst. de perpet. & temp. act.* Quo tempore & actio ad palinodiam præscribitur, quia ex consuetudine est, & quodammodo rei persecutoria.

TITV-

vocauerit; postea ex pœnitentia remissam iniuriam non poterit recolere.

TITVLVS V.

DE OBLIGATIONIBVS, QVÆ QVASI EX DELICTO NASCVNTVR.

Si iudex litem suam fecerit.

SI iudex litem suam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur: sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus

gatus

TITVLVS V.

Ad Rubr. *Quasi ex delicto*) Nota: Ius nostrum non vocat *quasi delictum*, sed obligationem quasi ex delicto. Communiter describitur quasi delictum, vbi quis facto per se licito sed male applicato per consequentiam læditur. Frantzk. *ad Inst. h. l. n.* 2. Licitum enim est, iudicare, deiicere, effundere, familiam conducere, caute tamen in his procedendum erat. Vel clarius dicitur quasi delictum, vbi quis *ex facto quidem illicito sed non proprio, verum tantum imputato* conuenitur. In solo iudice per imperitiam iudicante est factum proprium; Sed huic imputatur quod peritiores non consuluerit.

Ad pr. *Litem suam fecerit*) Male & per imperitiam iudicando. Nam hoc dum iudex facit, litem in se transfert & læso ad reparationem damni tenatur. Nec obstat, quod appellare debuisset læsus; nam tempus interponendæ appellationis elapsum ius quidem facit alteri parti, qui victricem sententiam reportauit, non vero excusat iudicem. Vid. Ziegl. *in Dicastice Concl.* 45. §. 5.

Neque ex maleficio) Nisi dolose male iudicauerit

vbi

gatus est, & vtique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam; ideo videtur quasi ex maleficio teneri; & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit.

De deiectis, vel effusis.

1. Item is, ex cuius cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum effusumue aliquid est, ita vt alicui noceret; quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non proprie, ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, aut serui, aut

---

vbi ex vero delicto ad omnem litis æstimationem tenetur, & infamis fit. *L. vlt. C. de pœn. iud. mal. iudic. L.* 15. §. 1. *ff. de iudic.*

Per imprudentiam) Modo sit magna imprudentia; secus si quæstio sit dubia, vel iudex vota maiora assessorum sequi necessum habuerit. *l.* 2. *ff. quod quisque iur. in alt. stat.*

Teneri) Et quidem actione *in factum* vel *de syndicatu*, quorsum refertur omne, quicquid circa administrationem iustitiæ peccatum. Vid. Paris de Puteo *tr. de Syndicatu.*

Ad § 1. *Deiectum effusumue*) In eum locum vbi vulgo iter fit *l.* 1. §. 1. *&* 2. *ff. de his qui effud. deiec.* & quidem die, non nocte, nisi moris ibi sit, & noctu ire, *l.* 6. *ff. d. t.*

Ob alterius culpam) Nam tenetur, etiamsi ipse non deiecerit, vel effuderit sc. ob culpam imputatam, dum in receptione familiæ & aliorum sibi non satis prospexit *l.* 1. §. 4. *d. t.* Habet tamen contra deiicientem regressum, actione locati *l.* 5.

Ll §. 4.

aut liberi. Cui similis est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit alicui nocere: quo casu pœna decem aureorum constituta est. De eo vero, quod deiectum effusumue est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem vero liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Si vero viuat, nocitumque ei esse dicatur, quantum ob eam rem æquum Iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedes medicis præstitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est, ob id, quod inutilis est factus.

De filiofamilias seorsum habitante a patre.

2. Si filiusfamilias seorsim a patre habitaverit, & quid ex cœnaculo eius deiectum effusumue fuerit, siue quid positum suspensumue habuerit, cuius casus periculosus est: Iuliano placuit, in patrem nullam esse actionem

---

§. 4. *eod.* Ipse si deiecerit, ex vero delicto, & quidem ex L. Aquilia, tenetur.

Suspensum habet) Siue ipse posuerit, siue alius *l.* 5. §. 10. *ff. de his qui effud. l. deiec.*

Quod potest) Etiamsi nondum nocuerit. L. 5. §. 11. *eod.* securitati enim locorum publicorum hic prospiciendum fuit *l.* 5. §. 6. *d. t.*

Inutilis factus) Conuenit hoc cum iure diuino *Exod.* 21. *v.* 19.

Ad

nem, ſed cum ipſo filio agendum eſſe. Quod & in filiofamilias iudice obſeruandum eſt, qui litem ſuam fecerit.

De damno in naui, aut caupona, dato.

3. Item exercitor nauis, aut cauponæ, aut ſtabuli, de dolo, aut furto, quod in naui, aut caupona, aut ſtabulo factum erit, quaſi ex maleficio teneri videtur; ſi modo ipſius nullum eſt maleficium, ſed alicuius eorum, quorum opera nauem, aut cauponam, aut ſtabulum

---

Ad §. 2. *Nullam eſſe actionem*) Ex delicto enim filii pater non tenetur. §. *vlt. infra de Noxal. act.* Etiamſi peculium filius habeat *l.* 58. *de R. I.* hoc enim ad contrahendum, non ad delinquendum datum eſt *l.* 1. §. 7. *ff. de his qui effud.*

Cum ipſo filio) Qui ſi condemnatus ſit, tum pater ſatisfacere tenetur ex peculio *l.* 57. *ff. de Iudic.* L. 84. *ff. de ſolut.* Sic enim actio prior nouata, & ex iudicato tanquan quaſi contractu, tenetur *L.* 3 §. 11. *de pecul.*

Litem ſuam) Scil. vt pater non teneatur in ſolidum, interim peculiotenus *l.* 15. *pr. h.*

Ad §. 3. *Exercitor*) Talis eſt is ad quem commoda & reditus nauis aut cauponæ pertinent *l.* 1. §. 15. *ff. de Exercit. Act.*

Nullum eſt maleficium) H. e. modo non ipſe furtum fecerit, vel damnum dederit; tunc enim ipſe actione furti, vel L. Aquiliæ tenetur.

Quorum opera) Nam imputatur exercitori, vel cauponi, vel ſtabulario, quod opera malorum hominum vtatur. Hinc ob furtum ab vxore vel liberis factum hac actione non tenetur. L. *fin.* §. 4. *ff. Naut. caup. ſtab.* L. *vn.* §. *fin. ff. furti adverſ. caup.*

 multo

lum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta hæc actio, & aliquatenus culpæ reus est, quod opera malorum hominum vteretur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ heredi quidem datur, aduersus heredem autem non competit.

TITVLVS VI.

DE ACTIONIBVS.

Continuatio & definitio.

SVperest, vt de actionibus loquamur. Actio

---

multo minus hospitum & viatorum factum præstat *d. l. vn. §. fin. & l.* 6. *§.* 3. *ff. naut. caup.* Nisi ex quasi contractu de recepto agatur, vbi & viatorum factum præstandum L. 1. §. *vlt. L.* 2. *&* 3. *pr. ff. Naut. caup.* & damnum etiam ex leuissima culpa, modo non casu fortuito, datum, reparandum, L. 3. §. 1. *d. t.* Vbi tamen simplum tantum consequitur, hac vero actione ex quasi delicto, duplum, L. *vlt. §. eod. tit. d. l. vn. §.* 2.

Culpæ reus) Hæc est illa culpa imputata, quæ producit quasi delictum.

Non competit) Nisi aliquid ad heredes peruenerit, arg. *l.* 5 *pr. ff. de Calumn.* aliud in condictione furtiua *l.* 9. *ff. de Cond. furtiu.*

TITVLVS VI.

Ad pr. *De actionibus*) Seu remediis, quibus illud quod nostrum est, vel nobis debetur, per iudicem consequimur.

Ius

Actio autem nihil aliud est, quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.

Diuisio prima.

1. Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud iudices arbitrosue de quacunque re quæritur, summa diuisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Namque agit vnusquisque aut

Ius) H. e. facultas nobis a iure indulta, quæ in effectu a remedio iuris non differt.

Persequendi) Alia ratio est exceptionis, quæ est ius excludendi vel repellendi actorem a iudicio *l.* 3. *ff. de except.*

In iudicio) Non extra iudicium priuata autoritate vid. *L.* 13. *ff. quod met. caus. L.* 7. *C. vnde Vi.*

Sibi debetur) Siue ipsa res nobis debeatur, siue restitutio *l.* 9. *ff. de R. V.* Illud ad personalem, hoc ad realem actionem pertinet.

Ad §. 1. *Iudices, arbitrosue*) Per *iudices* intelliguntur illi qui in contractibus stricti iuris iudicant, per *arbitros* qui in contractibus bonæ fidei sententiam dicunt & arbitrantur. *L.* 15. *ff. de Re Iud.* Possunt tamen hæc etiam arbitris compromissariis applicari *l.* 1. *ff. de Rec. arbitr.*

In duo genera) Sed dantur tamen actiones mixtæ §. 20. *h. t.* Quorsum itaque hæc referendæ? Resp. Originetenus sunt reales, sed ratione præstationum aliquid de personalibus participant. Non ergo pro tertia specie venditari possunt. Quia ab istis duobus non sunt distinctæ.

In rem sunt) H. e. *reales*, seu vindicationes *l.* 25. *pr. ff. de O. & A.*

In personam) H. e. *personales*, s. condictiones *d. l.* 25.

aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo casu proditæ sunt actiones in personam; per quas intendit, aduersarium ei dare aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen alicui de aliqua re controuersiam: quo casu pro-

Cum eo, qui ei obligatus) Hic latet effectus actionis personalis, quod illa non detur contra tertium, sed tantum contra eum qui nobis obligatus est *d. l.* 25. *& l.* 13. *C. eod.* exemplum *in l.* 15. *C. de R. V.*

Vel ex contractu) Generalius & accuratius dicitur, obligationem omnem ex *facto* oriri, factum vel *licitum* est vel *illicitum*. Vid. Dn. Parens *Tr. de inuestig. act. sect.* 1. *m.* 1. §. 4. *seqq.*

Aliis quibusdam modis) Quibus nec ad dandum, nec ad faciendum agimus, sed vel ad præstandum aliquid, vel restituendum, veluti actione commodati, depositi, pignoratitia &c.

Qui nullo iure) Hoc est, cuius persona ex nullo præcedente facto ei obligata est.

De aliqua re) Non ergo in obligatione personæ, sed in iure, quod in rem ipsam habemus, se fundat actio realis *d. l.* 25. Quod vocari solet ius in re, vbi ipsa res nobis deuincta est, citra respectum alicuius personæ *L.* 2. *ff. de Pollicit.* Cuius quinque species sunt (1) dominium *l.* 13. §. 1. *C. de Iudic.* Scil. late sumtum, vt & directum & vtile contineat, Brunnem. *in Exercit. h.* (2) Seruitus *l.* 32. *ff. de Noxal. Act.* (3) Ius hereditarium *l.* 5. §. 5. *ff. de his qui effund. l. deiec.* (4) Pignus *d. l.* 30. *& l.* 19. *ff. de damn. inf.* (5) Possessio *arg. l.* 1. §. 1. *ff. de superfic.*

In

proditæ actiones in rem sunt: veluti, si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat. Nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.

De actione confessoria, & negotoria.

2. Æque, si agat quis, ius sibi esse fundo forte,

In rem sunt) Quæ quia in rem dantur, hinc aduersarii ratio non habetur, sed contra quemcunque rei possessorem competunt *l.* 25. *ff. de O. & A.* & hinc etiam in loco rei sitæ intentari possunt. L. 1. *C. vbi in rem act.*

Veluti) Itaque exempli loco hoc tantum adfert Imp. non quod ex solo dominio nascatur actio realis.

Rem corporalem) Nam harum proprie est vindicatio, quia & proprie tantum possidentur. Res incorporales vero s. iura vindicantur actione confessoria, de qua *in seq.* §.

Suam esse affirmet) Probandum itaque in rei vindicatione ex parte actoris dominium *l.* 23. *pr. ff. de R. V.*

Possessor) Hoc alterum est, quod probare teneatur actor, sc. reum rem petitam possidere *l.* 21. *C. de R. V.* Habetur tamen etiam pro possessore, qui vel dolo desiit possidere *l.* 27. §. 3. *ff. h. t.* vel se liti sponte obtulit, actore ignorante, vtrum re vera possideat, an secus *l.* 25. & 26. *ff. eod.*

Se esse dicat) Non tamen opus habet possessor assertione dominii aut tituli allegatione *l. Cogi* 11. *C. de pet. her.* sed sufficit illud ab actore non probari *l. fin. C. de R. V.*

In rem actio est) Et vocatur in specie, *vindicatio. tot. tit. ff. de Rei Vindicatione.*

forte, vel ædibus vtendi fruendi, vel per fundum vicini eundi, agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi, in rem actio est. Eiusdem generis est actio de iure prædiorum vrbanorum: veluti, si quis agat, ius sibi esse altius ædes suas tollendi, prospiciendiue, vel proiiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contra quoque de vsufructu, & de seruitutibus prædiorum rusticorum, item prædiorum vrbanorum, inuicem quoque proditæ sunt actiones: vt si quis intendat, ius non esse aduersario vtendi fruendi, eundi, agendi aquamue ducendi: item, altius tollendi prospiciendiue vel proiiciendi immittendiue: istæ quoque actiones in rem sunt, sed negatiuæ. Quod genus actionis in controver-

---

Ad §. 2. *Vtendi fruendi*) Hæc seruitutum *personalium* species est.

Eundi &c.) Sunt species seruitutum *realium*, & in specie prædiorum rusticorum.

In rem actio est) Quia actor in iure, sibi in ipsam rem competente, se fundat. Quæ actio *confessoria* dicitur, quia actor confitetur sibi seruitutem competere *l.* 2. §. 1. *l.* 6. §. 3. *&* *l.* 7. *ff. si seruit. vind.* & pro vindicandis etiam aliis iuribus competit vid. *cap.* 19. *&* 26. *X. de decim.* Exempla plura recensuit Dn. Schvvendendorf. *in Action. Forens. Expos. spec. sect.* 2. *per* 101.

Sed negatiuæ) Hinc etiam actio *Negatoria* dicitur. Quia possessor fundi negat alteri in suo seruitutem competere *d. l.* 2. *pr.* *&* *l.* 4. §. 2. *&* 7. *eod.* Cuius fundamentum est *libertas naturalis*, pro qua tam-

versiis rerum corporalium proditum non est. Nam in his is agit, qui non possidet: ei vero, qui possidet, non est actio prodita, per quam neget rem actoris esse. Sane vno casu, qui possidet, nihilominus is actoris partes obtinet, sicut in latioribus digestorum libris oportunius apparebit.

De actionibus Prætoris realibus.

3. Sed istæ quidem actiones, quarum mentionem habuimus, & si quæ sunt similes, ex legitimis & ciuilibus causis descendunt: Aliæ autem sunt, quas prætor ex sua iurisdictione comparatas habet tam in rem, quam

---

tamdiu præsumitur, donec probetur contrarium. Hinc deuoluit hæc actio onus probandi in aduersarium; quia affirmans probare debet, *l. 23. C. de probat.* negatiuæ autem nulla probatio *l. 10. C. de N. N. P.* Hæc pariter toties hodie obtinet, quoties actor in libertate communi & naturali se fundat. Dn. Schvvendendorf. *d. l.*

Vno casu) Potest hic vnicus casus intelligi de possessore turbato; inde cum huic varia remedia competant, remittit se propterea Imp. ad digesta vbi in *lib. XLIII*, hæc materia fusius tractatur. Alii casum illum *in l. 9. ff. R. V.* quærunt, si sc. alter, ex voluntate domini, rem penes se habeat, & restituere nolit, vbi dominus quidem adhuc possidet, agere tamen necessum habet contra illum, qui rem non restituit.

Ad §. 3. *Ex sua iurisdictione*) Motus semper æquitate; quam in rem fingebat prætor quædam, quæ reuera ita non erant, vt modo rigorem iuris temperare possit.

quam in personam: quas & ipsas necessarium est exemplis ostendere. Vt ecce, plerumque ita permittit prætor in rem agere, vt vel actor dicat, se quasi vsucepisse, quod non vsuceperit: vel ex diverso possessor dicat, aduersarium suum non vsucepisse, quod vsuceperit.

De Publiciana.

4. Namque si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit (veluti ex causa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum) & necdum eius rei dominus effectus est: si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam persequendam. Quippe ita proditæ sunt iure ciuili actiones, vt quis dominium suum vindicet. Sed quia sane durum erat eo

Ad §. 4. *Tradita fuerit*) Et quidem a non domino, ita vt non propterea vsucapione opus sit.

Dominus effectus) propterea, quod tantum temporis spatium nondum effluxerit, quantum ad vsucapionem requiritur. Oportet itaque vt cetera vsucapionis requisita adfuerint, veluti bona fides *l.* 7. §. 11. *ff. de publ. in rem. act.* iustus titulus *h.* §. 4. & *l.* 13. §. 1. *d. t.* rei traditio *l.* 1. *pr. eod.* Mala fides vero superueniens non nocet *d. l.* 7. §. 12. & 14. neque de iure canonico. Vid. Brunnem. *in Exercitat. h. l.*

Dominium suum) Hoc in vindicante iam adest, sed vindicatur eius exercitium, intutu aduersarii, meum dominium negantis.

Durum erat) Propterea, dum alter minori & infir-

eo casu deficere actionem, inuenta est a prætore actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se vsucepisse, quam vsu non cepit, & ita vindicat suam esse, quæ actio *publiciana* appellatur, quoniam primum a Publicio prætore in edicto proposita est.

De rescissoria.

5. Rursus ex diuerso, si quis cum reipublicæ causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius, qui in ciuitate esset, vsuceperit, permittitur domino, si possessor reipublicæ causa abesse desierit, tunc intra annum

---

infirmiori iure rem possidet, *l.* 1. *& l. vlt. ff. eod.* Quod si ergo eodem iure & pariter bona fide, & iusto titulo alter rem possideat, non competit hæc actio *l.* 9. §. 4. *ff. eod.* Hinc multo minus contra verum dominum datur *l. pen. & vlt. ff. eod.*

Vsu non cepit) Fingit itaque prætor hoc casu vsucapionem esse completam, & sic in tantum hæc actio est realis, quia ex ficto dominio descendit. Non tamen contra omnem possessorem datur, sed eum tantum qui, vt dictum, minori iure rem possidet.

Ad §. 5. *Reip. causa*) Hoc exempli gratia adducit Imp. nam & alia absentia honesta sufficit. *l.* 21. §. 1. *ff. ex quib. caus. mai.* Imo & aliud impedimentum iustum *l.* 1. §. 1. *ff. eod.*

Intra annum) Quia rescindit negotium iure ciuili validum. Alias actiones prætoriæ quæ rem persequuntur sunt perpetuæ *l.* 35. *pr. in fin. ff. de O. & A.* Hic annus autem mutatus in quadriennium continuum *l. fin. C. de in integr. restit.*

Re-

num rescissa vsucapione eam petere, id est, ita petere, vt dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam rem esse. Quod genus actionis quibusdam & aliis, simili æquitate motus prætor, accomodat, sicut ex latiori digestorum seu pandectarum volumine intelligere licet.

De Pauliana.

6. Item, si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit, bonis eius a credito-

---

Rescissa vsucapione) Hinc *actio rescissoria* dicitur, qua prius rescindenda vsucapio, deinde alter ad restitutionem rei adigendus. Vnde in praxi duplex remedium formant *rescindens* & *rescissorium*: quorum illud est, quod tollit impedimentum; hoc, quod sublato impedimento ad repetendam rem competit. Vid. Dn. Parens in *Vsu modern. ff. tit. de integr. restitut.* §. 9. *& seq.*

Petere) H. e. vindicare.

Simili æquitate) Pertinet huc restitutio ex clausula generali prætoria: *Si qua iusta mihi videbitur caussa, in integrum restituam: l.* 26. §. 9. *ff. Ex quib. causs. mai.*

Ad §. 6. *In fraudem creditorum*) Quid sit in fraudem creditorum alienare, supra expositum §. 3. *qui & ex quib. caus. man.* vt sc. re & proposito fraudati fuerint creditores. In vltima tamen voluntate, solus euentus sufficit. *L.* 17. *ff. de mort. caus. don.*

Alicui) Fraudis conscio, in titulis onerosis, aut in lucratiuis, etiam non conscio. *L.* 6. §. 8. *&* 11. *ff. quæ in fraud. cred. l.* 5. *C. de reuocand. his quæ in fraud. cred.* Consciis autem fraudis, pretium non restituitur, nisi illud forte adhuc extet *l.* 7. *&* 8. *ff. quæ in fraud. cred.*

Tradiderit) Etiam ante immissionem credito-rum

ditoribus possessis ex sententia præsidis, permittitur ipsis creditoribus, rescissa traditione, eam rem petere, id est, dicere, eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse.

De Seruiana, & quasi Seruiana, seu hypothecaria.

7. Item seruiana & quasi seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt. Seruiana autem experitur, quis de rebus coloni-

---

rum in bona debitoris *l.* 15. & 17. §. 1. *ff. eod.* nam verba sequentia de tempore intentandæ actionis, non factæ alienationis intelligenda. L. *pen. C. eod.* Brunn. *in Exercit. h. §. n.* 11. Alteri tamen ex creditoribus, si ante immissionem, & motum concursum soluerit, vel rem tradiderit debitor, reliqui creditores actionem non habent *l.* 6. §. 6. & 7. & *l.* 24. *ff. eod.* Quia iura vigilantibus scripta *d. l.* 24.

Possessis) Sc. tempore instituendæ actionis. Et propterea hæc actio *realis* est, quia nascitur ex dominio prætorio.

Rescissa traditione) Nam de iure ciuili valida erat alienatio & subsequens traditio; vtut enim debitor obæratus fuerit, interim tamen non desiit dominus esse, & sic vt dominus rem suam alienare valuit *l.* 26. *in fin. ff. de Contr. empt.* Quia autem illa alienatio fraudulenter facta, hinc eam rescindit prætor. Vnde hæc actio vocatur *Reuocatoria*, item *Pauliana*.

Petere) Itidem intra annum vtilem, siue quadriennium continuum *l.* 6. §. *fin. l.* 10. *pr. ff. quæ in fraud. cred.*

Ad §. 7. *Coloni*) Seu conductoris prædii rustici. *Tenen-*

ni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur. Quasi seruiana autem est, qua creditores pignora hypothecasve persequntur. Inter pignus autem & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest. Nam de qua re inter creditorem & debitorem conuenerit, vt sit pro debito obligata, vtraque hac appellatione continetur. Sed in aliis differentia est. Nam pignoris appallatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione nuda conuentione

---

Tenentur) Vel *expresse*, quæ sc. expressa conuentione alteri obligatæ L. 34. §. *fin. de pign.* vel *tacite* vt fructus L. 7. *pr. ff. in quib. caus. pign. tac. contr.* In prædium vrbanum illata omnia sunt taciti pignoris loco *l.* 5. *C. loc.*

Quantum ad actionem) H. e. datur etiam de pignore actio hypothecaria, veluti si pignus sine facto crediroris ad tertium possessorem peruenerit. Alias inter actionem *pignoratitiam & hypothecariam* multum interest; nam *illa* personalis, ex contractu; *hæc* realis, ex iure pignoris. *Illa* debitori datur contra creditorem, ad restituendum pignus, debito soluto; *Hæc* creditori, contra quemcunque possessorem, ad consequendam possessionem pignoris, debito nondum soluto.

Traditur) Vtut res immobilis sit. Quo pertinet contractus antichreticus.

Nuda conuentione) Alias pacto non constituitur ius reale, sed hic prætor huic pacto assistit, & hanc

ne tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.

De actionibus prætoris personalibus.

8. In personam quoque actiones ex sua iurisdictione propositas habet Prætor: veluti, de pecunia constituta. Cui similis videbatur receptitia. Sed ex nostra constitutione, cum & si quid plenius habebat, hoc in actionem pecuniæ constitutæ transfusum est, & ea, quasi superuacua, iussa est cum sua auctoritate a nostris legibus recedere. Item prætor proposuit actionem de peculio seruorum, filiorumque familiarum; & eam, ex qua quæritur, an actor iurauerit: & alias complures.

De constituta pecunia.

9. De constituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicunque vel pro se, vel pro alio soluturos se constituerint: nulla

---

hanc efficaciam illi tribuit. Patet hinc etiam in re mobili, si tale pactum accesserit, hypothecam constitui *L.* 1. §. 2. *ff. de pign.*

Ad §. 8. *Receptitia*) Ita dicta ex recepto debito, wenn einer des andern Schuld übernimmt.

Nostra constitutione) Quæ est in *L.* 2. *C. de Const. pec.*

Plenius habebat) Nam receptitia de re quacunque dabatur, constitutoria tantum de rebus fungibilibus *d. l.* 2.

Ad §. 9. *Constituerint.*) Est enim constituere, illud, quod vel ipse, vel alter nudo pacto debebat, nouo pacto iterum promittere, *tit. ff. & C. de const. pec-*

nulla scilicet stipulatione interposita. Nam alioqui si stipulanti promiserint, iure ciuili tenentur.

De peculio.

10. Actiones autem de peculio ideo aduersus patrem dominumue comparauit prætor: quia licet ex contractu filiorum, seruorumue ipso iure non teneantur: æquum tamen est peculio tenus (quod veluti patrimonium est filiorum filiarumque item seruorum) condemnari eos.

De

---

pec. Ratio huius constituti erat, quod prætor graue existimabat geminatam fidem fallere, *l.* 1. *ff. eod.* Moribus nostris, cum ex simplici nudo pacto oriatur actio, iterata promissione opus haud est, vt validius obliget.

Tenentur) Et quidem si pro alio, tenentur vt fideiussores; fideiussio enim per stipulationem fiebat, L. 12. *C. de fideiuss.* hodie vero etiam pacto; inde pro alio constituens a fideiussore non differt.

Ad §. 10. *Non teneantur)* Ex contractu enim alterius, tertius non obligatur, *l.* 11. *ff. de O. & A.* add. *tit. C. ne pater pro fil.*

Æquum tamen est) Dum enim commodum huius peculii ad Patrem vel dominum pertinet, idem etiam onus sustinere tenetur *c.* 55. *de R. I. In 6to.* maxime quia fidem patris vel domini quadantenus secutus videtur is, qui cum seruo vel filiof. contraxit.

Peculiotenus) Nam vltra peculii quantitatem non tenetur, quia vlterius se obligare non censendus est pater, quam quatenus pecunium indulsit. Plura vide infra tit. seq.

Ad §. 11.

De actione in factum ex iureiurando.

II. Item, si quis postulante adversario iurauerit, deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei soluatur; iustissime accommodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an iurauerit?

De

Ad §. II. *Postulante aduersario)* Et quidem extra iudicium; quod iuramentum *voluntarium* dicitur *l.17.pr.& l.39.ff.de Iurei.* hoc enim nec acceptare, nec referre teneor. A quo differt *iudiciale*, quod pars parti defert in iudicio *l.12.pr.&§.1.C.de reb. cred. & iureiur.* quod delatum, vel præstandum est, vel referendum *L.34.§.6.& 7.& l.38.ff. de iurei.* Aliud est *necessarium*, quod iudex parti ob inopiam probationis præstandum iniungit L. 3. *C. de reb.credit.* Quod vel *suppletorium*, quo probationem suam supplere debet is, qui semiplene probauit *L.31.ff.de Iureiur.* vel *purgatorium*, quo is, contra quem ne semiplene quidem probatum, præsumptiones contra se militantes elidere debet. *Cap. fin. §. fin. X. eod.*

Talem actionem) Quæ vocatur actio in factum ex iureiurando *L.3.pr.& l.11.pr.& §.1.ff. de Iurei.* Ex iuramento iudiciali, vel necessario, non noua actio oritur, sed illud pro probatione actionis iam institutæ habetur L. 5. §. 2. *eod.* Et inde sequitur condemnatio, ex qua postmodum nascitur actio rei iudicatæ *l. 6. §. vlt. ff. de re iud.*

An iurauerit) Quia hoc iuramentum instar transactionis valet. *l.2.ff.de iurei.* hinc manifestato licet periurio non tamen retractatur causa *l. 1. C. de R. C.* idem in iuramento *iudiciali.* Aliud vero in *necessario*, quod ob nouiter reperta instrumenta

 retra-

De actionibus pœnalibus.

12. Pœnales quoque actiones prætor bene multas ex sua iurisdictione introduxit: velvti aduersus eum, qui quid ex albo eius corrupisset: & in eum, qui patronum vel parentem in ius vocasset, cum id non impetrasset: item adversus eum, qui vi exemerit eum, qui in ius vocaretur, cuiusue dolo

---

retractatur, *L.* 31. *ff. de iureiur.* Ceterum iudici via non præclusa est, in periurium inquirendi.

Ad §. 12. *Albo eius*) Album dicebatur tabula, in qua edicta perpetuæ iurisdictionis causa proponebantur. Vid. Illustr. Dn. de Fuchs *in paraphr. h. l.* quam albam fuisse volunt, nigris litteris, alii nigram, albis litteris conscriptam. Strauch. *Dissert.* 22. §. 5.

Corrupisset) H. e. violasset. Ad pœnam 500. aureorum *l.* 7. *pr.* & §. 1. *ff. de iurisdict.*

Non impetrasset) Quando enim parentes vel patroni in ius vocari debebant, prius venia impetranda erat a iudice *l.* 4. & *seqq. ff. de in ius voc.* Quod si neglectum pœna 50 aureorum puniebatur *l. pen.* & *vlt. ff. eod.* Nam in ius vocatio priuata auctoritate fiebat, & sic quandam continebat iniuriam. Hodie citari possunt parentes sine veniæ impetratione; cum enim citationes hodie publica iudicis auctoritate fiant, hinc nullam ignominiam continent. Vid. Dn. Parens *in Vsu mod. ff. tit. de in ius voc.* §. 2. & 3.

Vi exemerit) H. e. detinuerit, ne in iudicium venire possit. Modo sit vis iniusta, nam iuste aliquem eximens, non tenetur *l.* 4. §. *fin. ff. ne quis eum qui in ius voc. vi exim.*

Ad §. 13

lo alius exemerit: & alias innumerabiles.

De præiudiciis.

13. Præiudiciales actiones in rem esse videntur: quales sunt, per quas quæritur, an aliquis liber, an libertus sit, vel servus, vel de partu agnoscendo. Ex quibus fere vna illa legitimam causam habet, per quam quæritur, an aliquis liber sit: ceteræ ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt.

An res sua condici possit.

14. Sic itaque discretis actionibus, certum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, *si apparet eum dare oportere.* Nec enim quod actoris est, id ei dari oportet: sci-

Ad §.33. *In rem esse videntur)* Quia hæ actiones non nascuntur ex facto aduersarii, sed ex iure meo, quod mihi in personam competere assero.

Liber) Quæstiones ergo de statu, hic dicuntur præiudiciales; quia primo omnium de eo cognoscendum *l. 6. ff. si ingen. esse dic.*

De partu agnoscendo) Præcedentes ex statu libertatis, hæc ex statu familiæ oritur. *Conf. tit. ff. de Agnosc. & al. lib.*

Legitimam causam habet) H. e. ex iure ciuili descendit, & quidem ex LL. XII. Tabb. *L. 2. §. de O. I.*

Ad §. 14. *Dari oportet)* Sed restitui. Hinc formula ita concipienda, *si apparet rem meam esse.* Conf. Brisson. *de formul. & solennibus populi Romani verbis.* Hodie perinde est, qua formula quis vtatur, cum istæ solennes formulæ sublatæ sint, *per tit. C. de formul. Act. subl.* modo petitio in

 libello

scilicet, quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat: nec res, quæ iam actoris est, magis eius fieri potest. Plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, vt extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur, *si appareat eos dare oportere:* quamuis sit adversus eos etiam hæc in rem actio, per quam rem suam quis esse petit.

De nominibus actionum.

15. Appellamus autem in rem quidem actiones, vindicationes: in personam vero actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, condictiones. Condicere enim est denunciare, prisca lingua. Nunc vero abusiue dicimus condictionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit.

Di-

---

libello non sit plane inepta, vel indoli actionis contraria; alias pronuntiatur, daß die Klage immaßen sie anbracht, nicht statt habe.

Hac actione) Sc. conditione furtiua.

In rem actio) Sc. rei vindicatio.

Ad §. 15. *Condicere)* H. e. ab vtraque parte simul dicere, quo die in iudicium venire velint, quod vocatur *ex condicto fieri.*

Denunciatio fit) Nam dies interpellat pro homine *l. 12. C. de Contr. & Committ. stipul.* Ex abundanti vero hodie denunciatio priuata ipsi pro-

Diuisio secunda.

16. Sequens illa diuisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædam mistæ sunt.

De rei persecutoriis.

17. Rei persequendæ causa comparatæ sunt omnes in rem actiones. Earum vero actionum, quæ in personam sunt, eæ quidem quæ ex contractu nascuntur, fere omnes rei persequendæ causa comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in stipulatum deductam petit actor: item commodati, depositi, mandati, pro socio, ex empto, vendito, locato, conducto. Plane si depositi agatur eo nomine, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causa depositum

---

processui præmitti solet. *L.* 13. *ff. de Seruit. præd. vrban. l.* 10. *C. de pignor.*

Ad §. 17. *Rei persequendæ causa*) Inde etiam actiones *rei persecutoriæ* vocatur, quæ tamen ea propter non mox sunt reales; sed hæ ex causa agendi denominantur.

Omnes in rem) Ergo omnis actio in rem est rei persecutoria, sed non vice versa, cum & personales rem persequantur.

Fere) Exceptio enim est in sequentibus *vers. plane.*

Tumultus incendii) Hoc vocatur *depositum miserabile*, quo & alii necessitatis casus referri possunt, veluti in deposito tempore belli & incursus hostium, vbi deponenti spatium deliberandi non superest, cui rem committere velit,

tum ſit, in duplum actionem prætor reddit: ſi modo cum ipſo, apud quem depoſitum ſit, aut cum herede eius, de dolo ipſius, agitur: quo caſu miſta eſt actio.

De pœnæ perſecutoriis.

18. Ex maleficiis vero proditæ actiones aliæ tantum pœnæ perſequendæ cauſa comparatæ ſunt: aliæ tam pœnæ, quam rei perſequendæ, & ob id miſtæ ſunt. Pœnam enim tantum perſequitur quis actione furti. Siue enim manifeſti agatur, quadrupli; ſiue non manifeſti, dupli; de ſola pœna agitur. Nam ipſam rem propria actione perſequitur quis, id eſt, ſuam eſſe petens: ſiue fur ipſe eam rem poſſideat, ſiue alius quilibet. Eo amplius aduerſus furem etiam condictio eſt rei.

De

Actionem) Contra inficiantem §. 26. *h. t.* alias tantum in ſimplum datur.

Cum herede) Heres tenetur, quia ex contractu actio eſt §. 1. *infra de perpet. & temp. act.*

Dolo ipſius) Sc. heredis *L.* 1. §. 1. *depoſ.* Ex dolo ergo defuncti non tenetur heres in duplum, ſed tantum in ſimplum, *l.* 18. *ff. eod.* niſi lis conteſtata, vel aliquid ad heredem peruenerit *l.* 34. & 44. *de R. I.*

Ad §. 18. *Pœnæ perſequendæ*) Sc. legalis, non conuentionalis, hæc enim actione ex contractu illo petitur, cui pœna adiecta: vel actione ex ſtipulatu *L.* 34. §. 17. *ff. de V. O.*

Aduerſus furem) Eiusue heredem L. 5. *ff. de Condict. furt.* etiamſi nihil ad hunc peruenerit L. 9. & l.

De mixtis, hoc est, rei & pœnæ persecutoriis.

19. Vi autem bonorum raptorum actio mista est, quia in quadruplo rei persecutio continetur: pœna autem tripli est. Sed & Legis Aquiliæ actio de damno iniuria dato, mista est: non solum, si aduersus inficiantem in duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agat: veluti, si quis hominem claudum aut luscum occiderit, qui in eo anno integer & magni pretii fuerit: tanti enim damnatur, quanti is homo eo in anno plurimi fuerit, secundum iam traditam diuisionem. Item mista est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis, legati vel fideicommissi nomine, dare distulerint: vsque adeo, vt etiam

---

& l. 7. §. 2. *eod.* quod odio furum receptum, quia semper sunt in mora restituendi.

Ad §. 19. *Inficiantem*) Nam qui inficiatur factum, vel substantialem qualitatem, in duplum tenetur *l.* 4. *C. de L. Aquil. L.* 32. §. *hæc actio ff. eod.* Vid. Brunnem. *in Exercit. h.*

Mista est actio) Intelligit actionem *ex testamento* vid. L. 29. §. 3. *ff. de leg.* 3.

Distulerint) Ergo non tantum ob inficiationem, sed & ob moram, in præstando legato ad pias causas commissam, actio contra heredem in duplum datur. *§.* 26. *h. t.* Iure nouo heres a iudice admonitus intra annum legata qualiacunque non soluens, commodo successionis priuatur, relicta tantum legitima, & hereditas aliis, eo ordine, qui in *Nou.* 1. *c.* 1. habetur, defertur *d. Nou.* 1. *c.* 1. §. 1.

tiam in iudicium vocarentur. Tunc enim & ipsam rem, vel pecuniam, quæ relicta est, dare compelluntur, & aliud tantum pro pœna: & ideo in duplum eius fit condemnatio.

De mixtis, id est, tam in rem, quam in personam.

20. Quædam actiones mistam causam obtinere videntur, tam in rem, quam in personam: qualis est familiæ erciscundæ actio, quæ competit coheredibus de diuidenda hereditate. Item communi diuidundo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, vt diuidatur. Item finium regundorum actio, qua inter eos agitur, qui con-

---

Auth. Hoc amplius C. de fideicomm. Per quam novellam dupli pœna, hic expressa, non abrogata est Brunnem. *in Exercit. hic.*

Ad § 20. *Mistam causam*) In priori §. mixtæ dicuntur ratione *persecutionis*, hic, ratione *originis* seu causæ.

Diuidenda hereditate) Hæc enim partim ex *iure hereditario*, tanquam specie iuris in re; partim ex quasi contractu, sc. *communione hereditatis* eiusque administratione oritur. vide supra §. 4. *de Obl. quæ quasi ex contr.* Pertinet etiam *hereditatis petitio* ad actiones mixtas *l. 7. C. de petit. hered. L. 3. 8. & seqq. ff. eod.*

Communi diuidundo) Hæc partim ex *condominio*, partim ex quasi contractu sc. *communium rerum* administratione descendit, vid. supra §. 3. *de Oblig. quæ quas. ex contr.*

Finium regundorum) Hæc partim ex *dominio*, partim ex delicto, sc. *motione finium* descendit.

Ex

confines agros habent. In quibus tribus iudiciis permittitur iudici, rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare: &, si vnius pars prægrauari videbitur, eum inuicem certa pecunia alteri condemnare.

Diuisio tertia.

21. Omnes autem actiones vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum, vlterius autem nulla actio extenditur.

De actionibus in simplum.

22. In simplum agitur: veluti, ex stipulatione, ex mutui datione, ex empto, vendito, locato, conducto, mandato, & denique ex aliis quamplurimis causis.

In duplum.

23. In duplum agimus; veluti, furti nec manifesti, damni iniuriæ ex lege Aquilia, depositi ex quibusdam causis. Item, serui corrupti: quæ competit in eum, cuius hortatu consilioue seruus alienus fugerit, aut contumax aduersus dominum factus est, aut

Ex bono & æquo) H. e. arbitrabitur iudex quantum præter propter alteri præstandum; Inde tamen non sequitur, ergo omnes hæ actiones sunt bonæ fidei; nam actio finium regundorum est stricti iuris, cum in §. 28. *h. t.* non reperiatur, & fructus post litem contestatam demum debeantur *l.* 4. §. 4. *ff. fin. reg.*

Ad §. 23. *Ex quibusdam causis*) Intelligit depositum miserabile, de quo supra §. 17. *h. t.*

aut luxuriose viuere cœperit, aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo seruus abstulerit, æstimatio deducitur. Item, ex legato, quod venerabilibus locis relictum est, secundum ea, quæ supra diximus.

In triplum.

24. Tripli vero agimus, cum quidam maiorem vera æstimatione quantitatem in libello conuentionis inserunt, vt ex hac causa viatores, id est, executores litium, ampliorem summam sportularum nomine exigerent. Tunc enim id, quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus, in triplum ab actore consequetur: vt in hoc triplo etiam simplum, in quo damnum passus est, connumeretur. Quod nostra constitutio introduxit, quæ in nostro codice fulget, quam

Deterior) Sc. quoad *animum*; nam si quoad corpus deterior redditur, actio L. Aquiliæ locum habet *per Inst. de Lege Aquil.* Vtiliter hæc actio applicatur ad filiumf. corruptum *l.* 14. §. 1. *ff. de seruo corrupt.*

Seruus abstulerit) Omne enim damnum duplicandum. L. 10. *ff. eod.*

Ad §. 24. *Nostro Codice*) Intelligit *Iustinianeum.* Cum quo ipsa etiam constitutio periit. Sensum tamen eius adducit Theophilus, *in suis institut. h.* § 24. quod sc. olim si vsque ad centum aureos petitum, dimidium aureum dare debuerit reus. Hodie sportulæ secundum taxam cuiusuis iudicii, non

quam procul dubio certum est ex lege condictitia emanare.

In quadruplum.

25. Quadrupli autem agitur, veluti, furti manifesti: item de eo, quod metus causa factum sit; deque ea pecunia, quæ in hoc data sit, vt is, cui datur, calumniæ causa negotium alicui faceret, vel non faceret. Item ex lege condictitia nostra constitutio oritur, in qua-

---

non secundum summam petitam exiguntur; Hinc cessat actio.

Condictitia) Alii legunt *condictitiam*. Ita vt pro consequendo triplo condictio ex lege competat. Vti & Theophilus *cit. l.* habet.

Ad §. 25. *Quod metus causa*) Quæ actio vtut personalis sit, ex delicto descendens, tamen contra quemcunque rei metu amissæ possessorem datur *l.* 9. §. 8. *ff. quod metus causa*, vnde *in rem scripta*, h. e. in quemcunque possessorem extensa vocatur, qualis etiam est actio *ad exhibendum* & *noxalis*. Actio tamen quod metus causa non principaliter in quadruplum datur, sed tantum in simplum, & demum ob contumaciam rei in quadruplum §. 27. *h. t. l.* 14. §. 2. *in fin. ff. quod met. caus.*

Calumniæ causa) Hoc explicatur *in L.* 233. §. 1. *ff. de V. S.* quod sit, per fraudem & frustrationes aliquem litibus vexare.

Vel non faceret) Hic quidem optime facit, quod desistat a calumniandi proposito, sed tamen turpiter & calumniose accipit pecuniam, cum id, etiam non data pecunia, non facere debuisset *L.* 7. *pr. ff. de Calumniator.*

Ex Lege condictitia nostra constitutio) Alii forte com-

quadruplum condemnationem imponens iis executoribus litium, qui contra nostræ constitutionis normam a reis quidquam exegerint.

Subdiuisio actionum in duplum.

26. Sed furti quidem nec manifesti actio, & serui corrupti, a ceteris, de quibus simul locuti sumus, eo differunt, quod hæ actiones omnimodo dupli sunt: at istæ, id est, damni iniuriæ ex lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur; in confitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de iis competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt, non solum inficiatione duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem, usque quo iussu magistratuum conueniatur. In confitentem vero, antequam iussu magistratuum conueniatur, soluentem, simpli redditur.

Subdiuisio actionum in quadruplum.

27. Item actio de eo, quod metus causa factum sit, a ceteris, de quibus simul locuti sumus, eo differt, quod eius natura tacite contine-

commodius legunt: *ex lege Condictitia ex nostra constitutione*, vid. supra notata *ad §. præced.* Datur ergo contra Executores, qui maiores sportulas exigunt actio in quadruplum; triplo vel parti per h. §. vel fisco applicato *Nou.* 134. *c.* 3. Quam pœnam non in totum hodie sublatam esse docet Brunn. *in Exerc. hic.*

Constitutio nostra) Quæ extat *in l. vlt. C. de sport.*

Ad §. 26. *Si distulerit*) Vide supra notata ad § 19.

Ad

tinetur, vt, qui iudicis iussu ipsam rem actori restituat, absoluatur: quod in ceteris casibus non est ita: sed omnimodo quisque in quadruplum condemnatur, quod est & in furti manifesti actione.

Diuisio quarta. De actionibus bonæ fidei.

28. Actionum autem quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti iuris. Bonæ fidei sunt hæ: ex empto, vendito, locato, con-

Ad §. 27. *Absoluitur*) Vide quæ dixi ad §. 25.

Ad §. 28. *Bonæ fidei sunt*) Non ratione *contrahentium* ita distinguuntur, vbi in is enim ex bona fide agendum, sed ratione *iudicantium*; quod in his iudex etiam vltra conuenta partium aliquid ex æquo & bono supplere possit. §. 30. *h. t. l.* 2. §. 3. *& l.* 5. *pr. ff. de O. & A. l.* 99. *de V. O. collata l.* 3. *C. de R. C.* Ita (1) ex mora vsuras adiudicat iudex etiam non conuentus L. 32. §. 2. *de Vsur.* non in iudiciis stricti iuris *l.* 3. *C. eod.* quæ differentia hodie cessat post Recess. Imp. *de An.* 1600. §. 152. *& de An.* 1654. §. 174. (2) fructus in iudiciis b. f. debentur, post moram *d. l.* 32. in stricti iuris, post litem cont. *l.* 38. §. 7. *ff. eod.* (3) In contractibus bonæ fidei dolus causam dans, ipso iure reddit actum nullum L. 7. *ff. de dolo malo*, non in stricti iuris. L. 36. *de V. O.* (4) ibi, iuratur in litem *ex affectione*, hic *ex veritate L.* 5. *pr.* iuncta *l.* 6. *ff. de in lit. iur.* Vide tamen Differt. nostr. *de Clausula libell. salutari cap.* 1.

Sunt hæ) Itaque non exempli causa hic quædam recensentur, sed omnes species enumerantur; non tamen exclusæ sunt illæ, quæ sub expressis continentur.

Ex empto &c.) Hæc ergo distinctio tantum ad actiones *ex contractu* pertinet, non *reales*, vel quæ *ex delicto* sunt. *Con-*

conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hereditatis petitio. Quamuis enim vsque adhuc incertum erat, inter bonæ fidei iudicia connumeranda hereditatis petitio esset, an non.

No-

Conductor) Quæ *Emphyteuticariam* quoque continet, cum & supra sub titulo de locato conducto eam tractauerit Imp. §. 2. *de loc. cond.*

Negotiorum gestorum) Quo & comprehenditur actio *funeraria*, tanquam species sub genere.

Depositi) Qua pariter *sequestraria*, tanquam species, continetur.

Tutelæ) Item protutelæ & curatelæ *L.* 1. §. 8. & 9. *ff. de eo qui pro tut.* ob modo datam rationem.

Communi diuidundo) Nam finium regundorum, propter *l.* 4. §. 4. *fin. Reg.* vid. supra *not. ad* §. 20.

De æstimato) Vbi res alicui traditur æstimato, vt vel rem restituat, vel æstimationem *l.* 1. §. 1. *ff. de æstim. act.*

Et ea quæ de) Ex reliquis ergo contractibus innominatis actio præscriptis verbis stricti iuris est.

Ex permutatione) Quæ in effectu iuris cum contractu do vt des coincidit. Brunn. *in Exercit. hic n.* 20.

An non) Quia ex iure in re potissimum descendit sc. iure hereditario; quorsum hæc distinctio actionum non pertinet: vt supra notatum.

Gen-

Noſtra tamen conſtitutio aperte eam eſſe bonæ fidei diſpoſuit.

De rei vxoriæ actione.

29. Fuerat antea & rei vxoriæ actio vna ex bonæ fidei iudiciis: ſed, cum pleniorem eſſe ex ſtipulatu actionem inuenientes, omne ius, quod res vxoria antea habebat, cum multis diuiſionibus, in actionem ex ſtipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur, tranſtulerimus; merito rei vxoriæ actione ſublata ex ſtipulatu actio, quæ pro ea introducta eſt, naturam bonæ fidei iudicii tantum in exactione dotis meruit, vt bonæ fidei ſit: ſed & tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem aliis creditoribus in

Conſtitutio) Quæ habetur *in l. vlt. C. de petit. hered.*

Bonæ fidei) Propter præſtationes perſonales, quæ hic concurrunt *l.* 25. §. 18. *ff. eod. tit.* vnde & mixta dicitur *l.* 7. *C. eod.*

Ad §. 29. *Tantum in exactione dotis*) Ergo hoc caſu actio ex ſtipulatu eſt b. f. Sc. quæ datur de dote repetenda *L. vn. C. de Rei vxor. act.* modo *vxor* agat, & *non extraneus d. l. vn.* §. 1. Brunnem. *in Exerc. h.* §. 29. *n.* 2. Quæ vero de dote promiſſa petenda inſtituitur, adhuc ſtricti iuris eſt *L.* 3. *C. de dot. prom.* iuncta *l.* 3. *C. de Vſur.*

Præferri autem aliis) Etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus: propter generalitatem *L.* 12. §. 1. *C. qui pot. in pign.* & *l.* 30. *C. de Iure dot.* Sc. in dote repetenda, item in augmento do-tis

in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solius providentia hoc induximus.

De potestate iudicis in iudicio bonæ fidei, & de compensationibus.

30. In bonæ fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui dedebeat. In quo & illud continetur, vt, si quid inuicem præstare actorem oporteat, eo compensato, in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in stricti iuris iudiciis ex rescripto diui Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra constitutio easdem compensationes, quæ iure aperto nituntur, latius introduxit,

ris *Nou.* 97. *c.* 3. nam in donatione propter nuptias vxor tantum hypothecam tacitam habet *d. l.* 12. §. *fin.*

Ipsa mulier) Et eius liberi *d. l.* 12. §. *fin.* non autem si extraneus experiatur, vel creditor *Nou.* 91. *in præfat. l. vn. C. de priuil. dot.* Hinc cedi hoc ius prælationis ab vxore non potest.

Ad §. 30. *Ex bono & æquo*) Etiam vltra conuentionem partium.

Nostra constitutio) Quæ est in *l. vlt. C. de Compensat.*

Compensationes) Est vero compensatio debiti & crediti inter se contributio *l.* 1. *ff. de Compensat.*

Aperto iure) Hoc est si *liquidum* sit debitum. Quod vel fatetur debitor, vel intra breuem terminum probari potest *d. l. fin.* §. 1. in Saxonia bill-

duxit, vt actiones ipso iure minuant, siue in rem siue in personam, siue alias quascunque: excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, sane iniquum esse credimus: ne sub prætextu compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur.

De actionibus arbitrariis.

31. Præterea quasdam actiones arbitrarias, id est, ex arbitrio iudicis pendentes, appel-

---

binnen Sächsischer Frist. Liquidi autem cum illiquido nulla est compensatio *d. l. fin.* §. 1. Ceterum requiritur, vt vtrinque pura sit obligatio *l. 7. pr. ff. eod.* & vtraque pars sibi debeat, cum debitum tertii non possit compensari *L. 18. §. 1. ff. de Compensat.*

Ipso iure) Opponenda tamen per modum exceptionis, vt iudici, eam factam esse, constet *d. l. fin.* §. 1. Opposita autem retrotrahitur vsque ad diem quo cœpit obligatio, & ex eo tempore effectum suum exerit *l. 11. & 12. ff. eod.*

Siue in rem) Atqui species cum specie, vel cum quantitate, & vice versa, non potest compensari *l. 13. §. 2. & l. 18. pr. ff. de pign.* Respondeo, hoc intelligendum si ob peremptam speciem æstimatio his actionibus petatur *l. 15. §. 1. & l. 68. ff. de R. V.*

Compensationis nomine) Idem in *spolio* obtinet, propter *C. Redintegranda Caus. 3. qu. 1.* Ob impensas tamen in rem depositam factas, retineri potest depositum, vsque dum satisfiat depositario, L. 23. *ff. & l. pen. C. depos.* Cum & in genere, vbi contraria actio datur, ius retentionis locum habet. *L. 18. §. fin. ff. commod.*

pellamus, in quibus, nisi arbitrio iudicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti, rem restituat, vel exhibeat, vel soluat, vel ex noxali causa seruum dedat, condemnari debeat. Sed istæ actiones tam in rem, quam in personam, inueniuntur. In rem: veluti, publiciana, seruiana de rebus coloni, quasi seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur. In personam, veluti, quibus de eo agitur, quod vi aut metus causa, aut dolo malo factum est: item, cum id, quod certo loco pro

Ad §. 31. *Nisi arbitrio iudicis*) Non tamen in omnibus præcedit hoc arbitrium iudicis, sed in quibusdam statim etiam pars condemnatur; ita tamen vt iudex vbiuis arbitretur, quantum ex bono & æquo debeatur. Quo pertinent verba finalia *h.* §.

Tam in rem) Quo ipso differunt hæ actiones, ab actionibus bonæ fidei, vtpote quæ tantum in personam dantur *Vide* §. 28. *h.t. & ibi not.*

Veluti publiciana) Plures recenset Harprecht. *in Comment. h.* §. *n.* 10.

Metus causa) Vbi prius rem restituere iubetur; quo non facto ad quadruplum condemnatur *vid.* §. 27. *h.t.*

Dolo malo) Quæ tamen subsidiaria est, & vbi alia actio datur, non competit *l.* 1. §. 1. *ff. de dol. mal.* & intra biennium instituenda & finienda L. *fin. C. eod.*

Factum est) Et datur contra dolo facientem, vt vel rem ablatam iussu iudicis restituat, vel tanti condemnetur, quanti ea res ab actore æstimata fuerit, *L.* 18. *ff. eod.*

Quod certo loco) Hæc datur creditori contra debi-

promissum est, petitur. Ad exhibendum quoque actio ex arbitrio iudicis pendet. In his enim actionibus & ceteris similibus, permittitur iudici ex bono & æquo, secundum cuiusque rei, de qua actum est, naturam, æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat.

De incerta quantitatis petitione.

32. Curare autem debet iudex, vt omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel

debitorem, ad id quod certo loco dare debuit, alio loco præstandum. Vbi iudex arbitratur, quanti intersit actoris vel rei, (si per eum non stetit, quo minus debito loco fieret solutio) debitum in alio loco præstari *l.* 2. *pr.* & §. *fin.* L. 3. & 8. *ff. de eo quod cert. loc.* Inde in ipso libello mentio illius loci; vbi solutio fieri debebat, facienda; vt iudex rite arbitrari possit. Hæc vero actio tantum in iudiciis stricti iuris obtinet *l.* 6. 7. §. 1. *ff.* & *l. vn. C. eod.* Nam actionibus b. f. arbitrium iudicis inest, hinc actionem ex contractu instituisse sufficit *d. l.* 7. *pr. ff. eod.*

Ad exhibendum) Hæc datur illi, cuius interest ex iusta causa, ad rem exhibendam, hoc est potestatem videndi faciendam *l.* 2. & 3. §. 9. & *fin. ff. ad exhib.* Et nititur illa æquitatis regula: *quod tibi non nocet &c. L.* 2. §. 5. *ff. de aqu. & aqu. pluu. arc.*

Ad §. 32. *Quantum possibile*) Aliud ergo, si natura negotii certam sententiam non admittat; veluti in obligatione generis & alternatiua L. 75. §. 7. *ff. de V. O.* aut vbi alias reo electio a lege permittitur, vt in *l.* 2. *C. de Rescind. vend.* Exce-

vel rei ſententiam ferat; etiam ſi de incertâ quantitate apud eum actum eſt.

De pluris petitione.

33. Si quis agens, intentione ſua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineat, *cauſa cadebat*, id eſt, rem amittebat: nec facile in integrum reſtituebatur à prætore, niſi minor erat viginti quinque annis. Huic enim, ſicut in aliis cauſis, cauſa cognita, ſuccurrebatur, ſi lapſus iuuentute fuerat; ita & in hac cauſa ſuccurri ſolitum erat. Sane, ſi tam magna cauſſa iuſti erroris interueniebat, vt etiam conſtantiſſimus quisque labi poſſet, etiam maiori viginti quinque annis ſuccurrebatur: veluti, ſi quis totum legatum petierit, poſt deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta ſit, aut

---

ptio etiam eſt in iudicio vniuerſali, vt petitione hereditatis *l. 7. ff. ſi pars hered. pet.*

De incerta quantitate) An & quando libelli petitio & concluſio incerta eſſe poſſit; prolixe tradit Brunn. *in Exercit. h. §. n. 11. ſeqq.*

Ad §. 33. *Rem amittebat)* Quoad obligationem ciuilem, non etiam qnoad naturalem *l. 60. pr. ff. de Cond. indeb.*

Niſi minor 25. annis) Hic enim contra omnem læſionem in integrum reſtituitur *tot. tit. de in integr. reſtit. & de Minor.*

Etiam maiori 25. annis) Ob clauſulam generalem prætoriam: *ſi qua mihi iuſta cauſa videbitur, in integrum reſtituam* L. 26. §. 9. *ff. Ex quib. cauſ. maiores.*

Ante

aut quibusdam aliis legata data ſunt: quæ efficiebant, vt plus petiiſſe videretur petitor, quam dodrantem: atque ideo lege Falcidia legata minuebantur.

Plus autem quatuor modis petitur: *re*, *tempore*, *loco*, & *cauſa*. *Re*; veluti, ſi quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut ſi is, cuius ex parte res eſt, totam eam, vel maiorem partem ſuam eſſe intenderit. *Tempore*; veluti, ſi quis ante diem vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione, qui tardius ſoluit, quam ſoluere deberet, minus ſoluere intelligitur; eadem ratione, qui præmature petit, plus petere videtur. *Loco* plus petitur, veluti, cum quis id, quod certo loco ſibi dari ſtipulatus eſt, alio loco petit ſine commemoratione illius loci, in quo ſibi

Ante diem) Sc. antequam *venerit* dies; nam antequam *ceſſerit*, ſi quis agat, is non plus petit, ſed nulliter agit *L. vlt. §. vlt. ff. quand. dies vſusfr. leg. ced.* Quod ſi dies in gratiam creditoris adiectus, etiam ante diem petere eum poſſe, manifeſtum eſt.

Ante conditionem) Si incertum eſt *quando*, certum tamen *an* ſit extitura: veluti *ſi moriar*. Quodſi incertum etiam an ſit extitura, e. g. ſi Titius conſul factus, cum nihil adhuc debeatur §. 4. *I. de V. O.* non poteſt hæc plus petitio dici.

Sine commemoratione) Sc. actione *ſtricti iuris*, vbi commemorandus locus, & ſic actio *de eo quod certo loco* inſtituenda. Aliud in actione *bonæ fidei*, Vnde quæ dixi ſupra *ad* §. 31.

ſibi dari ſtipulatus eſt: verbi gratia, ſi is, qui ita ſtipulatus fuerit, *Epheſi dare ſpondes?* Romæ pure intendat ſibi dari oportere. Ideo autem plus petere intelligitur, quia vtilitatem, quam haberet promiſſor, ſi Epheſi ſolveret, adimit ei pura intentione. Propter quam cauſam alio loco petenti arbitraria actio proponitur, in qua ſcilicet ratio habetur vtilitatis, quæ promiſſori competitura fuiſſet, ſi illo loco ſolueret, quo ſe ſoluturum ſpopondit. Quæ vtilitas plerumque in mercibus maxime inuenitur: veluti vino, oleo, frumento: quæ per ſingulas regiones diuerſa habent pretia. Sed & pecuniæ numeratæ non in omnibus regionibus ſub eisdem vſuris fœnerantur. Si quis tamen Epheſi petat, i. e. eo loco petat, in quo, vt ſibi detur, ſtipulatus eſt, pura actione recte agit: idque etiam Prætor monſtrat: ſcilicet, quia vtilitas ſoluendi ſalua eſt promiſſori. Huic autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus eſt, qui *cauſa* plus petit: vt ecce ſi quis ita a te ſtipuletur, *hominem Stichum*, *aut decem aureos dare ſpondes?* deinde alterum petat; veluti, hominem tantum, aut decem

Recte agit) Nam in loco ſolutionis debitor ſimpliciter forum ſortitur *L. Contraxiſſe* 21. *ff. de O. & A.*

Cauſa) Hic capitur pro modo obligationis *l.* 44. §. 3. *ff. de O. & A.*

decem aureos tantum. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere ſtipulationis, promiſſoris eſt electio, vtrum pecuniam, an hominem ſoluere malit. Qui igitur pecuniam tantum, vel hominem tantum ſibi dari oportere intendit, eripit electionem adverſario: & eo modo ſuam quidem conditionem meliorem facit, aduerſarii vero ſui deteriorem. Qua de cauſa talis in ea re prodita eſt actio, vt quis intendat hominem Stichum, aut aureos decem ſibi dari oportere, id eſt, eodem modo peteret, quo ſtipulatus eſt. Præterea, ſi quis generaliter hominem ſtipulatus ſit, & ſpecialiter Stichum petat: aut generaliter vinum ſtipulatus ſit, & ſpecialiter Campanum petat: aut generalitet purpuram ſtipulatus ſit, deinde ſpecialiter Tyriam petat; plus petere intelligitur, quia electionem aduerſario tollit, cui ſti-

In eo genere ſtipulationis) Sc. in alternatiuis *L.* 25. *pr. ff. de contr. empt.*

Promiſſoris eſt electio) Sc. in alternatiua *rerum* add. *Cap.* 70. *de R. I. in 6to* aliud in alternatiua *locorum*, vbi electio eſt creditoris *l.* 2. §. 3. *ff. de eo quod certo loco.*

Eodem modo) Petitio libelli formanda ex natura contractus, tam quoad quantitatem, quam quoad modum petendi.

Campanum) Hoc vinum Italiæ præſtantiſſimum eſt; cuius meminit Vlpianus *in l.* 75. §. 2. *ff. de V. O.*

ſtipulationis iure liberum fuerit, aliud ſolvere, quam quod peteretur. Quin etiam licet viliſſimum ſit, quod quis petat, nihilominus plus petere intelligitur: quia ſæpe accidit, vt promiſſori facilius ſit illud ſoluere, quod maioris pretii eſt.

Sed hæc quidem antea in vſu fuerant: poſtea vero lex Zenoniana & noſtra rem coarctavit. Et ſi quidem tempore plus fuerit petitum, quid ſtatui oporteat, Zenonis diuæ memoriæ loquitur conſtitutio. Sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum; in omne, ſi quod forte damnum ex hac cauſa acciderit ei, contra quem plus petitum fuerit, commiſſa tripli condemnatione, ſicut ſupra diximus, puniatur.

De

Viliſſimam) Vilitas enim rei hic, non æſtimanda ex pretio, ſed ex commoditate præſtationis.

Loquitur conſtitutio) Quod ſc. reo duplicatum tempus ſit concedendum *L.* 1. *&* 2. *C. de plus petit.* Vbi ſumma illius conſtitutionis habetur: Ipſa autem conſtitutio cum priori codice periit: & præſens titulus codicis, de plus petitione, non eſt authenticus.

Supra) Hoc ſine dubio referendum ad §. *Tripl.* 24. Vt ita non triplum totius ſummæ quam plus periit, ſed illius damni quod aduerſarius ratione ſportularum ſuſtinuit, reſtituat. Hodie reus a quo plus petitum, vt plurimum abſoluitur ab inſtantia, & actor in expenſas condemnatur Carpz. *P.* 1. *C.* 3. *def.* 12. Chriſtin. *Vol.* 1. *Dec.* 266.

Ad

De minoris summæ petitione.

34. Si minus intentione sua complexus fuerit actor, quam ad eum pertineat: veluti, si, quum ei decem aurei deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit, aut si, quum totus fundus eius esset, partem dimidiam suam esse, petierit: sine periculo agit. In reliquum enim nihilominus iudex adversarium eodem iudicio ei condemnat, ex constitutione diuæ memoriæ Zenonis.

Si aliud pro alio petatur.

35. Si quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita veritate, errorem suum corrigere ei permittitur: veluti, si is, qui hominem Stichum petere deberet, Erotem petierit: aut, si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur.

De

Ad §. 34. *Sine periculo agit*) H. e. non punitur propterea, quia nullam reo iniuriam infert minus petendo.

Condemnat) Si sc. libellum emendauerit & correxerit. Potest enim libellus emendari ad sententiam vsque *L.* 4. *§. fin. ff. de Noxal. Act. L.* 4. *&* 41. *ff. de petit. hered.*

Ad §. 35. *Eodem iudicio*) Quod idem est, quam si dicamus, etiam post litem contestatam; nam iudicium apud Romanos incipiebat a lite contestata, & in iudicio fieri, erat post litem contestatam fieri. Pollet. *Histor. for. Rom. lib.* 5. *c.* 5. *p.* 442.

De peculio.

36. Sunt præterea quædam actiones, quibus non semper solidum, quod nobis debetur, persequimur: sed modo solidum persequimur, modo minus: vt ecce, si in peculium filii seruiue agamus. Nam, si non minus in peculio sit, quam persequimur, in solidum dominus paterue condemnatur: si vero minus inueniatur, eatenus condemnat iudex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus.

De beneficio competentiæ.

37. Item, si de dote in iudicio mulier agat, placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit: id est, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, in solidum damnatur: si minus, in tantum, quantum

Vnde patet *mutationem* libelli, de qua hic agitur, etiam post litem contestatam licuisse. Conf. *L.* 3. *C. de Edend.* Quid hodie obtineat, dixit Dn. Parens *in Vsu modern. Pand. tit. de Edendo* §. 10. & 11. & *in introduct. ad Prax. for. c.* 7. §. 12. & 13.

Ad §. 36. *Suo ordine*) *Vide tit. seq.* §. 4.

Ad §. 37. *Maritum*) Idem obtinet, si maritus contra vxorem agat, & hæc condemnetur *l.* 20. *ff. de Re Iud.*

Facere possit) Ita tamen vt necessaria vitæ subsidia retineat. L. 173. *pr. ff. de R. I.* Quod dicitur beneficium *competentiæ*, & est *personale*, nec ad heredes transit *l.* 25 *ff. de Re Iud.*

Dos

tum facere poteſt. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impenſas in res dotales factas, marito quaſi retentio conceſſa eſt: quia ipſo iure neceſſariis ſumptibus dos minuitur, ſicut ex latioribus digeſtorum libris cognoſcere licet.

Extenſio eius beneficii.

38. Sed & ſi quis cum parente ſuo, patroue agat: item, ſi ſocius cum ſocio iudicio ſocietatis agat: non plus actor conſequitur, quam aduerſarius eius facere poteſt. Idem eſt, ſi quis ex donatione ſua conueniatur.

De

Dos minuitur) Si dos in quantitate conſiſtat, cum pro rata impenſarum, ipſo iure minuitur quantitas dotis *l.* 65. §. *vlt. ff. de iure dot.* Quod ſi prædium ſit dotale, non quidem ob impenſas definit eſſe fundus dotalis, ſed retineri poteſt a marito, donec reſtituantur *l.* 5. *ff. de impenſ. in rem. dot.* Si ſc. ſint impenſæ neceſſariæ *l.* 1. *& l.* 5. *d. t.* Nam vtiles actione mandati, vel negotiorum geſtorum, repetuntur *l.* 8. *ff. eod. & l. vn.* §. 5. *C. de Rei Vxor. act.* Voluptuarias non repetit, etiamſi voluntate vxoris factæ *d. l. vn.* §. 5. *& l.* 11. *pr. ff. de impenſ. in rem dot. fact.* tollere tamen ei licet, ſi poſſit. *l.* 9. *ff. eod.*

Ad §. 38. *Parente*) Item ſi parens contra *liberos* agat *l.* 17. *&* 30. *in fin. ff. de Re Iud.* licet emancipati *L.* 2. *ff. quod cum eo qui in alien. poteſt.* Idem beneficium & *ſocero* competit L. 15. §. *fin. & l.* 17. *pr. ff. ſoluto matr.*

Sociis) Ratio redditur in *l.* 63. *pr. ff. pro Socio.* Quia ſunt quaſi fratres. Ex quo patet & *fratribus* hoc beneficium eſſe concedendum. Habent etiam illud milites *l.* 6. *pr. & l.* 18. *ff. de Re Iud.*

Ad

De compenſationibus.

39. Compenſationes quoque oppoſitæ plerumque efficiunt, vt minus quisque conſequatur, quam ei debeatur. Nam ex bono & æquo, habita ratione eius, quod inuicem actorem ex eadem cauſa præſtare oportet, poterit iudex in reliquum eum, cum quo actum eſt, condemnare, ſicut iam dictum eſt.

De eo, qui bonis ceſſit.

40. Cum eo quoque qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, ſi poſtea aliquid adquiſierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere poteſt, creditores experiuntur. Inhumanum enim erat, ſpoliatum fortunis ſuis, in ſolidum damnari.

TITV-

Ad §. 39. *Eadem cauſa*) H. e. æque certa & liquida, vtut ex diuerſo contractu nata.

Poterit iudex) Hæc vox hic non libertatis eſt, ſed neceſſitatis; nam tenetur iudex admittere compenſationem, ſi liquida ſit.

Ad §. 40. *Bonis ceſſit*) Beneficium *ceſſionis bonorum* eſt, quo debitor ſine dolo & culpa ſua, non ſoluendo exiſtens, omnia bona ſua creditoribus offerendo, ſe *a carcere* liberat *L*. 1. & 4. *C. qui bon. Ced. poſſ.* Et differt *a datione in ſolutum*, quod hæc locum habeat ſi debitor ſoluendo quidem ſit, ſed pecunia numerata deſtituatur, & ſic alias res in ſolutum dat, *Nou.* 4. *c.* 3.

Adquiſierit) Ergo ſi ad meliorem fortunam peruenerit, reliquum adhuc ſoluere tenetur *l.* 7. *ff. de Ceſſ. bon.*

Creditores) Qui tales fuerunt ante ceſſionem; Secus in ære alieno poſt ceſſionem contracto *l.* 3. *C. de bon. Aut. Iud. poſſ.*

TITV-

TITVLVS VII.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE DICITVR.

Scopus & nexus.

QVia tamen superius mentionem habuimus, de actione, qua in peculium filiorum seruorumque agitur; opus est, vt de hac actione & de ceteris, quæ eorundem nomine in parentes dominosue dari solent, diligentius admoneamus. Et quia, siue cum seruis negotium gestum sit, siue cum iis, qui in potestate parentum sunt, eadem fere iura seruantur, ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam servi dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus, quorum in potestate sunt. Nam, si quis in his proprie seruetur, separatim ostendemus.

De

TITVLVS VII.

Ad pr. *Eadem fere iura)* Sc. quoad obligandum patrem vel Dominum. Hoc tamen interest; quod filius, etiamsi peculium habeat, patrem ex mutuo obligare nequeat, bene tamen seruus *vid. §. 7. h. t.* Quod suam vero personam, filii conditio melior est, cum ex omni contractu, extra mutuum, ciuiliter obligetur *l. 39. ff. de O. & A.*

Idem intellecturi) Probatur inde vulgatum: *Vbi eadem iuris ratio, ibi eadem quoque dispositio, vid. §. 2. inf. h. t.*

Ad

De seruis. Quod iussu.

1. Si igitur iussu domini cum seruo negotium gestum erit, in solidum prætor adversus dominum actionem pollicetur; scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur.

De exercitoria, & institoria actione.

2. Eadem ratione prætor duas alias in solidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera institoria appellatur. Exercitoria tunc habet locum, cum quis seruum suum magistrum naui præposuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad

---

Ad §. 1. *Iussu domini*) Differt a mandato, nam hoc dirigitur in creditorem, vt seruo vel filio credat: Iussus dirigitur in filium vel seruum, vt pecuniam ab hoc vel illo mutuam accipiat.

Actionem pollicetur) Variat hæc actio pro ratione principalis contractus cum filio gesti; & ita datur actio mutui quod iussu, conducti quod iussu, empti quod iussu.

Ad §. 2. *Magistrum nauis*) Dicitur ille qui naui præpositus est, vt curam eius & rerum transvehendarum habeat, der Schiffs-*Factor*. L. 1. §. 6. *ff. de Exercit. act.*

Cui præpositus) Præpositio enim dat legem contractui, nam vlterius se obligare noluit principalis L. 1. §. 7. & 12. *ff. d. t.*

Exercitor) Non necessum est, vt hic sit dominus nauis, sed sufficit, modo per auersionem conduxerit

ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet. Institoria tunc locum habet, cum quis tabernæ forte, aut cuilibet negotiationi seruum suum præposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autem institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, institores vocantur. Istas tamen duas actiones prætor reddit, etsi liberum quis hominem, aut alienum seruum naui, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præposuerit: scilicet, quia eadem æquitatis ratio etiam eo casu interueniat.

De tributoria.

3. Introduxit & aliam actionem prætor, quæ tributoria vocatur. Namque si seruus in peculiari merce sciente domino negotietur

---

rit *l.* 1. §. 15. *ff. de exerc. act.* & ita quæstum ex hac nauigatione capiat.

Institoria) Coincidit hæc cum *exercitoria*, & obiecto tantum differunt; *hæc* maritimam, *illa* terrestrem negotiationem respicit.

Institores vocantur) Germanice Handlungs-*Factor*, qualis non est vnusquisque in taberna constitutus, ein Laden-Diener, hic enim ad vendendum, non ad negotiandum in taberna est.

Duas actiones) Et hæ quoque actiones non sunt speciales, sed tantum adiectitiæ qualitatis principalis actionis, & sic datur actio conducti, empti, depositi, institoria.

Cuilibet negotiationi) Ergo & institor cœnopolii, pharmacopolii, &c. datur.

Ad

tur, & quid cum eo eius rei causa contractum erit, ita prætor ius dicit, vt quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debebitur, & ceteros creditores, pro rata portione distribuatur. Et ideo tributoria vocatur, quia ipsi domino distributionem prætor permittit. Nam, si quis ex creditoribus queratur, quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit, hanc ei actionem accommodat, quæ tributoria appellatur.

De peculio, & de in rem verso.

4. Præterea introducta est actio de peculio, deque eo, quod in rem domini versum erit: vt quamuis sine voluntate domini negotium gestum erit, tamen siue quid in rem eius versum fuerit, id totum præstare debeat: siue quid non sit in rem eius versum, id eate-

Ad. §. 3. *Distributionem*) Ergo vt actio tributoria nascatur, vitiosa distributio peculii præcedere debet, cuius correctionem intendit prætor hac actione.

Minus ei tributum) Idem obtinet, si nihil in peculio esse dixerit, nam etiam ille minus tribuit, qui nihil tribuit. *L.* 7. §. 2. *ff. de tribut. act.*

Ad §. 4. *Actio de peculio*) Hæc tantum de profectitio datur; alia peculia huc non pertinent.

In rem eius versum) Sufficit semel bene versum esse, etiamsi, quod versum, casu perierit L. 3. §. 7. *ff. de in rem vers. L.* 10. §. 1. *ff. de neg. gest.* Actio enim hæc mox ex ipsa versione nascitur, licet principalis sit infans, vel furiosus *L.* 46. *ff. de O. & A.*

Ne-

eatenus præstare debeat, quatenus peculium patitur. In rem autem domini versum intelligitur, quicquid necessario in rem eius impenderit seruus; veluti, si mutuatus pecuniam creditoribus eius soluerit, aut ædificia ruentia fulserit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem necessariam mercatus erit. Itaque, si ex decem puta aureis, quos seruus tuus a Titio mutuo accepit, creditori tuo quinque aureos soluerit, reliquos vero quinque quolibet modo consumpserit; pro quinque quidem in solidum damnari debes: pro ceteris vero quinque eatenus, quatenus in peculio sit. Ex quo scilicet apparet, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint, totos decem aureos Titium consequi posse. Licet enim vna sit actio, qua de peculio, deque eo,

Necessaria) Toties in rem versum quid dicitur, quoties pecunia a seruo vel filio impensa, vt rem meliorem haberet dominus, aut non deteriorem *L. 3. §. 2. ff. de in rem vers.* Non ergo excluduntur vtiles expensæ. *L. 5. §. 2 ff. eod.*

Impenderit seruus) In hoc differt ab actione negotiorum gestorum; hic ipse gestor, illic seruus vel filius, creditam a me pecuniam impendit in rem domini.

Versi fuerint) Difficultas ergo huius actionis est in probanda versione §. 5. *I. h.* Licet filius alias solitus sit vertere. *L. 3. §. 9. ff. de in rem vers.*

Vna sit actio) Quicquid enim seruus in rem domini

eo, quod in rem domini versum sit, agitur; tamen duas habet condemnationes. Itaque iudex, apud quem de ea actione agitur, ante dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculii æstimationem transit, quam aut nihil in rem domini versum intelligitur, aut non totum. Cum autem quæritur, quantum in peculio sit, ante deducitur, quicquid seruus domino, eiue qui in potestate eius sit, debet: & quod superest, id solum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet seruus, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio: veluti, si is in ipsius peculio sit. Quod eo pertinet, vt, si quid vicario suo seruus debeat, id ex peculio eius non deducatur.

De

---

mini vertit, hoc etiam in peculio esse censetur, *L.* 1. *§. fin. ff. d. t.* Vel etiam vno libello cumulari possunt, quatenus in altera quid amplius.

Condemnationis) Vna quoque condemnatio erit, si tantum in peculio, quantum versum. Sin minus, actione de in rem verso condemnatur dominus in id, quantum versum; de peculio, in id quantum in eo est.

Ante deducitur) Restringendum hoc ad id, quod vltra peculium domino debet seruus: peculium enim ipsum non debet domino, sed hoc eius iam est.

Vicario suo) Dominus concesserat *ordinario* seruo peculium, in quo peculio erat *vicarius* seruus, vbi quod hic *ordinario* debet, non potest deduci, quia

De concursu dictarum actionum.

5. Ceterum dubium non est, quin is quoque, qui iussu domini contraxerit, cuique institoria vel exercitoria actio competit, de peculio, deque eo, quod in rem domini versum est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omissa actione, qua facillime solidum ex contractu consequi possit, se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, vel habere seruum peculium, & tantum habere, vt solidum sibi solui possit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æque de peculio, & de in rem verso agere potest. Sed sane huic modo tributoria expedit agere, modo de peculio, & de in rem verso. Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non est, id est, quod domino debetur, non deducitur, sed eiusdem iuris est dominus, cuius & ceteri creditores: at in actione de peculio ante deducitur, quod domino debetur; & in id, quod reliquum est, creditori dominus condemna-

quia sic *vicarius* peculium augens, idem etiam diminueret.

Ad §. 5. *Qua facillime*) Ergo in eligenda actione non tantum respiciendum, quid per actionem consequi possim, sed & quæ probatu facilior, imo & quæ celerior, qualis est causa summaria, in qua leuato velo proceditur, *L. 5. C. de Naufrag.*

Non deducitur) In pœnam doli quod malitiose peculium distribuerit.

demnatur. Rursus de peculio ideo expedit agere, quod in hac actione totius peculii ratio habetur: at in tributoria, eius tantum, quo negotiatur. Et potest quisque tertia forte parte peculii, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædiis, vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem vel illam eligere debet. Certe, qui potest probare, in rem domini versum esse, de in rem verso agere debet.

De filiisfamilias.

6. Quæ diximus de seruo & de domino, eadem intelligimus & de filio & filia, & nepote & nepte, & patre auoue, cuius in potestate sunt.

De Senatusconsulto Macedoniano.

7. Illud proprie seruatur in eorum persona, quod senatusconsultum Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dari eis qui

---

Expedit) Sane ex præsentibus actio quod iussu expeditissima est, iussu enim probato nec de peculio, nec versione sollicitus sum.

Ad §. 6. *De filia*) Nam & hæc omnibus negotiis extraiudicialibus præponi a patre potest.

Ad §. 7. *Macedonianum*) Hoc non ab autore siue consule, vt reliqua SCta, sed a Macedone, improbo fœneratore, nomen habet. *L.* 1. §. 1. *ff. de SCt. Macedon.*

Mutuas pecunias) Non ergo ad omnes contractus, sed tantum ad mutuum, nec ad omne mutuum,

qui in potestate parentis sunt: & ei, qui crediderit, denegatur actio tam aduersus ipsum filium filiamue, nepotem neptemue, siue adhuc in potestate sint, siue morte parentis, vel emancipatione suæ potestatis esse cœperint; quam aduersus patrem auumue, siue eos habeat adhuc in potestate, siue emancipauerit. Quæ ideo senatus prospexit, quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur.

De actione directa in patrem, vel dominum.

8. Illud in summa admonendi sumus, id quod iussu patris dominiue contractum fuerit, quodque in rem eius versum erit, directo quoque posse a patre dominoue condici, tan-

---

tuum, sed tantum ad pecuniam pertinet, quæ potissimum luxuriæ instrumentum est. L 7. §. 3. *ff. h. t.* Nisi aliud in fraudem SCti actum.

Qui in potestate) Ergo si filius emancipatus: vel intuitu bonorum pro patrefam. habeatur, vt in peculio castrensi, & quasi castrensi L. 2. *ff. d. t.* cessat hoc SCtum.

Vel emancipatione) Non enim attenditur tempus motæ actionis, sed tempus contracti mutui, vbi adhuc erat in patria potestate.

Aduersus patrem) Nisi in talem causam mutuum acceperit filius, ad quam pater pecuniam dare tenebatur *l. 7. §. 13. ff. d. t.* Sed & in his modum obseruare debet creditor *d. §. 13.*

Vitæ parentum) Ergo cum patris fauor hic concurrat, frustra huic SCto renunciat filius.

Ad §. 8. *Directo*) Quia non tam cum filio,

 quam

tanquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset. Ei quoque, qui exercitoria, vel institoria actione tenetur, directo posse condici placet, quia huius quoque iussu contractum intelligitur.

TITVLVS VIII.

D.IX.4. C.III.41.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Summa.

Ex maleficiis seruorum; veluti, si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut iniuriam commiserint, noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur *aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere.* *Quid*

---

quam per hunc cum patre contraxi. *L.* 1. *pr. ff. de in rem vers.* nam alias directa tantum datur contra illum, cum quo contraxi, & sic etiam institor & magister nauis durante officio directa actione ex contractu tenetur *l.* 1. §. 17. *ff. de exercit. act. L. fin. ff. de instit. act.*

TITVLVS VIII.

Ad pr. *Ex maleficiis*) H. e. priuatis delictis qualia hic recensentur. Nam in criminalibus ipse seruus conuenitur.

Domino damnato) Ergo hic non agitur alternatiue, sed litis æstimatio petitur, post condemnationem vero, electionem hanc lex concedit domino. Ad

Quid sit noxa, & noxia.

1. *Noxa* autem est ipsum corpus, quod nocuit, id est, seruus: noxia, ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, iniuria.

Ratio harum actionum.

2. Summa autem ratione permissum est, noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum vltra ipsorum corpora dominis damnosam esse.

Effectus noxæ deditionis.

3. Dominus noxali iudicio serui sui nomine conuentus, seruum actori noxæ dedendo liberatur: nec minus in perpetuum eius serui dominium a domino transfertur. Sin autem damnum ei, cui deditus est (seruus), resarcierit quæsita pecunia, auxilio prætoris inuito domino manumittetur.

De origine harum actionum.

4. Sunt autem constitutæ noxales actiones, aut legibus, aut edicto prætoris legibus:

Ad §. 3. *Serui domino*) Vendidisse enim seruum pro litis æstimatione videtur dominus.

Quæsita pecunia) Sed vnde hanc habebit seruus, cum quæsitum mox pertineat ad dominum? Resp. donari hac lege potest, vt in pretium manumissionis impendatur.

Ad §. 4. *Legibus veluti*) Noxalis actio non est principalis, sed qualitas actionis ordinariæ ex delicto resultantis, prout ergo hæc vel ciuilis, vel prætoria, ita quoque se habebit noxalis. Et sic actio iniuriarum noxalis est prætoria; actio L. Aquiliæ noxalis est ciuilis.

bus: veluti, furti ex lege XII. tabularum, damni iniuriæ ex lege Aquilia. Edicto prætoris: veluti, iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

Qui conueniuntur noxali actione.

5. Omnis autem noxalis actio caput sequitur. Nam, si seruus tuus noxiam commiserit, quamdiu in tua potestate sit, tecum est actio. Si autem in alterius potestatem peruenerit, cum illo incipit actio esse. At si manumissus fuerit, directo ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Ex diuerso quoque directa actio noxalis esse incipit. Nam, si liber homo noxiam commiserit, & is seruus tuus esse cœperit: quod quibusdam casibus effici primo libro tradidimus, incipit tecum esse noxalis actio, quæ ante directa fuisset.

Si seruus domino noxiam commiserit.

6. Si seruus domino noxiam commiserit, actio nulla nascitur. Namque inter dominum, & eum, qui in potestate eius est, nul-

---

Ad §. 5. *Caput sequitur*) Dicitur hæc actio in rem scripta, cum ex facto seu delicto quidem descendat, sed extensa sit contra possessorem.

Peruenerit) Modo prior dolo possidere non desierit.

Ipsi tenetur) Non actione noxali, sed actione ordinaria ex delicto, quia per manumissionem impedimentum actionis sublatum.

Ad

nulla obligatio naſci poteſt. Ideoque & ſi in alienam poteſtatem ſeruus peruenerit, aut manumiſſus fuerit, neque cum ipſo, neque cum eo, cuius nunc in poteſtate ſit, agi poteſt. Vnde, ſi alius ſeruus noxiam tibi commiſerit, & is poſtea in poteſtate tua eſſe cœperit, interdicitur actio: quia in eum caſum adducta ſit, in quo conſiſtere non potuit. Ideoque licet exierit de tua poteſtate, agere non potes: quemadmodum ſi dominus in ſeruum ſuum aliquid commiſerit, nec ſi manumiſſus, aut alienatus fuerit ſeruus, vllam actionem contra dominum habere poteſt.

De filiisfamilias.

7. Sed veteres quidem hoc in filiisfamiliarum maſculis & feminis admiſere. Noua autem hominum conuerſatio huiusmodi aſperitatem recte reſpuendam eſſe exiſtimavit & ab vſu communi hoc penitus receſſit. Quis

Ad §. 6. *Nulla obligatio*) Sc. ciuilis ob vnitatem perſonæ, ſed dominus maliciam diſciplina domeſtica coercebit. *vid. tit. C. de emendat. ſeruor.*

Interdicitur actio) Rectius, *intercidit*, cum iam in tua poteſtate ſit, & hinc actione pulſari nequeat.

Actionem contra dominum) Vnde colligitur: Nec militi actionem dari contra officialem, ob iniurias ante miſſionem vi imperii militaris perpeſſas, nec tyroni ob iniurias durante tyrocinio acceptas, bey währenden Lehrjahren, quia ab initio non ſubſtitit actio.

recessit. Quis enim patiatur, filium suum & maxime filiam in noxam alii dari, vt pene per filii corpus pater magis, quam filius periclitetur, cum in filiabus etiam pudicitiæ fauor hoc bene excludat? Et ideo placuit in seruos tantummodo noxales actiones esse proponendas: cum apud veteres legum commentatores inuenerimus sæpius dictum ipsos filiosfamiliarum pro suis delictis posse conveniri.

Titvlvs IX.

C. IX. 1.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

De actione, Si quadrupes.

Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lasciuia, aut pauore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum scripta est: vt puta, si equus calcitrosus calce percusserit; aut bos cornu petere

Ipsos filiosfam,) Pater ergo pro delicto filii conueniri nequit, nisi ipse ex mandato delicti particeps, vel cum prohibere posset, id non fecit, vid. *l. 2. C. h. t.*

Conueniri) Tam ciuiliter quam criminaliter *l. 57. ff. de iudic.*

TITV-

petere solitus, cornu petierit. Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam mouentur, locum habet. Ceterum, si genitalis sit feritas, cessat actio. Denique, si vrsus fugerit a domino, & sic nocuerit, non potest quondam dominus conueniri; quia desiit dominus esse, vbi fera euasit. Pauperies autem est damnum sine iniuria facientis datum. Nec enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinent actionem.

De

TITVLVS IX.

Ad pr. *Contra naturam*) Ergo damnum datum esse debet contra naturam animalium ordinariam *L.* 1. §. 3. & 4. *ff. h.* Calce enim percutere equis quidem familiare est, ordinarie tamen hoc non faciunt.

Si genitalis) Ergo si gramina depauerit animal, cessat, & de pastu pecoris actio competit. Nec pignoratio animalis in agro deprehensi licita est, si de domino constet, *l.* 39. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* quod hodie secus.

Conueniri) Nisi culpa in custodiendo commissa, vbi ex L. Aquilia tenetur.

Fera euasit) H. e. si in libertatem naturalem vel syluam se contulerit, conf. *l.* 1. §. 5. & 10. *ff. h. t.*

Iniuria facientis) Si ergo hominis factum & instigatio concurrat, non dominus animalis de pauperie, sed instigator ex L. Aquilia conuenitur *l.* 1. §. 4. 5. & 6. *ff. h. t.*

Sensu caret) Non Cartesianis hic fauet Imperator, sed sensum pro ratione capit. Initio enim tituli dixit; *quæ ratione carent.*

Ad

De actione Ædilitia.

1. Ceterum sciendum est, Ædilitio edicto prohiberi nos, canem, verrem, aprum, vrsum, leonem, ibi habere, qua vulgo iter fit. Et si aduersus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur, quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus condemnetur: cetetarum vero rerum, quanti damnum datum sit, dupli. Præter has autem Ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

TITVLVS X.
DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.

Per quos agere licet.

NVnc admonendi sumus, agere posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno. Alieno: veluti, procuratorio tuto-

---

Ad §. 1. *Vulgo iter*) Ergo si quis canem in alio loco alligatum habeat & hic transeunti noceat, cessat actio, quia ibi ius eundi non habebat.

Iudici videtur) Qui rationem habebit operarum, quibus caruit & cariturus, & in quantum inutilis factus. §. *fin. in f. I. de oblig. quæ quas. ex delict.*

De eadem re) Non quatenus ad idem tendunt, sed quatenus ad diuersa, vel in altera quid amplius *L. 41, §. 1. ff. de O. & A.*

TITV-

tutorio, curatorio: cum olim in vsu fuisset, alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere, eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipublicæ causa abessent, quiue in eorum cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine neque agere, neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per procuratores litigare. Nam & morbus & ætas, & necessaria peregrinatio itemque aliæ multæ iustæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint.

Quibus modis procurator constituitur.

1. Procurator neque certis verbis, neque præsente semper aduersario, imo & plerum-

---

TITVLVS X.

Ad pr. *Per procuratores*) Regulariter ergo in quauis causa per procuratorem litigare fas est, exceptis iudiciis publicis, seu criminalibus. *L. pen. §. vlt. ff. de publ. iudic.* & matrimonialibus vbi personæ præsentiam exigunt consistoria.

Impedimento) Hæc adducuntur, non quasi necessum sit comparenti per procuratorem ostendere impedimentum, sed cum talia occurrere possint, ea propter libertas comparendi in persona regulariter sit remissa.

Ad §. 1. *Certis verbis*) Procuraror constituitur per mandatum, hic vero contractus consensualis est, & hinc qualiscunque animi declaratio sufficit. Hodie tamen pleramque scriptum mandatum exigitur

rumque eo ignorante constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere aut defendere, is tuus procurator intelligitur.

De tutoribus vel curatoribus.

2. Tutores & curatores quemadmodum constituantur, primo libro expositum est.

TITVLVS XI.

D. II. 8.

DE SATISDATIONIBVS.

De iudicio reali.

SAtisdationum modus alius antiquitati placuit, alium nouitas per vsum amplexa est.

---

gitur, quod secundum cuiusque curiæ stylum concipiendum.

Præsente semper) Interdum procurator apud acta constituitur, quod plerumque præsente aduersario contingit, vt hic voluntatem mandantis audiat.

Eo ignorante) Quia constitutio procuratoris a sola voluntate constituentis dependet.

Permiseris) Ergo & tacite procurator constituitur per patientiam *l.* 18. *ff. mand.* vel traditionem instrumentorum *l.* 11. *de pact. conuent.*

Defendere) Qui mandatum ad defendendum habet, procurator est; qui sine mandato hoc negotium suscipit, proprie defensor est. *l.* 46. §. 2. *& l.* 76. *ff. de procurat.*

TITVLVS XI.

Ad pr. *Satisdatione*) Satisdare est datis fideiussoribus cauere *l.* 1. *ff. qu. satisd. cog.* Hinc vbi satisdatio simpliciter requiritur, fideiussores exiguntur *l.* 7. *ff. de prætor. stipul.*

Con-

xa eſt. Olim enim, ſi in rem agebatur, ſatisdare poſſeſſor compellebatur, vt, ſi victus eſſet, nec rem ipſam reſtitueret, nec litis æſtimationem; poteſtas eſſet petitori aut cum eo agendi, aut cum fideiuſſoribus eius; quæ ſatisdatio appellatur, *iudicatum ſolui.* Vnde autem ſic appelletur, facile eſt intelligere. Nam ſtipulabatur quis, vt ſolueretur ſibi, quod fuiſſet iudicatum. Multo magis is, qui in rem actione conueniebatur, ſatisdare cogebatur, ſi alieno nomine iudium accipiebat. Ipſe autem, qui in rem agebat, ſi ſuo nomine petebat, ſatisdare non cogebatur. Procurator vero ſi in rem agebat, ſatisdare iubebatur, *rem ratam dominum habiturum.* Periculum enim erat, ne iterum dominus

---

Cum fideiuſſoribus) Scil. actione ex ſtipulatu, quæ ex omni cautione naſcitur.

Iudicatum ſolui) H. e. tantum præſtandum quantum per ſententiam adiudicatum, modo ſententia in rem iudicatam tranſierit.

Alieno nomine) Si ſcil. nullo mandato inſtructus.

Non cogebatur) Eo res redit: actor ſuo nomine agens, ſiue reali ſiue perſonali actione, nec iure veteri, nec iure Inſtitutionum cauebat, ſed demum per *Nou.* 96. *c.* 1. ad cautionem obligatus fuit.

Rem ratam) Si vel mandatum non adeſſet, vel minus idoneum. §. 3. *h. t.* Nam mandato ſui natura clauſula *rati* ineſt, licet moribus clauſula rati & grati iterum ſit neceſſitatis.

Eodem

minus de eadem re experiretur. Tutores vero & curatores eodem modo, quo procuratores, satisdare debere, verba edicti faciebant. Sed aliquando his agentibus, satisdatio remittebatur. Hæc ita erant, si in rem agebatur.

De iudicio personali.

1. Si vero in personam; ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur. Ab eius vero parte, cum quo agitur, si quidem alieno nomine aliquis interueniret; omnimodo satisdaret: quia nemo defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur. Quodsi proprio nomine aliquis iudicium accipiebat in personam; *iudicatum solui* satisdare non cogebatur.

Ius nouum. De reo.

2. Sed hodie hæc aliter obseruantur. Siue enim quis in rem actione conuenitur, siue personali, suo nomine, nullam satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur: sed pro sua tantum persona, quod in iudi-

Eodem modo) Tutores quoque de rato cauere tenentur, si dubium sit, an legitime constitui, vel an tutela adhuc duret *l. Vulgo* 23. *ff. de admin. tut.* Vnde hodie per productionem tutorii se legitimat in iudicio.

Ad §. 2. *Nullam satisdationem*) Sc. de iudicato soluendo, bene tamen de iudicio sisti.

Cum

iudicio permaneat, vsque ad terminum litis; vel committitur suæ promissioni cum iureiurando, quam iuratoriam cautionem vocant: vel nudam promissionem, vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellitur.

De procuratore actoris.

3. Sin autem per procuratorem lis vel infertur, vel suscipitur; in actoris quidem persona, si non mandatum actis insinuatum est, vel præsens dominus litis in iudicio procuratoris sui personam confirmaverit, ratam rem dominum habiturum satisdationem procurator dare compellitur: eodem obseruando, & si tutor, vel curator, aliæ tales personæ, quæ alienarum rerum gu-

Cum iurando) Designat hic Imperator diuersas cautionum species. Iuratoria præstatur a persona honesta, quæ fideiussores vel pignora habere nequit.

Nudam promissionem) Quæ nobis fieri dicitur stipulata manu, mit einem Handschlag angeloben. Ad quam admittuntur possessores immobilium *L. 15. §. 1. ff. qui satisd. cog.* vt & Clerici *L. 25. §. 1. C. de episc. & cler.*

Satisdationem) Per fideiussores vid. not. *ad pr. h. t.* Hodie etiam pignora admittuntur.

Ad §. 3. *Mandatum*) Ergo procurator mandato sufficienti instructus non cauet, nisi in casu, vbi ipse principalis ad cautionem obstrictus.

Confirmauerit) H. e. si apud acta procuratorem constituerit.

gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt.

De procuratore rei præsentis.

4. Si vero aliquis conuenitur: si quidem præsens procuratorem dare paratus est, potest vel ipse in iudicium venire, & sui procuratoris personam per *iudicatum solui* satisdationem solenni stipulatione firmare, vel extra iudicium satisdationem exponere, per quam ipse sui procuratoris fideiussor existat pro omnibus *iudicatum solui* satisdationis clausulis. Vbi & de hypotheca suarum rerum conuenire compellitur: siue in iudicio promiserit, siue extra iudicium cauerit: vt tam ipse, quam heredes eius obligentur. Alia insuper cautela, vel satisdatione propter personam ipsius exponenda, quod tem-

Per alium inferunt) Si ipse tutor agat, sufficit adesse *tutorium*. Si per alium agat, & pupillus consentiat, procuratorem mediante *mandato* dati, alias actorem constituit, qui *actorium* producere debet §. *fin. ff. de curat. L. vn. C. de actor. a tut. dand.* Imo & *tutorium.*

Ad §. 4. *Procuratoris personam*) Quo casu principali incumbit cautio, eo casu etiam procurator constitutus cauet.

Clausulis) Sunt illæ tres (1) de iudicato præstando. (2) de re tota bona fide defendenda *l. 5. §. f. ff. iudic. solu.* (3) de dolo malo absfuturo *l. 19. pr. ff. d. t.*

Hypotheca) Sub hac etiam hodie cauendum, vt eo magis consultum sit adversario contra debita pendente lite contracta.

Pro-

tempore ſententiæ recitandæ in iudicium veniet; vel ſi non venerit, omnia dabit fideiuſſor, quæ in condemnatione continentur, niſi fuerit provocatum.

De procuratore rei abſentis.

5. Si vero reus præſto ex quacunque cauſa non fuerit, & alius velit defenſionem eius ſubire, nulla differentia inter actiones in rem vel perſonales introducenda, poteſt hoc facere: ita tamen, vt ſatisdationem *iudicatum ſolui* pro æſtimatione præſtet. Nemo enim ſecundum veterem regulam vt iam dictum eſt, alienæ rei ſine ſatisdatione defenſor idoneus intelligitur.

Vnde hæc forma diſcenda.

6. Quæ omnia apertius & perfectius quotidiano iudiciorum vſu in ipſis rerum documentis apparent.

Vnde

Prouocatum) Durat tamen hæc cautio etiam in inſtantia Appellationis, niſi aliud actum ſit *L. pen. ff. iudic. ſol.*

Ad §. 5. *Iam dictum eſt*) Scil. §. 1. *h. t.*

Defenſor idoneus) Licet enim alter contra hunc obtinuerit ſententiam, non tamen hæc noceret principali, vtpote qui mandatum non dedit; nec defenſori, qui ſuo nomine nihil geſſit: cautione ergo opus eſt, ex qua conueniri poſſit.

Ad §. 6. *Iudiciorum vſu*) In noſtris iudiciis res ita ſe habet. Reus nunquam cauet, niſi de fuga vel dilapidatione ſuſpectus ſit: Actor cauet de proſequenda lite & refundendis expenſis *Nov.* 96. *c.* 1. & iure Saxonico etiam de reconuentione.

 Ad §. 7.

Vbi hac forma obseruanda.

7. Quam formam non solum in hac regia vrbe, sed etiam in omnibus nostris prouinciis, etsi propter imperitiam forte aliter celebratur, obtinere censemus: cum necesse sit, omnes prouincias caput omnium nostrarum ciuitatum, id est, hanc regiam vrbem, eiusque obseruantiam sequi.

TITVLVS XII.

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBVS ACTIONIBVS, ET QVÆ AD HEREDES, ET IN HEREDES TRANSEVNT.

De actionum terminis.

HOc loco admonendi sumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, senatusue consulto, siue ex sacris constitutionibus proficiscuntur, perpetuo solere antiquitus competere; donec sacræ constitutiones

Ad §. 7. *Imperitiam*) Nota exinde, per imperitiam iudicum introducta, ius facere non posse.

Hanc regiam vrbem) Coll. inde, omnia iudicia sequi debere stylum curiæ Romanæ vel in Germania stylum curiæ Imperialis. Verum non Roma hic, sed *Constantinopolis* intelligitur, & cum quisque princeps sit Imperator in suo territorio, ad curiam principis quam maxime respiciendum.

TITVLVS XII.

Ad §. *Sacræ constitutiones*) Huc pertinet L. *Sicut.* 3. *C. de præscript.* 30. *ann.* vbi omnes actiones alias perpetuæ 30. annis expirant.

nes tam in rem, quam in personam actionibus certos fines dederunt: eas vero, quæ ex propria prætoris iurisdictione pendent, plerumque intra annum viuere: nam & ipsius prætoris intra annum erat imperium. Aliquando tamen & in perpetuum extenduntur, id est vsque ad finem ex constitutionibus introductum: quales sunt eæ, quas bonorum possessori, ceterisque, qui heredis loco sunt, accommodat. Furti quoque manifesti actio, quamuis ex ipsius prætoris iurisdictione proficiscatur, tamen perpetuo datur. Absurdum enim esse existimauit, anno eam terminari.

De actionum transmissione in heredes.

1. Non autem omnes actiones, quæ in ali-

In rem) Hæ regulariter præscripto domini expirant, scil. in rebus immobilibus decennio inter præsentes & vicennio inter absentes. *l.* 7. *C. de hered. pet.* Quod si vero possessori deficiat titulus vel b. f. 30. annis opus est. *d. l. Sicut.* 3.

Plerumque) Scil. prætoriæ poenales: rei persecutoriæ enim sunt perpetuæ, pariter vt ciuiles. *L. in honorariis* 35. *pr. ff. de O. & A.* Nisi tendant ad rescissionem actus iure ciuili validi, vbi pariter anno exspirant. Vt actio rescissoria, pauliana *d. l.* 35.

Quales sunt) Imo tales sunt omnes rei persecutoriæ, vti iam dictum.

Prætoris iurisdictione) Secus in actione furti nec manifesti, quæ ciuilis est, ex LL. XII. Tabb.

aliquem aut ipso iure competunt; aut a prætore dantur; & in heredem æque competunt, aut dari solent. Est enim certissima iuris regula, ex maleficiis pœnales actiones in heredem rei non competere: velut furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ. Sed heredibus huiusmodi actiones competunt, nec denegantur, excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur. Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit, cum testator dolose versatus sit, & ad

Ad §. 1. *Ex maleficiis*) Pro heredibus enim contrahimus *l.* 13. *C. de contrah. stipul.* Sed non delinquimus.

Heredibus) Ergo actiones ex delicto in heredes transeunt *actiue* non *passiue*.

Alia similis) Quando per delictum non imminutum est patrimonium, non datur actio heredi, vtpote qui nullum damnum ex delicto sentit: & vindicta morte expirat *L. fin. in f. C. de reuoc. donat.*

Dolose versatus) Actio ex contractu in heredem datur, etiamsi eius non facta mentio *d. l.* 13. *C. de cont. stip.* Imo etiamsi defunctus dolum commiserit, *l.* 157. §. *f. ff. de R. I.* modo non agatur ad vindicandum dolum, sed ad implendam legem contractus. Hic vero specialem casum innuit Imp. vbi extra contractum dolose versatus, e. gr. in actione tributoria *l.* 7. §. *fin. ff. de tribut. act.* Dolose enim distribuendo peculium, peccauit testator; contractus autem antea cum filio vel seruo b. f. gestus est.

& ad heredem eius nihil ex eo dolo peruenit. Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & heredibus dantur, & contra heredes transeunt.

Si reus actori satisfecerit.

2. Superest, vt admoneamus, quod si ante rem iudicatam is, cum quo actum est, satisfaciat actori, officio iudicis conuenit eum absoluere; licet in ea causa fuisset iudicii accipiendi tempore, vt damnari deberet. Et hoc est, quod antea vulgo dicebatur, omnia iudicia absolutoria esse.

TITV-

Peruenit) Hoc generaliter in omni actione ex delicto iuris est, vt heres teneatur, quatenus exinde ad ipsum peruenit, siue quatenus locupletior factus, non tamen ad pœnam L. 38. & 44. *ff. de R. I.* h. e. ad illius, quod peruenit, duplum vel quadruplum.

Contestata) Litis enim contestatio est instar quasi contractus *l.* 3. §. 11. *ff. de pecul.* & ita etiam pœnalis actio in heredem continuatur, quia etiam super pœna lis contestata. Secus si criminaliter agatur, hic enim vt pœna transeat, non tantum litis contestatio, sed & condemnatio exigitur. L. 20. *ff. de accusat.*

Ad §. 2. *Officio iudicis*) Scil. si causa mere priuata, vbi iudici gratum esse debet, si transactione minuantur lites, quod & criminalibus, quantum ad interesse priuatum, obtinet *l. transigere* 18. *C. de transact.*

Absolutoria esse) Iura enim fauent liberationibus *l.* 47. *ff. de O. & A.* & verecunda eius cogi-

Titvlvs XIII.

D. XLIV. 1. C. VIII. 36.

DE EXCEPTIONIBVS.

Continuatio. *Ratio exceptionum.*

SEquitur, vt de exceptionibus dispiciamus. Comparatæ autem sunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Sæpe enim accidit, vt licet ipsa persecutio, qua actor experitur, iusta sit; tamen iniqua sit aduersus eum, cum quo agitur.

Exempla. *Quod metus causa, dolo, in factum.*

1. Verbi gratia, si metu coactus aut dolo in-

---

ratio qui lites execratur, non est vituperanda *l.* 4. §. 1. *ff. de alien. iud. mut. caus.*

TITVLVS XIII.

Ad pr. *Defendendorum eorum*) Hinc exceptio dicitur ius reo competens, ad excludendam actoris intentionem *l.* 2. *pr. ff. h. t.* siue in totum, siue pro parte *l.* 22. *ff. eod.*

Ad §. 1. *Metu coactus*) Hæc contra quemcunque datur, qui petit id, quod metu promissum *l.* 9. §. 3. *ff. quod met. caus.* hinc in rem scripta est, *d. l.* 9. § 4. §. *pen. ff. de dol. mal.*

Dolo inductus) Hæc personalis est, & tantum datur aduersus illum qui dolose egit *l.* 2. §. 1. *ff. de dol. mal. except.* & *d. l.* 4. §. *pen.* & datur in omni negotio doloso, modo in contractibus bonæ fidei sit dolus incidens *l.* 6. *ff. eod.* nam si causam dederit, totus contractus nullus est *l.* 7. *pr. ff. de dolo malo.* Hæc *exceptio doli specialis* dicitur; alia *generalis* est, quæ toties datur, quoties alter quid contra

inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere; palam est, iure ciuili te obligatum esse: & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est: sed iniquum est, te condemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, aut in factum composita, ad impugnandam actionem.

De non numerata pecunia.

2. Idem iuris est, si quis quasi credendi causa pecuniam a te stipulatus fuerit, neque numerauerit. Nam eam pecuniam a te petere posse eum, certum est. Dare enim te oportet, cum ex stipulatione tenearis. Sed quia iniquum est, eo nomine te condemnari, placet exceptione non numeratæ pecu-

---

contra æquitatem naturalem petit. *L.* 2. 3. & 5. *ff. de doli mali except.* exemplum *in l.* 2. §. 4. *eod.* Est vero exceptio *doli* perpetua *l.* 5. §. *fin. eod.* ob favorem liberationis *l.* 47. *de O. & A.* licet actio biennalis sit, *l. fin. C. de dolo malo.*

Errore lapsus) Siue error *facti* sit, siue *iuris:* nam & hic in damno rei amittendæ non nocet *L.* 8. *ff. iur. & fact. ignor.*

Obligatum esse) Nam & ex promisso dolo metuue elicito, actio stricto iure datur *l.* 21. §. 5. *ff. quod met. caus. L.* 5. *C. de inutil. stipul.*

Ad §. 2. *Pecuniam a te*) Sibi reddi.

Ex stipulatione tenearis) Supponit hic Imp. stipulationem accessisse.

Non numeratæ pecuniæ) De hac exceptione supra dictum *ad tit. de litterar. Obl.*

pecuniæ te defendi debere. Cuius tempora nos, secundum quod iam superioribus libris scriptum est, constitutione nostra coarctavimus.

De pacto.

3. Præterea debitor, si pactus fuerit cum creditore, ne a se pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet: quia pacto convento obligationes non omnino dissolvuntur. Qua de causa efficax est aduersus eum actio, quam actor intendit, *si apparet eum dare oportere*: sed quia iniquum est, contra pactionem eum condemnari, defenditur per exceptionem pacti conuenti.

De Iureiurando.

4. Æque si debitor, creditore deferente, iurauerit nihil se dare oportere, adhuc obligatus permanet: sed quia iniquum est de periurio queri, defenditur per exceptionem iurisiurandi. In iis quoque actionibus, qui-

Ad §. 3. *Non omnino*) H. e. non ipso iure; cum pactum nullam obligationem inducat, & hinc priorem obligationem tollere non possit ipso iure *L. 7. §. 4. & L. 27. §. 2. ff. de pact.* sed tantum per exceptionem.

Pacti conuenti) Non modo si pactum *expressum* sit, sed & si *tacitum*, quod oritur ex redditione chirographi *l. 2. §. 1. ff. de pact.*

Ad §. 4. *De periurio queri*) Cum hoc instar transactionis valeat *L. 1. & 25. ff. de iureiur. L. 31. in fin. ff. eod.*

Exceptionem iurisiurandi) Quæ inde cuicunque suc-

quibus in rem agitur, æque necessariæ sunt exceptiones; veluti, si petitore deferente possessor iurauerit, eam rem suam esse, & nihilominus petitor eandem rem vindicet. Licet enim verum sit, quod intendit, id est, rem eius esse: iniquum tamen est, possessorem condemnari.

De re iudicata.

5. Item, si in iudicio tecum actum fuerit, siue in rem, siue in personam; nihilominus obligatio durat: & ideo ipso iure de eadem re postea aduersus te agi potest: sed debes per exceptionem rei iudicatæ adiuuari.

De ceteris exceptionibus.

6. Hæc exempli causa retulisse sufficiat. Alioqui quam ex multis variisque causis exceptiones necessariæ sint, ex latioribus digestorum seu pandectarum libris intelligi potest.

Di-

---

successori, etiam fideiussori, datur *L.* 7. & *l.* 28. §. 1. *ff. de iureiur.*

Ad §. 5. *De eadem re*) Qualitas tamen eiusdem rei non requiritur *l.* 21. §. 1. *de Except. rei iud.* Hinc qui antea super possessione rei litigauit, super proprietate postea nihilominus, non obstante hac exceptione. agere potest *l.* 14. §. *fin. eod.*

Aduersus te) Nam inter easdem personas tantum locum habet hæc exceptio *l.* 3. *ff. eod.* tertio non nocet. *tot. tit. C. Quib. res iud. non noc.* nisi eius ius a litigantibus dependeat *L.* 63. *ff. de R. iud.* Nec ad nouam causam hæc exceptio pertinet *l.* 11. §. 4. *ff. de Except. rei iud.*

Ad

Diuisio prima.

7. Quarum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt.

Diuisio secunda.

8. Appellantur autem exceptiones aliæ perpetuæ & peremtoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ.

De peremtoriis.

9. *Perpetuæ* & peremtoriæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem, de qua agitur, perimunt: qualis est exceptio doli

---

Ad §. 7. *Legis vicem obtinent*) Quæ nimirum ex constitutionibus principum & SCtis oriuntur, veluti excussionis, diuisionis, SCti Macedoniani, Velleiani &c.

Prætoris iurisdictione) v. g. Exceptio quod metus causa, peculii &c.

Ad §. 8. *Perpetuæ*) Non *ratione temporis*, sic enim omnes exceptiones regulariter sunt perpetuæ *l.* 5. *C. h. t.* sed *ratione effectus*, quod semel oppositæ actionem perpetuo excludant.

Temporales) Quæ ad tempus obstant actioni intentatæ.

Ad §. 9. *Perimunt*) Inde lis præexistens, quam perimere debent, requiritur; vt ita regulariter demum post litem contestatam sint opponendæ, vsque ad sententiam. *L.* 4. 8. *&* 9. *C. h. t.* Exceptio tamen rei iudicatæ, iurisiurandi, & transactionis, etiam ante litem contestatam opponi possunt. *c.* 1. *de Lit. cont. in* 6. Ceteræ non aliter, quam si in continenti probari possint. Dn. Parens *in Introd. ad prax. for. c.* 16. § 2. Add. Brunn. *in Proc. ciuil. c.* 16. *n.* 4. *seq.* Ne

doli mali, & quod metus causa factum est, & pacti conuenti, cum ita conuenerit, ne omnino pecunia peteretur.

De dilatoriis.

10. *Temporales* atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: qualis est pacti conuenti, cum ita conuenerit, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium: nam finito eo tempore, non impeditur actor rem exequi. Ergo ii, quibus intra certum tempus agere volentibus obiicitur exceptio aut pactio conuenti, aut alia similis, differre debent actionem, & post tempus agere. Ideo enim & dilatoriæ istæ exceptiones appellantur. Alioqui, si intra tempus egerint, obiectaque sit exceptio; neque eo iudicio quicquam consequebantur propter exceptionem, neque post tempus olim agere

Ne omnino) Nam pactum, ne intra certum tempus pecunia peteretur, efficit exceptionem dilatoriam §. *seq.*

Ad §. 10. *Dilatoria)* Quæ litem differunt, hinc ante litem contestatam opponendæ *l. pen. & ult. C. h. t.* Nisi demum post litem contestatam emergant *c. 4. X. h. t.* veluti *iudicis suspecti:* vel iudicium reddant ipso iure nullum, vt exceptio *falsi procuratoris*, vel grauamen successiuum contineant; vt exceptio *loci non tuti*, vid. Brunnem. *In Proc. Civ. c. 7. n. 23.*

Alia similis) Vt si res ipsa dilationem requirat. §. 5. *supr. de V. O. l. 73. ff. eod.*

Zeno-

agere poterant, cum temere rem in iudicium deducebant, & consumebant, qua ratione rem amittebant. Hodie autem non ita stricte hoc procedere volumus: sed eum, qui ante tempus pactionis, vel obligationis, litem inferre ausus sit, Zenonianæ constitutioni subiacere censemus, quam Sacratissimus legislator de iis, qui tempore plus petierint, protulit: vt & inducias, quas ipse actor sponte indulserit, vel quas natura actionis continet, si contempserit, in duplum habeant ii, qui talem iniuriam passi sunt; & post eas finitas non aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint: vt actores tali pœna perterriti tempora litium doceantur obseruare.

Dilatoriis ex persona.

II. Præterea etiam ex persona sunt dilatoriæ exceptiones: quales sunt procuratoriæ: veluti, si per militem, aut mulierem agere quis velit. Nam militibus nec pro patre vel matre, vel vxore, nec ex sacro rescripto, procuratorio nomine experiri conceditur: suis vero negotiis superesse sine of-

---

Zenonianæ constitutioni) De qua supra *tit. de Action.* §. 33. *& ibi in not.*

Ad §. II. *Nec pro patre &c.*) Ne abstrahatur a militia *L.* 8. §. 2. *ff. & l.* 7. *C. de Procurat.* L. 31. *C. Locat.*

Suis vero negotiis) Item cohortis suæ, si eius procurator constiturus *d. l.* 8. §. 2.

Dum

offenſa militaris diſciplinæ poſſunt. Eas vero exceptiones, quæ olim procuratoribus propter infamiam, vel dantis, vel ipſius procuratoris opponebantur; cum in iudiciis frequentari nullo modo perſpeximus, conquieſcere ſancimus: ne, dum de his altercatur, ipſius negotii diſceptatio proteletur.

TITVLVS XIV.
DE REPLICATIONIBVS.
De Replicatione.

INterdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iuſta videtur, tamen inique noceat. Quod cum accidit, alia allegatione opus eſt, adiuuandi actoris gratia: quæ *Replicatio* vocatur: *quia per eam replicatur atque reſoluitur* ius exceptionis: veluti cum pactus eſt aliquis cum debitore ſuo, ne ab eo pecuniam petat: deinde poſtea in contrarium pacti ſunt, id eſt, vt creditori petere liceat: ſi creditor agat, & excipiat debitor, vt ita demum condemnetur, ſi non conuenerit, ne eam pecuniam creditor petat, nocet

Dum de his altercatur) Agit ergo hic imp. de infamia *dubia*, de qua adhuc altercatur. Hinc aliud, ſi infamia *liquida* ſit, e. g. ſententia condemnatoria ſuper delicto famoſo producatur. Quia iſtiusmodi altercationibus ceſſantibus, litis protelatio non metuenda Dn. Parens *in Vſu mod. Pand. tit. de procurat.* §. 20.

TITVLVS XIV.

Ad pr. *Reſoluitur*) Eſt itaque replicatio, eliſio exceptionis, defenſio actionis. *Lit*

nocet ei exceptio, conuenit enim ita: namque nihilominus hoc verum manet, licet postea in contrarium pacti sint. Sed quia iniquum est, creditorem excludi, replicatio ei dabitur ex posteriore pacto conuento.

De publicatione.

1. Rursus interdum euenit, vt replicatio, quæ prima facie iusta est, inique noceat. Quod cum accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi rei gratia: quæ duplicatio vocatur.

De triplicatione.

2. Etsi rursus ea prima facie iusta videatur, sed propter aliquam causam actori inique noceat; rursus alia allegatione opus est, qua actor adiuuetur: quæ dicitur triplicatio.

De ceteris exceptionibus.

3. Quarum omnium exceptionum vsum interdum vlterius, quam diximus, varietas negotiorum introduxit, quas omnes apertius ex digestorum latiore volumine facile est cognoscere.

Quæ exceptiones fideiussoribus prosunt, vel non.

4. Exceptiones autem, quibus debitor defen-

Licet postea.) Quia pactum posterius derogat quidem priori *l. 12. C. de pact.* Sed non ipso iure, verum ope tantum exceptionis.

Ad §. 3. *Vlterius*) Non tamen vltra quadruplicam procedi facile solet.

defenditur, plerumque accommodari ſolent etiam fideiuſſoribus eius, & recte: quia quod ab iis petitur, id ab ipſo debitore peti videtur: quia mandati iudicio redditurus eſt eis, quod ii pro eo ſoluerint. Qua ratione, & ſi de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit, placuit, perinde ſuccurrendum eſſe per exceptionem pacti conuenti illis quoque, qui pro eo obligati ſunt, ac ſi etiam cum ipſis pactus eſſet, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sane quædam exceptiones non ſolent his accommodari. Ecce enim debitor, ſi bonis ſuis ceſſerit, & cum eo creditor experiatur, defenditur per exceptionem, *ſi bonis ceſſerit*. Sed hæc exceptio fideiuſſoribus non datur: ideo ſcilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maxime proſpicit, vt, cum facultatibus lapſus fuerit debitor,

---

Ad §. 4. *Plerumque*) Si ſc. exceptiones ſint *reales*, ipſam obligationem vel tollendo vel minuendo *L. 7. §. 1. & l. 9. ff. de Except. L. 15. & 31. ff. de fideiuſſ.*

Quædam exceptiones non) Intelligit *perſonales* quæ perſonæ debitoris principalis cohærent *d. L. 7. pr. de Except. L. 1. C. de Fideiuſſ.*

Ecce enim) Huc etiam pertinet exceptio competentiæ *l. 24. ſeq. de Re Iud.* declinatoria fori, inuentarii, reſtitutionis in integrum, ſi ex facilitate ſua lapſus minor *l. 1. & 2. C. de fideiuſſ. minnam* ſi ex dolo alterius, etiam fideiuſſori hæc exceptio datur *d. l. 2.* vid. Brunn. *in Exercit. hic. n. 7. ſeq.*

tor, possit ab iis, quos pro eo obligauit, suum consequi.

TITVLVS XV.

D. XLIII. I. C. VIII. I.

DE INTERDICTIS.

Continuatio & definitio.

SEquitur, vt dispiciamus de interdictis, seu actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum, quibus prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. Quod tunc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi possione inter aliquos contendebatur.

Diuisio prima.

I, Summa autem diuisio interdictorum hæc est, quod aut *prohibitoria* sint, aut *restitutoria*, aut *exhibitoria*. *Prohibitoria* sunt qui-

TITVLVS XV.

Ad pr. *De possessione)* De possessione hodie dupliciter agitur, aut enim de sola possessione præsenti contendunt, aut de iustitia possessionis: hoc iudicium dicitur possessorium *ordinarium*, illud *summarium* seu *summarissimum.*

Ad §. I. *Prohibitoria)* Hodie interdicta plerumque per *mandata* expediuntur, si tot diuisiones interdictorum, quot mandatorum, dari possunt; sunt autem mandata alia *inhibitorialia*, alia *compulsorialia*, & hæc iterum vel *restitutoria*, vel *exhibitoria*. Brunn. *in Exercit. h.* §. I.

Vim

quibus prætor vetat, aliquid fieri: veluti, vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quo ei ius erat inferendi: vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico ripaue eius aliquid fieri, quo peius nauigetur. *Restitutoria* sunt, quibus restitui aliquid iubet: veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede, aut pro possessore possidet ex ea hereditate: aut cum iubet, ei qui vi de possessione deiectus sit, restitui possessionem. *Exhibitoria* sunt, per quæ iubet exhiberi: veluti eum, cuius de libertate agitur: aut libertum, cui patronus operas indicere velit, aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt. Sunt tamen qui putent, proprie interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sit denunciare & prohibere: restitutoria autem, & exhibitoria, proprie decreta voca-

Vim sine vitio &c.) Hoc est, ne vis fiat ei qui in possessionem missus vel mittendus est. *tit. ff. Ne vis fiat.*

Mortuum inferenti) *vid. tit. ff. de mortuo infer.* Hoc interdictum hodie locum habet vtiliter, si quis impediatur mortuum inferre in sepulchrum *familiare*, vel *hereditarium*.

In sacro loco) *Vid. tit. ff. Ne quid in loco sacro fiat.*

Peius nauigetur) Huc pertinent adhuc duo alia interdicta, alterum, *ne quid in flumine publico fiat quo aliter aqua fluant, atque vti priori æstate fluxit*: Alterum, *ne quis in flumine publico nauigare arceatur.* L. *vn. ff. Ne quid in flum. publ.*

vocari. Sed tamen obtinuit, omnia interdicta appellari; quia inter duos dicuntur.

Diuisio secunda.

2. Sequens diuisio interdictorum hæc est, quod quædam adipiscendæ possessionis causa comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

De interdictis adipiscendæ.

3. Adipiscendæ possessionis causa interdictum accommodatur bonorum possessori, quod appellatur, *quorum bonorum;* eiusque vis & potestas hæc est, vt quod ex iis bonis quisque, quorum possessio alicui data est, pro herede aut pro possessore possideat, id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. *Pro herede* autem possidere

---

Ad §. 3. *Bonorum possessori)* Vtiliter cuicunque heredi competit *l.* 1. *C. Quor. bon.*

Quorum bonorum) Hæc & plurium reliquorum interdictorum denominatio, desumpta a verbis initialibus edicti prætorii.

Possessio alicui data) Sc. a prætore; vbi tamen non actualis possessio, sed ius possessionis intelligitur, hoc enim solum prætor confert *l.* 3. *ff. de bon. poss.* ad actualem vero possessionem consequendam, hoc interdicto opus est.

Restituere debeat) Eo quidem etiam tendit hereditatis petitio, sed hoc interdictum ideo vtilius, quia non solenni processu, sed summarie, causa peragitur, & hinc exceptiones altioris indaginis non admittuntur. Affine huic interdicto est remedium *ex l. fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.* vbi heres, qui

dere videtur, qui putat se heredem esse. *Pro possessore* is possidet, qui nullo iure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. Ideo autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum, quia ei tantum vtile est, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem, amiserit eam, hoc interdictum ei inutile est. Interdictum quoque, quod appellatur Saluianum, adipiscendæ possessionis causa comparatum est: eoque vtitur dominus fundi, de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.

De

qui pro se testamentum, nullo visibili vitio laborans, habet, statim rerum hereditariarum possessionem consequi potest. Pertinet etiam huc ex parte interdictum *quod legatorum*, quo heres rei legatæ, a legatorio priuata auctoritate occupatæ, possessionem repetit, vt falcidiam detrahere possit, vel ob aliud interesse *L. 1. & seqq. ff. quod legator. & l. vn. C. eod.*

De rebus coloni) Differt ab actione Seruiana, quod hæc ordinarium remedium sit, illud summarium. In hac probandum rem oppignoratam tempore oppignorationis in bonis debitoris fuisse *L. 15. §. 1. ff. de pignor.* in illo sufficit probasse, debitorem rem oppignorasse & possedisse. Illa contra quemcunque possessorem datur, hoc interdictum tantum contra debitorem *L. 1. C. de precar.* Hoc interdictum vtiliter etiam locatori prædii vrbani, & creditoribus quibuscunque hypothecariis competit *d. l. 1.*

Ad

De interdictis retinendæ.

4. Retinendæ possessionis causa comparata sunt interdicta, *vti possidetis*, & *vtrubi:* cum ab vtraque parte de proprietate alicuius rei controuersia sit, & ante quæratur, vter ex litigatoribus possidere, & vter petere debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit, vtrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui, quia & ciuilis & naturalis ratio facit, vt alius possideat, & alius a possidente petat. Et quia longe commodius est & potius possidere, quam petere; ideo plerumque & fere semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio; propter quam causam, cum obscu-

---

Ad §. 4. *Non potest petitoria actio*) Petitorium cum possessorio toties coniungi potest, quoties ad eundem finem tendunt, ita non potest coniungi petitorium cum interdicto *retinendæ possessionis*: rem enim quam possideo, petere non possum; bene tamen cum *adipiscendæ & recuperandæ possessionis* interdicto, *c*. 3. *& seqq. X. de Caus. poss. & propriet.*

Commodius est) Beneficia possessionis consistunt in eo, quod liberet ab onere probandi, & in dubio pro possessore præsumatur & pronuncietur *h*. §. 4. regulariter titulum edere non teneatur possessor. L. 11. *C. de pet. hered.* & fructus lucretur, si in bona fide sit §. 35. *supra de Rer. diu.* Nec

obſcura ſunt vtriusque iura, contra petitorem iudicari ſolet. Sed interdicto quidem *vti poſſidetis*, de fundi vel ædium poſſeſſione contenditur: *vtrubi* vero interdicto, de rerum mobilium poſſeſſione. Quorum vis ac poteſtas plurimam inter ſe differentiam apud veteres habebat. Nam *vti poſſidetis* interdicto is vincebat, qui interdicti tempore poſſidebat: ſi modo, nec vi, nec clam, nec precario nactus fuerat ab aduerſario poſſeſſionem: etiamſi alium vi expulerat, aut clam arripuerat alienam poſſeſſionem, aut precario rogauerat aliquem, vt ſibi poſſidere liceret. *Vtrubi* vero interdicto is vincebat; qui maiore parte eius anni, nec vi, nec clam, nec precario ab aduerſario poſſidebat. Hodie tamen aliter obſeruatur. Nam vtriusque interdicti poteſtas quantum ad poſſeſſionem pertinet exæquata eſt, vt ille vincat, & in re ſoli, & in re mobili, qui poſſeſſionem nec vi, nec clam, nec precario ab aduerſario litis conteſtatæ tempore detinet.

De

Nec vi) Hæc ſunt vitia poſſeſſionis.

Ab aduerſario) Aliud ſi reſpectu tertii vitioſe rem poſſideat; nam exceptio iuris tertii alteri non prodeſt.

Detinet) Etiamſi animo ſolo adhuc poſſideat *L. 6. §. 1. ff. de adquir. vel amittend. poſſ. l. fin. ff. Vt poſſid. vid. §. ſeq.*

 Ad

De retinenda vel adquirenda possessione.

5. Possidere autem videtur quisque non solum si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licet is eius iuri subiectus non sit: qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quin etiam animo quoque solo retineri possessionem placet: id est, vt, quamuis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius; tamen, si non relinquendæ possessionis animo, sed postea reuersurus inde decesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci vero possessionem per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec vlla dubitatio est, quin animo

Ad §. 5. *Si eius nomine aliquis*) Veluti in constituto possessorio L. 18. *pr. ff. de adq. vel am. poss.*

Retinere possessionem) Vsque dum ipsi resistat alter, vel ipse possidens existimet alterum restiturum *d. l.* 6. §. 1. vel etiam oblitus sit rei hucusque possessæ *l.* 25. *pr. eod. tit.* & hoc in rebus mobilibus.

Animo solo adipisci) Sed corpore & animo simul *l.* 1. §. 3. *de Adquir. vel amitt. poss.* vti & corpore & animo simul amittitur *L.* 8. *ff. eod.* principaliter tamen animo relinquenda possessio *l.* 3. §. 6. *eod.* per consequentiam corpore.

Ad

animo solo adipisci possessionem nemo possit.

De interdicto recuperandæ, & affinibus remediis.

6. *Recuperandæ* possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi, vel ædium, vi deiectus fuerit. Nam ei proponitur interdictum *vnde vi*, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem, licet is ab eo, qui vi deiecit, vi, vel clam, vel precario possideat. Sed ex constitutionibus sacris, vt supra diximus, si quis rem per vim occupauerit, si quidem in bonis eius est, dominio eius priuatur: si aliena, post eius restitutionem, etiam æstimationem rei dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim deiecerit, tenetur lege Iulia de vi priuata, aut de vi publica; sed de priuata, si sine armis vim fecerit, sin autem armis eum de possessione vi expulerit, de vi publica tenetur. Armorum autem appellatione non solum scuta, & gladios, & galeas, sed & fustes, & lapides significari intelligimus.

Di-

Ad §. 6. *Vi, clam*) Et hoc ipso differt interdictum vnde vi ab interdicto vti possidetis vid. §. 4. *h. t.* quia hic vltima vis attenditur *l.* 14. *ff. de vi & vi arm.* nisi hæ in continenti iterum secuta *l.* 3. *§.* 9. *eod.*

Constitutionibus sacris) In *l.* 5. & 7. *C. vnde vi.* *Supra*) §. 1. *de Vi bon. rapt.*

Diuisio tertia.

7. Tertia *diuisio* interdictorum hæc est, quod aut *simplicia* sunt, aut *duplicia*. *Simplicia* sunt, veluti in quibus alter actor, alter reus est: qualia sunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. Nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi aut restitui: reus autem is, a quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. *Prohibitoriorum* autem interdictorum alia simplicia sunt, alia duplicia. *Simplicia* sunt, veluti cum prætor prohibet in loco sacro, vel flumine publico, ripaue eius aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat: reus est, qui aliquid facere conatur. *Duplicia* sunt, veluti *vti possidetis* interdictum & *vtrubi*. Ideo autem duplicia vocantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est: nec quisquam præcipue reus vel actor intelligitur: sed vnusquisque tam rei, quam actoris partes sustinet.

De ordine & vetere exitu.

8. De ordine & vetere exitu interdictorum superuacuum est hodie dicere. Nam quoties extra ordinem ius dicitur, qualia sunt

Ad §. 7. *Sustinet*) Is tamen pro actore habetur qui prius ad iudicium prouocat *l.* 13. *seq. ff. de iudic.* Quo sensu & actio familiæ ercíscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum, dicuntur iudicia duplicia ex eadem ratione.

Ad §. 8. *Extra ordinem ius dicitur*) Ab ipso scil. prætore, non dato prius iudice pedaneo.

TITV-

ſunt hodie omnia iudicia, non eſt neceſſe reddi interdictum: ſed perinde iudicatur ſine interdictis, ac ſi vtilis actio ex cauſa interdicti reddita fuiſſet.

TITVLVS XVI.
DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.

De pœnis in genere.

NVnc admonendi ſumus, magnam curam egiſſe eos, qui iura ſuſtinebant, ne facile homines ad litigandum procederent: quod & nobis ſtudio eſt. Idque eo maxime fieri poteſt, quod temeritas tam agentium, quam eorum, cum quibus agitur, modo pecuniaria pœna, modo iuriſiurandi religione, modo infamiæ metu coerceatur.

De iureiurando, & pœna pecuniaria.

1. Ecce enim, iuſiurandum omnibus, qui conueniuntur, ex Conſtitutione Noſtra, defer-

TITVLVS XVI.

Ad pr. *Ne facile homines*) Verecunda enim eius cogitatio eſt, qui lites execratur *l.* 4. *ſ.* 1. *ff. de alien. iud. mut. cauſ.*

Ad §. 1. *Iuſiurandum*) Vocatur hoc *iuramentum calumniæ*, & eſt vel *generale*, quod ſuper tota cauſa præſtatur, de quo hic: vel *ſpeciale*, ſuper certo articulo, exemplum in *l.* 34. §. 4. *ff. de iurei.* quod etiam vocatur *iuramentum malitiæ*. Et toties imponitur, quoties contra aliquem præſumtio malitiæ eſt. Atque hoc in vſu adhuc eſt in Saxonia, non vero iur. cal. generale.

Conſtitutione noſtra) Quæ extat in *l.* 2. *C. de iurei. propt. cal.* Non

defertur. Nam reus non aliter ſuis allegationibus vtitur, niſi prius iurauerit, quod putans ſe bona inſtantia vti, ad contradicendum peruenit. At aduerſus inficiantes ex quibusdam cauſis dupli vel tripli actio conſtituitur: veluti, ſi damni iniuriæ, aut legatorum, locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Statim autem ab initio pluris quam ſimpli eſt actio: veluti, furti manifeſti, quadrupli; nec manifeſti, dupli. Nam ex his & aliis quibusdam cauſis, ſiue quis neget, ſiue fateatur, pluris quam ſimpli eſt actio. Item, actoris quoque calumnia coercetur. Nam etiam actor pro calumnia iura-

---

Non aliter ſuis) Itaque neceſſario hoc iuramentum præſtandum, ita vt nec a parte remitti poſſit, *d. l.* 2. §. 4. bene tamen a iudice, ſi friuole petatur, aut periurium metuatur Meu. *P.* 2. *Deciſ.* 324. Si reus illud præſtare nolit, vt confeſſus & conuictus condemnatur. *Auth. Principales* §. 7. *C. d. t.*

Putans) Itaque hoc Iuramentum non eſt veritatis, ſed credulitatis.

Se bona inſtantia vti) Summa iuramenti calumniæ hæc eſt, ſe credere ſe habere iuſtam cauſam, ſe interrogatum veritatem confeſſurum, corrumpendi cauſa ſe nihil daturum, vel dediſſe, falſis probationibus ſe non vſurum, nec etiam non neceſſarias exacturum, nec litem temere protracturum *d. l.* 2. *cum Auth. ſeqq.*

Cogitur) Quod ſi iurare nolit, nec iuſtam excuſationis cauſam habeat, reus abſoluitur & actor in

iurare cogitur, ex nostra constitutione, quod non calumandi animo litem mouisset, sed existimando, se bonam causam habere. Vtriusque etiam partis advocati iusiurandum subeunt, quod alia nostra constitutione comprehensum est. Hæc autem omnia pro veteri calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abiit: quia in partem decimam litis actores mulctabat, quod nusquam factum esse inuenimus: sed pro his introductum est, & præfatum iusiurandum, & vt improbus litigator & damnum & impensas litis inferre aduersario suo cogatur.

De infamia.

22. Ex quibusdam iudiciis damnati, igno-

---

in expensas condemnatur *d. Auth. Principales* §. 5. & 6. *C. eod.*

Iusiurandum subeunt) Quod putent se iustam causam defendere, eamque si cognouerint malam defensionem omissuros; & vbique iusta defensione se vsuros.

Alia nostra constitutione) Quæ habetur in *l.* 14. §. 1. *C. de iudic.*

Damnum & impensas) Si sc. improbus litigator fuerit, ac temere, sine iusta causa, litigauerit *l.* 79. *ff. de Iudic.* Quodsi ergo probabilem causam habuerit, etiamsi victus sit, in expensas tamen non condemnatur. Iustam causam vero habuisse censentur, qui responso alicuius collegii iuridici nititur.

Ad

ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo: item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrariis actionibus. Item, pro socio, quæ ab vtraque parte directa est: & ob id quilibet ex sociis eo iudicio damnatus, ignominia notatur. Sed furti quidem, aut vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, aut de dolo, non solum damnati notantur ignominia, sed & pacti: & recte: plurimum enim interest,

vtrum

Ad §. 2. *Ignominiosi*) H. e. infames. vid. *tot. tit. ff. de his qui not. infam. & tit. C. ex quib. caus. infam. irrog.*

Veluti furti) Et in genere ex omnibus delictis tam publicis quam priuatis, modo condemnatio ex dolo fiat; hinc ex L. Aquilia condemnatus non fit infamis *l. 7. ff. de publ. iud.*

Tutelæ, mandati) In his enim contractibus singularis alterius fides requiritur, quam fallere sine turpitudine non licet; inde vocantur *contractus infamantes.* Sed hoc ita, si ex dolo condemnetur alter, & doli mentio in sententia expresse fiat. *l. 4. §. 1. & 2. ff. de Suspect. tut.*

Non contrariis) His enim de impensis restituendis agitur, non de dolo s. perfidia *l. 6. §. fin. ff. de his qui not. infam.* Est tamen in *d. l. 6. §. 5.* casus vbi etiam contraria actione condemnatus, infamis fit, si scil. mandatus promissam fidem iterum non præstiterit; veluti, si fideiussor soluerit pro principali, & hic postea actione mandati contraria a fideiussore conuentus, si condemnari patiatur.

Sed & pacti) Modo non gratis *l. 6. §. 3. ff. de his, qui not. inf.* Inde pactum hic pro transactione

capi-

vtrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor sit.

De in ius vocando.

§. 3. Omnium autem actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua prætor edicit de in ius vocando. Vtique enim inprimis adversarius in ius vocandus est: id est, ad eum vocandus, qui ius dicturus sit. Qua parte prætor parentibus & patronis, item parentibus liberisque patronorum & patronarum, hunc præstat honorem, vt non aliter liceat liberis libertisque eos in ius vocare, quam si id ab ipso prætore postulauerint, & impetrauerint. Et, si quis aliter vocauerit, in eum pœnam solidorum quinquaginta constituit.

Titv-

---

capitur. Ratio est: quia transigens super crimine siue priuato, siue publico, modo non capitali, illud confiteri præsumitur L. 5. *ff. de his qui not. infam.* Aliud in crimine capitali, vbi fauore redimendi sanguinis censetur transegisse & sic infamis non fit. *C. de. Transact. l.* 1. *ff. de bon. eor. qui ante sent.*

An ex contractu) Qui super contractu infamante transigit, non adeo turpiter facit, quam qui super delicto *l.* 7. *ff. de his qui not. inf.*

Ad §. 3. *Impetrauerint*) Nam priuata auctoritate olim fiebat in ius vocatio, etiam obtorto collo Brisson. *de formul. ac solenn. pop. Rom. verb. lib.* 5. Et hinc quandam continebat iniuriam. Hodie successit *citatio*, quæ cum iussu judicis & ita publica auctoritate fiat, iniuriam non continet, & sic

Titvlvs XVII.
DE OFFICIO IVDICIS.

De officio iudicis in genere.

SVpereſt, vt de officio iudicis diſpiciamus. Et quidem inprimis illud obſeruare debet iudex, ne aliter iudicet, quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

De iudicio noxali.

1. Ideoque ſi noxali iudicio aditus eſt, obſeruare debet, vt, ſi condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, *Publium*

ſic veniæ impetratione non opus eſt. vid. ſupra §. 12. *de Action. & ibi not.* Eſt vero citatio vel *realis*, vel *verbalis*, & hæc vel *publica* ſ. edictalis, vel *priuata* velut in faciem vel ad domum. Deinde vel *dilatoria* eſt, vel *peremptoria*.

TITVLVS XVII.

Ad Rubr. Officium iudicis vulgo vel *nobile* dicitur, vel *mercenarium:* Illud eſt, quod proprio motu toties exercet, quoties æquitatis & ſalutis publicæ cauſa ſubeſt, veluti in delictis vid. *l.* 13. *ff. de Off. Praeſ.* Hoc dicitur, quod non impertitur, niſi imploratus, & obtinet ſi cauſa mere priuata ſit & nulla publicæ ſalutis ratio concurrat. Et huc pertinet quod dicitur, wo kein Kläger, da kein Richter, non vero ad iudicium nobile. vid. Diſp. noſtra *de Clauſula libell. ſalut. cap.* 1.

Ad pr. *Legibus, aut conſtitutionibus, aut maioribus.*) Hæc inuertenda potius. Prius enim iudex attendere debet, quid *moribus* obtineat, deinde, quid *conſtitutionibus* prouincialibus, ac denique quid *legibus* ſeu iure communi.

Ad

blium Mæuium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.

De actionibus realibus.

2. Etsi in rem actum sit coram iudice: siue contra petitorem iudicauerit, absoluere debet possessorem: siue contra possessorem, iubere ei debet, vt rem ipsam restituat cum fructibus. Sed si possessor neget, in præsenti se restituere posse, & sine frustratione videbitur tempus restituendi causa petere, indulgendum est ei: vt tamen de litis æstimatione caueat cum fideiussore, si intra tempus, quod ei datum est, non restituerit. Et si hereditas petita sit, eadem circa fructus interueniunt, quæ diximus intervenire

Ad §. 1. *Aut noxam*) Ita enim formanda quoque petitio libelli. Sententia autem libello debet esse conformis, *l.* 18. *ff. Commun. diuid.*

Ad §. 2. *Intra tempus*) Hoc ita, si ad quantitatem certam restituendam agatur, pecuniam enim paratam non semper in promptu habere solemus. *L.* 105. *ff. de Solut.* Hinc reo quadrimestre spatium in iure concessum *l. vlt. C. de Exsec. rei iud.* Species vero si in obligatione sit, illa statim restituenda L. 9. *ff. de R. V.* nisi ex iusta causa dilationem petat, vti etiam explicari potest hic §.

Eadem circa fructus) In duobus differunt; primo, quod in rei vindicatione iudex fructus ante litem contestatam perceptos, non adiudicet, nisi petiti fuerint *l.* 10. *ff. de vsur.* aliud in petitione hereditatis *l.* 20. §. 3. *ff. de hered. pet.* Deinde quod in hereditatis petitione restituendi fructus con-

venire de singularum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpa sua possessor non perceperit, siue illorum, quos perceperit, in vtraq; actione eadem ratio pene habetur, si prædo fuerit. Si vero bonæ fidei possessor fuerit, non habetur ratio neq; consumptorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt.

De actione ad exhibendum.

3. Si ad exhibendum actum fuerit, non sufficit, si exhibeat rem is, cum quo actum est: sed opus est, vt etiam rei causam debeat exhibere; id est, vt eam causam habeat actor, quam habiturus esset, si, cum primum ad exhibendum egisset, exhibita res fuisset. Ideoque, si inter moras exhibendi vsucapta sit res a possessore, nihilominus condemnabitur. Præterea fructuum medii temporis,

---

sumti, in quantum b. f. possessor iis redditus locupletior *l.* 25. §. 11. *ff. eod.* non vero in rei vindicatione *l.* 4. §. 2. *ff. fin. regund.*

Inchoatam autem petitionem) H. e. post litem contestatam *l.* 22. *C. de R. V.* quia eo ipso b. f. possessor in mala fide constituitur.

Ad §. 3. *Rei causam*) H. e. omnem accessionem rei, & vtilitatem interim perceptam *l.* 35. *ff. de V. S.*

Cum primum) Itaque exhibenda res non deteriorata, non vsucapta *l.* 9. §. 3. & 5. *ff. ad exhibend.*

Fructuum medii temopris) Si scil. possessor hoc iudi-.

poris, id est, eius, quod post acceptum ad exhibendum iudicium, ante rem iudicatam antecesserit, rationem habere debet iudex. Quod si neget reus, cum quo ad exhibendum actum est, in præsenti se exhibere posse & tempus exhibendi causa petat, idque sine frustratione postulare videatur, dari ei debet, vt tamen caueat se restituturum. Quod si neque statim iussu iudicis rem exhibeat, neque postea exhibiturum se caueat, condemnandus sit in id, quod actoris intererat, si ab initio exhibita esset.

Familiæ ercifcundæ.

4. Si familiæ ercifcundæ iudicio actum sit, singulas res singulis heredibus adiudicare debet. Et si in alterius persona prægrauare videatur adiudicatio, debet hunc inuicem coheredi certa pecunia, sicut iam dictum est, condemnare. Eo quoque nomine coheredi quisque suo condemnandus est, quod solus fructus hereditarii fundi percepe-

iudicio victus, de re ipsa vlterius litigare nolit. Alias, ad restituendam rem cum fructibus, hac actione non agitur.

Sine frustratione) H. e. ex iusta causa *l.* 5. §. *vlt.* & *l.* 12. §. 5. *ff. ad exhibend.*

Ad §. 4. *Adiudicare)* Exceptis nominibus, quæ inter heredes sunt ipso iure diuisa. *l.* 4. *ff. famil. ercisc.*

Solus fructus) Dicuntur inde præstationes personales;

ceperit, aut rem hereditariam corruperit, aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quam duos coheredes, subiequuntur.

Communi diuidundo.

5. Eadem interueniunt, & si communi diuidundo de pluribus rebus actum sit. Quod si de vna re, veluti de fundo: si quidem iste fundus commode regionibus diuisionem recipiat, partes eius singulis adiudicare debet. Et si vnius pars prægrauare videbitur, is inuicem certa pecunia alteri condemnandus est. Quod si commode diuidi non possit; veluti, si homo forte, aut mulus erit, de quo actum sit; tunc totus vni adiudicandus est, & is inuicem alteri certa pecunia condemnandus est.

Finium regundorum.

6. Si finium regundorum actum fuerit, dispicere debet iudex, an necessaria sit adiudicatio, quæ sane vno casu necessaria est, si eui-

---

nales, si sc. alter quid lucri perceperit ex hereditate, vel quid damni dederit.

Ad §. 5. *Totus uni*) Alterum tamen alteri inuito præferre non potest iudex, quia omnium æquale ius est; hinc vel sorti res committenda, vel plus licitanti adiudicanda *L. 3. C. commun. de leg.* vel alternatio concedenda, vt vsusfructus rei alternis annis coheredibus adiudicetur, quod vocatur die Mutschierung, vid. Besold. *in Thes. Pract. sub illa voce.*

Ad

ſi euidentioribus finibus diſtingui agros commodius ſit, quam olim fuiſſent diſtincti. Nam tunc neceſſe eſt, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adiudicari, quo caſu conueniens eſt, vt is alteri certa pecunia debeat condemnari. Eo quoque nomine condemnandus eſt quisque hoc iudicio, quod forte circa fines aliquid malitioſe commiſit: verbi gratia, quia lapides finales furatus eſt, vel arbores finales excidit. Contumaciæ quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur: veluti, ſi quis iubente iudice metiri agros paſſus non fuerit.

De adiudicatione.

7. Quod autem iſtis iudiciis alicui adiudicatum fuerit, id ſtatim eius fit, cui adiudicatum eſt.

Titvlvs XIIX.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

Diffe-

Ad §. 6. *Malitioſe*) Hoc dicitur crimen termini moti, vid. *tit. ff. de term. mot.*

Ad § 7. *Statim*) Alias per traditionem transfertur dominium *l.* 20. *C. de Pact.* Sed exceptio eſt in iis, quæ vel auctoritate legis, vt *legata*; vel auctoritate iudicis transferuntur, de quibus hic.

TITVLVS XIIX.

Ad Rubr. Publica iudicia, ſiue delicta opponuntur delictis priuatis, a quibus differunt non in eo, quod illis principaliter lædatur reſp. ſed quod lege publica ſpecialiter vindicentur *l.* 3 §. *f. ff. de praeuaricat.* & cuilibet ex populo poteſtas

 agen-

Differentia a priuatis.

PVblica iudicia neque per actiones ordinantur, neque omnino quicquam simile habent cum ceteris iudiciis, de quibus locuti sumus, magnaque diuersitas eorum est & in instituendo, & in exercendo.

Etymologia.

1. Publica autem dicta sunt, quod cuiuis ex populo executio eorum plerumque datur.

Diuisio

---

agendi competat §. 1. *h. tit.* ad pœnam publicam. *arg.* §. 2. *h. t.*

Ad pr. *Neque omnino quidquam*) Hoc intelligendum, quod *non in omnibus conueniant*, cum iudiciis priuatis; in quibusdam enim omnino conveniunt. Brunn. *in Exercit. h. l. n.* 2.

In instituendo) Nam in publicis requirebatur inscriptio nominis quoad identitatem supplicii, non in priuatis *l. fin. ff. de priu. del. l.* 3. §. 2. *de Accus.*

In exercendo) In publicis adhibentur quæstiones, sc. tortura, non vero in priuatis *tot. tit. ff. & C. de quæst.* vid. prolixius Brunn. *cit. l. n.* 5. *seqq.*

Ad §. 1. *Cuiuis ex populo*) Et quidem ad pœnam publico applicandam. Qua in re differunt ab actionibus popularibus, quæ etiam cuilibet ex populo dantur, sed ad pœnam sibi applicandam *l.* 2. *&* 3. §. 1. *ff. de popul. act.* Et hæ etiam anno exspirant, *l. fin. eod.* iudicia publica vicennio *L.* 12. *C. ad L. Corn. de Fals.*

Plerumque) Nam secus est in crimine suppositi partus, vbi solis parentibus *l.* 30. §. 1. *ff. ad L. Corn. de Fals.* & crimine adulterii, vbi soli marito datur *l.* 30. *C. ad L. Iul. de Adult.* Quod si hic vindictam thori negligat, ipse de lenocinio conuenitur *l.* 2. §. 1. *& l.* 16. *ff. ad. L. Iul. de Adult.*

Ad

Diuiſio.

2. Publicorum iudiciorum quædam *capitalia* ſunt, quædam *non capitalia.* Capitalia dicimus, quæ vltimo ſupplicio afficiunt homines, vel etiam aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Cetera, ſi quam infamiam irrogant cum damno pecuniario, hæc publica quidem ſunt, non tamen capitalia.

Exempla. De læſa Maieſtate.

3. Publica autem iudicia hæc ſunt: Lex Iulia Maieſtatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel rem publicam aliquid mo-

Ad §. 2. *Aquæ & ignis*) Nam his pœnis *caput ciuile* amittitur.

Ad §. 3. *Maieſtatis*) Crimen læſæ maieſtatis duplex eſt, vel *perduellionis*, quod contra vitam Principis & in perniciem reip. ſuſceptum, de quo hoc loco: vel *ſimplex* læſæ maieſtatis crimen, quo quis aliquid contra dignitatem Principis machinatur: veluti iura Maieſtatis vſurpando. Iniuriæ vero huc non pertinent. *l. vn. C. ſi quis Imp. maledix.*

Imperatorem) Aut illos, qui corporis maieſtatici partes ſunt; veluti conſiliarii intimi *l. 5 C. ad L. Iul. Mai.* Quo reſpectu, & quia ſunt quaſi pars corporis Imp. etiam in electores idem committitur Aur. Bull. *tit.* 24. In ceteros vero Principes imperii tantum improprie. Inde hoc caſu tantum illa rei bona confiſcantur, quæ in territorio Principis læſi ſita; illo caſu vero omnia vbicunque in imperio ſita. Committunt autem hoc crimen proprie ſaltim *ſubditi*; non *vaſalli*, ſed hi tantum feloniam *Clement.* 2. *de Sent. & re iud.*

moliti sunt, suum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.

De adulteriis.

4. Item lex Iulia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum

---

Moliti sunt) Sufficit enim de nece Principis & summorum virorum tantum cogitasse. Hinc & conatus hic punitur *l. 1. pr. & l. 5. C. ad L. Iul. Mai.*

Animæ amissionem) Hoc est *vitæ*. Solet tamen supplicium pro grauitate criminis exasperari, vel igne, vel dissectione in quatuor partes; præterea bona confiscantur; filii infamia notantur, atque honoribus ac successione priuantur, quia in iis semina paternæ malitiæ metuuntur. Filiæ vero ex materna hereditate quartam retinent. *d. l. 5.*

Memoria) Idem repetitum in A. B. *tit.* 24. hoc est perpetua eius nomini inuritur infamia. vid. Dn. Parens *tr. de Iure Sens. Diss.* 8. *c.* 14. *seqq.*

Ad §. 4. *Adulteriis*) Hoc in nuptam proprie committitur; si fœmina soluta, stuprum est, *l. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. de Adult.* & sic maritus cum soluta iure ciuili adulterium non committit; quod hodie secus, præsertim in Saxonia, vbi maritus tali casu gladio punitur. Carpz. *Pr. Crim. qu.* 54. *n.* 38.

Alienarum nuptiarum) Hinc thori alieni violatio dicitur adulterium: licet secundum mores nostros rectius dicatur, *violatio fidei coniugalis.*

Gladio) Hanc pœnam etiam sustinet solutus cum nupta adulterans, nec mitior pœna vxoris adulteræ est L. 30. *C. ad L. Iul. de Adult.* Licet Iustin. in *Nou.* 34. *c.* 10. hanc verberatam in monasterium detrudi velit.

Punit) Statutis tamen multorum locorum, præsertim

cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege Iulia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honeste viuentem, stupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coercitionem, cum relegatione.

De sicariis.

5. Item lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas vltore ferro persequitur, vel eos, qui

sertim Lubecensibus, pœna est, pecuniaria, & hinc dispensabilem eam dicunt.

Nefandam) Scelus hoc non proficit scire, *l. Cum vir nubit.* 31. *C. ad L. Iul. de adult.* Sodomiticum crimen vulgo dicitur. Quod inter homines eiusdem sexus, gladio: inter hominem & bestiam, igne punitur.

Stupri) Hoc a *fornicatione* differt, quod illud in personam honestam; hæc in meretricem, seu iam corruptam, committatur.

Pœnam) Hodie plerumque carceris est. Sed si ad interesse ciuile agat stuprata, aut dotanda, aut ducenda. Ius diuinum vero hoc copulatiue exigit *Deut.* 22. *v.* 29.

Ad §. 5. *De Sicariis*) Omne homicidium hic vindicatur, quacunque ratione commissum, modo non sine dolo; culposum enim ad L. Aquiliam spectat. Sed & præparatio ad occidendum hic punitur.

Vltore ferro) Si tamen magnæ insidiæ concurrant, loco gladii rota substituitur, præsertim in latrocinio & assassinio.

qui homines occidendi cauſa cum telo ambulant. Telum autem, vt Caius noſter ex interpretatione legum duodecim tabularum ſcriptum reliquit, vulgo quidem id appellatur, quod arcu mittitur, ſed & nunc omne ſignificat, quod manu cuiusque iacitur, ſequitur ergo, vt lignum, & lapis, & ferrum hoc nomine contineantur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, a græca voce τηλȣ̃ figuratum. Et ſic hanc ſignificationem inuenire poſſumus & in græco nomine: nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, ἀπὸ τȣ̃ βάλλειν. Admonet nos Xenophon: nam ita ſcribit: καὶ τὰ βέλη ὁμῶς ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Sicarii autem appellantur a ſica, quod ſignificat ferreum cultrum. Eadem lege & vene-

---

Occidendi cauſa) Si homicidium ſecutum, ſufficit animus lædendi, & hominem ex vulnere periiſſe.

Cum telo ambulat) Geſtio armorum non indiſtincte permiſſa fuit; hæc tamen ſola hic non intelligitur, ſed concurrens animus occidendi.

Omne ſignificat) Telorum ratio habenda, an ſc. mortifera fuerint, ſed in caſu dubio. Vbi vero animus occidendi certus eſt, nihil refert, quo inſtrumento perierit homo.

Vene-

venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.

De parricidiis.

6. Alia deinde lex asperrimum crimen noua pœna persequitur, quæ Pompeia de parricidiis vocatur: qua cauetur, vt, si quis parentis, aut filii, aut omnino affectionis eius,

---

Venefici) Hi vel tales sunt, qui veneno occidunt, quorum pœna est rota, si masculus; culei, si fœmina hoc patrauerit. *Const. crim. art.* 130. vel qui artibus magicis nocent.

Capite damnantur) Si pactum expressum cum diabolo præcesserit, pœna ignis locum habet. *Constit. Crim. art.* 109. Alias pœna gladii.

Odiosis) Hæ artes non ex fine æstimandæ, an noceant, an prosint; quod vltimum attendere videtur constitutio Imp. Constantino indigna in *l.* 4. *C. de Malefic.* sed æstimandæ ex malitia sua interna.

Susurris) Huc pertinet das Seegen-sprechen, sine, certis verborum formulis, plerumque profanationem nominis diuini continentibus, mala auertere, vel commodum aliquod promouere.

Vendiderint) Ergo venena publice non vendenda a pharmacopolis, sub pœna arbitraria.

Ad §. 6. *De parricidiis*) Hæc homicidii species est, sed ob sui atrocitatem singulari pœna vindicanda.

Affectionis eius) Alii legunt *affinitatis*. Sed male, vti apparet ex *l. vn. C. de his qui parent. vel lib. occid.* Hodie parricidii pœna tantum obtinet inter paren-

eius, quæ nuncupatione parentum continetur, fata properauerit, siue clam, siue palam id ausus fuerit, nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur: & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alii solenni pœnæ subiiciatur, sed insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur: vt

rentes & liberos, etiam naturales; & inter maritum & vxorem, ob vnitatem carnis *Const. Crim. art.* 130. Inter fratres reliquosque cognatos pœna gladii tantum sibi locum vindicat, nisi magnæ insidiæ accesserint.

Ausus fuerit) Iure Ciuili in atrocioribus criminibus conatus, ad actum proximum accedentis, eadem pœna est, quæ delicti consummati. Moribus vero est arbitraria.

Conscius criminis) Si modo consilii particeps fuerit *l. 6. ff. ad l. Pompei. de partic*, alias scientia arbitrarie punitur.

Cum Cane) Animalia hæc immittuntur culeo, ob antipathiam, quæ inter hæc obtinet, quorsum pertinent sequentia: *inter eas ferales angustias*. Imo in plerisque his animalibus parricidii vestigia adsunt. *Gallus* quandoque occidit pullos; *Vipera* nascendo perimit matrem: *Simia* amplexu necat partum. Quod tamen hodie non obseruatur.

Regionis qualitas) Vbi aquæ copia deficit, gladius obtinet, corpore rotæ imposito.

Ad

vt omnium elementorum vſu viuus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate perſonas coniunctas necauerit, pœnam legis Corneliæ de ſicariis ſuſtinebit.

De falſis.

7. Item lex Cornelia de falſis, quæ etiam teſtamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui teſtamentum, vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignauerit, recitauerit, ſubiecerit, vel ſignum adulterinum fecerit, ſculpſerit, expreſſerit, ſciens, dolo malo. Eiusque legis pœna in ſeruos vltimum ſupplicium eſt, quod etiam in lege de ſicariis & veneficiis ſeruatur: in liberos vero deportatio.

De

Ad §. 7. *De falſis*) Falſum in veritatis immutatione conſiſtit; ſed crimen falſi demum naſcitur, ſi hoc fiat in damnum alterius.

Teſtamentaria) In teſtamentis enim frequentiſſime falſa committebantur *vid. tit. C. de his qui ſibi adſcrib.*

Falſum ſcripſerit) Non omnem falſitatem huc referunt, ſed illam tantum, quæ *lege notata*; reliquæ fraudes & machinationes ad crimen ſtellionatus pertinent. *vid. tn.* Carpz. *pr. crim. qu.* 93. *n.* 15.

Vltimum ſupplicium) Crimen falſi non vnius generis eſt, ſed alterum altero grauius, hinc pœna eſt arbitraria, pro qualitate doli & damni æſtimanda. In crimine falſæ monetæ, ſi non tantum cauſa, ſed & expenſa ſit, pœna ignis obtinet. *Conſt. Crim. art.* III.

Ad

8. Item lex Iulia de vi publica, seu priuata, aduersus eos exoritur, qui vim, vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed si quidem armata vis arguatur, deportatio ei ex lege Iulia de vi publica irrogatur. Si vero sine armis, in tertiam partem bonorum suorum publicatio imponitur. Sin autem per *vim raptus* virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus, tunc & raptores, & ii qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur, secun-

---

Ad §. 8. *Armata vis*) Huc spectat crimen *fractæ pacis publicæ*; si vis armata coadunatis hominibus, quibus resisti non potuit, dolose inferatur: cuius pœna gladius Carpz. *pr. crim. quæst.* 40. *n.* 2. *seq.*

Sine armis) Ergo *alapa* ad vim publicam non pertinet, bene tamen *baculus*.

Per vim raptus) Imo etiam in volentem committitur raptus, si rapta nondum sui iuris sit. *L. vn. §. 2. C. de rapt. virg.* quia velle nondum potuit. L. 3. *&* 4. *ff. de R. I.*

Sanctimonialis) Hanc matrimonii causa tantum attentans, capitis pœnæ subiicitur *l.* 5. *C. de episc. & cler.* quod de capite ciuili intelligendum.

Qui opem) Cum raptus sine sociis & comitibus patrari nequeat, his merito tanquam sociis & criminis idem supplicium imminet. Casum elegantem qui Hagæ contigit anno 1664. refert Brouvver *de Iur. Connub. lib.* 2. *c.* 23. *n.* 38.

Capite puniuntur) Nec excusat raptorem matrimonium subsequens *d. l. vn.* sed iure canonico & moribus aliud obtinet. Carpz. *lib.* 6. *resp.* 88. *n.* 13.

Ad

ſecundum noſtræ conſtitutionis definitionem, ex qua hoc apertius poſſibile eſt ſcire.

De peculatu.

9. Item lex Iulia peculatus eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem ſacram, vel religioſam, furati fuerint. Sed, ſi quidem ipſi iudices tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerint, capitali animaduerſione puniuntur: & non ſolum hi, ſed etiam qui miniſterium eis ad hoc exhibuerint, vel qui ſubtractas ab his ſcientes ſuſceperint. Alii vero, qui in hanc legem inciderint, pœna deportationis ſubiugentur.

De plagiariis.

10. Eſt & inter publica iudicia lex Fabia

Ad §. 9. *Publicam pecuniam*) In ſpecie exigitur ad peculatum, vt ille furatus ſit, cuius periculo pecunia non fuit L. 9. §. 2. *ff. ad l. Iul. pecul.*

Rem ſacram) Hoc in ſpecie ſacrilegium dicitur, ein Kirchen-Raub, quod per *Conſt. Crim. art.* 171. committitur, etiamſi res priuati ex loco ſacro ſurripiatur. Sed pœna eſt patibuli; in Saxonia rotæ. Carpz. *quæſt.* 19. *n.* 18. ſcil. in caſu, ſi res ſacra ex loco ſacro ablata.

Ipſi iudices) Ergo quo magis crimen dignitati aduerſum, eo magis ob dignitatem augenda pœna. L. *vn. C. de Crim. pecul.*

Ad

bia de plagiariis, quæ interdum capitis pœnam ex sacris constitutionibus irrogat, interdum leuiorem.

De ambitu, repetundis, annona, residuis.

11. Sunt præterea publica, iudicia, lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarum, & lex Iulia de annona, & lex Iulia de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur, & ani-

Ad §. 10. *Plagiariis*) Plagium est surreptio aut suppressio liberi hominis, dolo malo facta. Cuius solenne exemplum est in Saxonia in plagio Kauffungiano de quo Carpz. *pr. Crim. quæst.* 83.

Capitis pœnam) Hæc iuri diuino conueniens est *Deut.* 24. *v.* 7. Conspirat ius canonicum *c.* 2. *X. de furt.* Sed Circumstantiæ hic probe considerandæ, quis animus plagiarii fuerit.

Ad §. 11. *De ambitu*) Hoc crimen committunt, qui pretio ad officia publica adspirant; quod crimen in ecclesiasticis dicitur simonia, a Simone Mago *Act.* 8. *v.* 18.

Repetundarum) Dicitur ita, a repetendis pecuniis malo more perceptis; committitur enim ab illis, qui pecuniam accipiunt, vt faciant vel omittant, quod ipsis vi officii incumbebat *L.* 1. *pr. ff. ad L. Iul. Repetund.* Vulgo vocatur *Baratteria.*

De annona) Hoc committunt flagellatores annonæ, siue dardanarii, de quibus in *L.* 6. *ff. de extraord. crimin.* Pœna quandoque ad mortem extendi potest, si homines quidam inde perierint fame. *Const. Crim. art.* 113.

De residuis) Hoc committunt illi, quorum periculo & fidei pecunia publica commissa; si illam in suos vsus conuerterit. *L.* 4. *§.* 3. *ff. ad L. Iul. pecul.*

animæ quidem amissionem non irrogant: aliis autem pœnis eos subiiciunt, qui præcepta earum neglexerint.

Excusatio.

12. Sed de publicis iudiciis hæc exposuimus, vt vobis possibile sit summo digito & quasi per indicem ea tetigisse: alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris Deo propitio aduentura est.

---

pecul. Hic pœna mitior, scil. restitutio ablati cum tertia eius parte *l. 2. ff. d. t.* quia pecuniam non tam inuito domino contrectant, quam perfide agunt. *L. tres tutores* 55. *ff. de administ. tut.* Fallit in Saxonia, si vltra centum flor. abstulerint, vbi suspendio locus. Carpz. *pr. cr. qu.* 85.

Aliis autem pœnis) Hoc singulare est, quod in crimine peculatus, repetundarum & de residuis etiam heredes teneantur, etiamsi nihil ad eos peruenerit, nec lis contestata, scil. quatenus agitur ad ablatam pecuniam restituendam. *L. fin. ff. ad L. Iul. pecul.* Alterum singulare, quod quinquennio his criminibus præscribatur *l. 7. ff. d. t.* iuncta *L. 29. §. 6. in f. ff. ad L. Iul. de adult.*

Ad §. 12. *Summo digito)* Medium seu longiorem digitum hic intelligit Accursius, sed male; sensus enim metaphoricus est & notus. Proprie phrasis, *digitis ostendi*, capitur in *L. 6. ff. de Reb. cred.* Caueant ergo studiosi, ne proprie phrasin illam capiant, nimis perfunctorie Instituta tractando, ita enim illotis manibus Digesta aggredientur, contra monitum ICti *L. 1. ff. de O. I.* Nos *DEO propitio* laudes pro exantlato labore æternas nuncupamus

S. D. G.

REGVLÆ IVRIS,

Tam ciuilis, quam Canonici,
In tres Centurias diuisæ,
&
Secundum litteras sequentes:

LEOPOLDVS IGNATIVS.

H. B. R.
distinctæ.
Quas
Augustissimus Imperator noster
in prima iuuentute sua
post
INSTITVTIONES IVRIS
quotidie sibi explicari curauit.

L

Laudes & gratias, quas Domino Deo exhibere debemus, nec mens nostra potest concipere nec lingua proferre.

l. 1. C. de Officio Præfecti Prat. Africæ.

Legem concedere soli Imperatori conuenit.

l. fin. C. de legib.

Legem interpretari debet is, qui eam concedere potest. *l. 9. c. de LL.*

Lege permittente quod fit, pœnam non meretur.

l, quid sit fugitiuus 17 §. 12. ff. de ædil, edict.

Leges de futuris, non de præteritis, disponunt.

l. 7. C. de legib.

Leges indigent armis. *In Proœm. Inst. Iust.*

Leges non dedignantur sequi sacros canones.

Nou. 83. c. 1. & ibi Goth.

Leges sunt sacratiss. & ab omnibus sciri debent.

l. Leges sacratissimæ 9. C. de Legib.

Legibus non exemplis, iudicandum.

l. nemo 13. C. de Sent. & inter l. omn. Iudicum.

Legis auxilium frustra implorat, qui in Legem committit. *l. auxilium 37. in fin. ff. de Minor.*

Legislator commune bonum præferre debet priuato. *l. vtilitas 3. C. de Primipil. lib. 12.*

Lex debet esse clara. *Nou. 107. c. 1.*

Lex posterior derogat priori.

l. Non est nouum 26. ff. de Legib.

Lex subditos tantum ligat. *l. fin. ff. de Iurisd.*

Lex vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus.

l. de pretio 8. ff. de publ. in rem. act.

Ea,

E

Ea, quæ fortuitis casibus accidunt, in nullo bonæ fidei iudicio præstantur.

l. quæ fortuitis 6. *& l. si nulla* 8. *C. de pign. act.*

Ea, quæ probari ostendique nequeunt, pro non gestis neque existentibus habentur.

l. in Lege 77. *ff. de contrah. emt.*

E duobus malis minus eligendum.

l. exigendi 11 *C. de Procuratoribus.*

Emptor eiusdem iuris est, cuius fuit auctor.

l. 165. §. 3. *ff. de R. I.*

Errantis nullus est consensus.

l. 116. §. *fin. ff. de R. I. l.* 15. *ff. de Iurisd.*

Est quidem res sanctissima Ciuilis sapientia, sed quæ pretio nummario non sit æstimanda.

l. 1. §. 5. *ff. de var. & extraord. cognit.*

Etiam per vnum actum contrarium perditur priuilegium.

l. 1. *C. de his, qui sponte pub. num. sub.*

Exceptionem obiiciens non videtur de intentione aduersarii confiteri.

c. Exceptionem 63. *R. I. in* 6.

Ex consilio non fraudulento nemo obligatur.

c. nullus 62. *de R. I. in* 6.

Ex conuentione contractus legem accipiunt.

cap. Contractus 85. *de R. I. in* 6.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

cap. ex eo 38. *de R. I. in* 6.

Ex errore dati repetitio est. *l.* 53. *de R. I.*

Exorbitantia a Iure ad consequentiam non sunt trahenda. *c.* 28. *de R. I. in* 6.

Expedit Reip. vt delicta puniantur.

l. 51. *§. fin. ff. ad L. Aquil.*

Expressa nocent, non expressa non nocent.

l. 195. *de R. I.*

O

Ob gratiam alicui concessum, non est trahendum in ipsius dispendium.

cap. 61. *de R. I. in* 6.

Obscura cum sunt iura, reo fauendum est potius, quam actori.

cap. cum sunt 11. *de R. I. in* 6.

Oculis magis, quam auribus est credendum.

§. *fin. Inst. de grad. cogn.*

Odia restringenda sunt, fauores autem ampliandi.

cap. odia 15. *de R. I. in* 6.

Odio duplici nemo debet prægrauari.

l. nauis onusta 4. §. 2. *ff. ad L. Rhod. de iactu.*

Offensa Magistratui facta, videtur esse facta Principi. *Dd. in l.* 1. §. *fin. ff. de iniur.*

Offensio quando est licita, defensio est illicita.

l. prohibitum 2. *C. de iure fisci.*

Officium suum nemini debet esse damnosum.

l. sed si quis 7. *ff. Testam. quemadm. aper.*

Omne qui dicit, nihil excludit.

l. Iuliano 68. *in pr. ff. de legat.* 3.

Omnes quod tangit, ab omnibus debet approbari.

cap. quod omnes 29. *de R. I. in* 6.

Omnis definitio in iure est periculosa.

l. 202. *ff. de R. I.*

Omnis obligatio tollitur, soluto eo, quod debetur.

Princ. Inst. quib. mod. toll. oblig.

Onus qui sentit, sentiat & commodum.

l. secundum naturam 10. *ff. de R. I.*

Onus rei transit cum re ipsa.

cap. Pastoralis 28. *X. de Decimis.*

Ordinationi Dei resistit, qui Imperatori resistit.

can. qui resistit. C. 11. *q.* 3.

Pec-

P

Peccati venia non datur, nisi correcto:
cap. peccati 5. *de* R. *I. in* 6.

Per alium qui facit, perinde est, ac si faciat per se ipsum, *cap. qui facit* 72. *de* R. *I. in* 6.

Plus cui licet, & minus licet,
l. 21. *ff. de* R. *I.*

Plus semper in se continet minus,
cap. plus 35. *de* R. *I. in* 6.

Potest quis per alium, quod facere potest per se ipsum. *cap. potest* 68. *de* R. *I. in* 6.

Princeps præsumitur omnia iura habere in scrinio pectoris sui.
l. omnium 19. *C. de Testamentis.*

Princeps quandoque propter importunitatem concedit, quæ concedenda non sunt, & ideo talis concessio non valet.
l. 1. *C. de petitionib. bonor. sublatis lib.* 10.

Princeps quod ex certa scientia fecit, improbare, est crimen sacrilegii.
l. 2. *C. de Crim. sacrileg.*

Principi nihil est clarioris luminis, quam recta fides & Religio.
l. 3. *& seqq. C. de SS. Trin. & F. Cathol.*

Prior tempore, potior Iure.
cap. qui prior 54. *de* R. *I. in* 6.

Priuilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona,
cap. priuilegii 7. *de* R. *I. in* 6.

Prohibito aliquo, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex eo,
cap. cum quid 39. *de* R. *I. in* 6.

Pro impleta habetur conditio, cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur. *cap. cum non stat.* 66. *de* R. *I. in* 6.

Pro infectis habentur, quæ contra ius fiunt.
cap. quæ contra 65. *de R. I. in* 6.

Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.
cap. pro possessore 36. *de R. I. in* 6.

O

Occidisse vulgo dicitur, qui mortis causam præbuit.
l. ita vulneratus 51. *in pr. ff. ad L. Aquil.*

Occupantis conditio melior est in pari causa.
l. si quis a multis. 14. *ff. de noxal. act.*

Occurrere in tempore melius est, quam post vulneratam causam remedium quærere.
l. 1. *C. quando lic. quic. sine Iud. se vind.*

Odio alterius nemo debet prægrauari.
l. si quis suo testamento 33. §. *f. C. de inoff. test.*

Officia amicitiæ & fidei gratis præstanda sunt.
l. 1. §. 4. *ff. Mandati.*

Omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alios omnibus modis pertinere.
l. fin. C. vnde vi.

Omnia iudicia publica infamant.
l. 1. *&* 7. *ff. de publ. Iudiciis.*

Omnia, quæ recto consilio geruntur, iure, meritoque effectu & firmitate niti debent.
l. 3. *C. de repudiis.*

Omnino non respondit, qui non ad interrogata respondet.
l. de ætate 11. §. *quod ante* 5. *ff. de interrog. act.*

Opinio non præiudicat veritati.
cap. cum Bertholdus 18. *X. de sent. & re iud.*

Opponens exceptionem Solutionis, probare eam cogitur.
l. 1. *C. de probationibus.*

Optima Legum interpres, consuetudo.
l. 37. *ff. de Legib.*

Ordinarium Remedium facit cessare extraordinarium. *l. fin. C. vt lite pendent.*

Ordi-

Ordinata charitas incipit a se ipsa.
l. præses 6. *C. de seruit. & aqua.*
Ordo Iudiciarius pactis priuatorum tolli non potest. *l.* 19. *&* 38. *ff. de pactis.*

L

Laborandum est, vt pugnantia potius concilientur, quam vt Actus erroris arguatur.
l. 12. *ff. d. reb. dub.*
Lata culpa æquiparatur dolo.
l. quod Nerua 32. *ff. depos.*
Legitime factum retractari non debet, licet casus postea eueniat, a quo non potuit inchoari.
c. factum 73. *de R. I. in* 6.
Libera res quælibet præsumitur, donec contrarium probetur. *pr. inst. de Libertinis.*
Liberalis nemo in necessitatibus præsumitur.
l. rem legatam 18. *ff. de adim. leg.*
Libertas est res inæstimabilis.
l. libertas. 106. *ff. d. R. I.*
Liberum corpus non recipit æstimationem.
l. 3. *ff. quadr. pauper. fec. dic.*
Licita non semper honesta sunt.
l. 144. *ff. de R. I.*
Liquidi cum illiquido non est compensatio.
l. fin. C. de compensat.
Lite pendente nihil innouandum.
l. 13. *C. de appellat. & consultat.*
Lites non debent esse immortales.
l. properandum 13. *C. de iudiciis.*
Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.
c. locupletari 48. *de R. I. in* 6.
Longe commodius est, rem ipsam possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere.
l. 24. *ff. de rei vind.*

Lucrum petentis durior causa est,
l. 33. *ff. de* R. *I.*
Lucrum qui capit, factum præstare debet.
l. 149. *ff. de* R. *I.*

D

Damnum dat, qui iubet dare. *l.* 169. *ff. de* R. *I.*
Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi & non aliis debet imputare.
c. damnum 86. *de* R. *I. in* 6.
Dei venia speranda, vbi multorum salus & incolumitas procuratur. *l. pen. C. de Feriis.*
Delictum personæ non debet in ecclesiæ detrimentum redundare. *cap.* 75. *de* R. *I. in* 6.
Denegare potest, qui concedere.
l. 102. §. *fin. ff. de* R. *I.*
Dies Festos Maiestati altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari.
l. fin. C. de Feriis.
Digna vox est Maiestate regnantis, LL. alligatum se Principem profiteri. *l.* 4. *C. de LL.*
Disiunctorum alterutrum factum sufficit.
l. 110. *s.* 3. *ff. de* R. *I.*
Diuidi quæ nequeunt, solida debentur.
l. 129. *ff. de* R. *I.*
Dolo caret, qui iure suo vtitur. *l.* 55. *ff. de* R. *I.*
Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem. *c. dolo* 59. *de* R. *I. in* 6.
Dolo non caret, qui Magistratui non paret.
l. 199. *ff. de* R. *I.*
Dolus Tutoris pupillo non nocet.
l. 198. *ff. de* R. *I.*
Domus sua cuique tutissimum refugium & receptaculum esse debet. *l.* 18. *ff. de in ius voc.*
Dubii tollendi causa adiectum non vitiat Ius.
l. quod dubitationis 81. *ff. de* R. *I.*

Vanæ

V

Vanæ voces populi audiendæ non sunt.
l. 12. §. 1. *de pœnis.*
Velle est eius, cuius est nolle.
l. 3. *ff. de R. I.*
Velle quis non creditur, quod non potest.
l. Lucius 2. §. *Impp.* 6. *ad Municip.*
Veniam Ætatis impetrans, non habet amplius beneficium restitutionis.
l. 1. *C. de his qui ven. ætat. impetr.*
Verba debent intelligi cum effectu.
l. 1. §. 1. *ff. quod quisque iur.*
Verba non mutant substantiam rei.
l. cum falsa 5. *C. de iur. & facti ign.*
Verba vbi data sunt, non fugiendum est ad interpretationes.
l. prospexit 12. §. 1. *ff. qui & a quibus manumiss. lib. non fiant.*
Veritas est amica simplicitati.
cap. veritatis 14. *X. de iurei.*
Veritas rerum gestarum erroribus non vitiatur.
l. illicitas 6. §. 1. *ff. de offic. præsid.*
Veritas sæpius examinata magis elucescit.
can. graue C. 35. *q.* 9.
Veritati locus semper superest.
l. 29. §. 1. *ff. de probat.*
Via vna electa, non datur regressus ad aliam.
l. si mulier 21. §. *fin. ff. quod met. caus.*
Via vna prohibitum, alia non debet admitti.
cap. cum quid 84. *de* R. *I. in* 6.
Vicinus præsumitur scire facta vicini.
cap. quosdam 7. *& cap. quanto* 8. *X. de Præsumpt.*
Vim non facit, qui Iure suo vtitur.
l. 155. §. 1. *ff. de* R. *I.*

Sa-

S

Satius eſt nocentem dimittere, quam innocentem condemnare. *l. 5. ff. de pœnis.*

Scienti & conſentienti non fit iniuria, neque dolus. *cap. Sciend, 27. de R. I. in 6.*

Scriptoris error partibus non nocet. *l. 92. ff. de R. I.*

Scriptura rei geſtæ probationem continere ſolet. *l. 5. C. de Tranſact.*

Secundum gradum dignitatis, vitæque honeſtatem creſcit aut minuitur iniuriæ æſtimatio. *§. 7. Inſt. de Iniur.*

Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum. *c. ſemel. 5. de R. I. in 6.*

Semel malus ſemper præſumitur malus. *c. Semel. 9. de R. I. in 6.*

Semel quod placuit, amplius diſplicere non poteſt. *c. quod ſemel. 22. de R. I. in 6.*

Semel vtiliter conſtituta ex poſtfacto non vitiantur. *l. 85. §. 1. de R. I.*

Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur. *c. 30. de R. I. in 6. & l. 9. ff. de R. I.*

Sentiens onus, ſentire debet & commodum. *c. qui ſentit. 55. de R. I. in 6.*

Seruari ſibi fidem fruſtra quis poſtulat ab eo, qui fidem præſtitam ſeruare recuſat. *c. fruſtra 74. de R. I. in 6.*

Sexus muliebris fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum non debet conuerti. *pr. I. quib. alien. lic. vel non.*

Si cui licet, quod plus eſt, licet etiam, quod minus eſt. *cap. cui licet 53. de R. I. in 6.*

Simplicitas eſt amica Legibus. *§. ſed quia 7. I. de fideicommiſſ. heredit.*

Igno-

I

Ignorantia facti, non Iuris, excusat.
cap. ignorantia. 13. *de R. I. in* 6.
Ignorantia præsumitur, vbi scientia non probatur.
c. præsumitur, 47. *de R. I. in* 6.
Imperator colit veritatem,& ea vult esse in Legibus, quæ re ipsa obtinent.
l. vn. C. de dedidit. lib. toll.
Imperatoriæ Maiestati conuenit, vt omnipotentis Dei Templa, cultu assiduo, per omnia secula reditiua seruentur.
l. si qui 10. *C. de Hered. & Manich.*
Imperatori nihil gratius quam humanitas.
l. fin. in pr. C. de Episc. & Cleric.
Imperator quemadmodum viuentibus prouidet,ita & morientibus prospicere debet.
l. omne 2. *C. comm. de leg. & fideic.*
Imperiales contractus Legis vicem obtinent.
l. pen. C. de don. inter vir. & vx.
Imputari non potest ei,per quem non stat,si non faciat, quod per eum erat faciendum.
cap. imputari. 41. *R. I. in* 6.
In alterius detrimentum consilium mutare non licet. *cap. mutare* 33. *de R. I. in* 6.
In Iudiciis non est acceptio personarum habenda.
cap. in Iudiciis. 12. *de R. I. in* 6.
In re communi potior est conditio prohibentis.
cap. 50. *de R. I. in* 6.
Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consueuit.
cap. inspicimus 45. *de R. I. in* 6.
Iudex quando aliquid facit, quod ad eius non spectat officium, viribus non subsistit.
cap. ea quæ fiunt 26. *de R. I. in* 6.
Iudicis iussu aliquid faciens, dolo facere videtur.
cap. quod quis 24. *de R. I. in* 6.

Iura

Iura vigilantibus, non dormientibus scripta.
l. 24. ff. quæ in fraud. credit.

G

Generalis locutio personam loquentis non comprehendit. *l. inquisitio 18. C. de solut.*

Generalis prohibitio etiam minima comprehendit.
cap. maioribus 8. X. de præbend.

Generaliter & indistincte prolata, generaliter etiam sunt intelligenda.
l. de pretio 8. ff. de publ. in rem. act.

Generi per speciem derogatur.
c. generi 34. de R. I. in 6.

Geometriam scire & discere, publice interest.
l. artem C. de malef. & mathem.

Gens sub maiori constituta Iudice, maiorem sentiet prouidentiam.
Nou. 15. c. 6. §. audient.

Genus includit omnes species.
l. semper 147. ff. de R. I.

Gladu potestatem sibi datam, nemo potest in alium transferre. *l. 70. ff. de R. I.*

Gratia à Principe super delicto, vel alias alicui facta non præiudicat Iuri Tertii.
c. quamuis & ibi Dd. de rescr. in 6.

Gratiose concessum alicui, ab aliis non debet trahi in consequentiam.
cap. quod alicui 64. de R. I. in 6.

Grauari nequit, qui honoratus est.
l. 1. §. sciendum ff. de R. I.

Grauatus in vno ab alio debet releuari.
l. secundum naturam 10. ff. de R. I.

Graue est fidem fallere.
l. 1. in pr. ff. de constitut. pecun.

Grauis est iniuria, vt homines de rebus suis facere, aliquid cogantur inuiti.
l. dudum 14. C. de contrab. emt.

Gra-

Grauius in committendo, quam in omittendo delinquitur, *l. Metrodorum* 40. *de pœnis.*

N

Natalium origo in deferendis honoribus spectatur.
l. honor. 14. §. 3. *ff. de Mun. & honor.*

Natura prohibita, lege non firmantur.
l. 188. §. *fin. de R. I.*

Necessitas non habet legem.
cap. quanto 4. *X. de Consuetud.*

Necessitatis causa recepta, non debent in argumentum trahi. *l.* 162. *ff. de R. I.*

Negligentibus non subuenitur, sed necessitate rerum impeditis.
l. non enim 16. *ff. ex quibus causis maiores.*

Nemo est dominus membrorum suorum.
l. liber 13. §. 1. *ff. ad L. Aquil.*

Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam ipse habere dignoscatur.
cap. nemo 70. *de R. I. in* 6.

Non debet aliquis alterius odio prægrauari.
c. non debet 12. *de R. I. in* 6.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.
c. peccatum 4. *de R. I. in* 6.

Non est in mora, qui exceptione legitima se tueri potest. *c. non est* 60. *d. R. I. in* 6.

Non est magnum damnum, mora modici temporis.
l. si debitori 21. *ff. de iudic.*

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.
cap. non est 58. *de R. I. in* 6.

Non est sine culpa, qui rei se immiscet, ad se non pertinenti. *cap. non est* 19. *de R. I. in* 6.

Non præstat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.
c. non præstet 52. *de R. I. in* 6.

Non valenti agere, nec currit præscriptio.
l. 2. *& ibi Dd. C. qui admitti ad bon. poss.*

Ab-

A

Abſentia Reip. cauſa non nocet.
l. 140. *ff. de R. I.*
Abſoluere qui poteſt, poteſt & condemnare.
l. 37. *ff. de R. I.*
Abundantia non vitiat ſcripturas.
l. 94. *ff. de R. I.*
Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.
c. acceſſorium 42. *de R. I. in* 6.
Actionem habere minus eſt, quam rem.
l. 204. *ff. de R. I.*
Actore non probante, reus abſoluitur.
l. qui accuſare 4. *C. de edendo.*
Actori non licet, quod reo non permittitur.
cap. non licet 32. *de R. I. in* 6.
Actor ſequitur forum rei.
l. iuris ordinem 2. *C. de iuriſd. omn. iud.*
Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. *c.* 50. *de R. I. in* 6.
Ad agendum qui admittitur, ad excipiendum multo magis eſt admittendus.
cap. qui ad agendum 71. *de R. I. in* 6.
A digniori ſemper fit denominatio.
arg. l. quæritur 30. *ff. de ſtat. hom.*
Æquitas in Iure ſpectanda.
l. 90. *d. R. I.*
Æquitate deſiderante Ius mutatur.
l. 85. §. *fin. ff. d. R. I.*
Ætati in cauſis pœnalibus ſuccurritur.
l. 108. *ff. de R. I.*
Affirmanti incumbit probatio.
l. 2. *C. de probat.*

T

Tacens conſentire videtur.
c. qui tacet 43. *d.* R. *I. in* 6.

Ta-

Tacens non fatetur, ſed nec vtique negare videtur.
c. 44. *de* R. *I. in* 6.
Temporaria mutatio, Ius prouinciæ non mutat.
l. 123. §. *fin. ff. de* R. *I.*
Temporis tractu non firmatur, quod ab initio non ſubſiſtit. *cap. non firmatur* 18. *de* R. *I. in* 6.
Teſtamentaria ſucceſſio plenior eſt legitima.
l. 89. *ff. de* R. *I.*
Teſtamentum inſinuatum Principi & iudici valet ſine ſolennitate teſtium.
l. omnium 19. *C. de Teſtam.*
Teſtamentum Iure perfectum, per Reſcriptum Principis non poteſt reſcindi.
l. teſtamentum 10. *de teſtam.*
Teſtatorum voluntates tuendæ ſunt.
l. 1. *C. de SS. Eccl.*
Teſtatus & inteſtatus decedere nemo poteſt.
l. 7. *ff. de* R. *I.*
Teſtis nemo eſſe poteſt in propria cauſa.
l. nullus 10. *ff. de Teſtib.*
Timor vanus non excuſat.
l. 184. *ff. de* R. *I.*
Traditionibus & Vſucapionibus, non nudis transferuntur pactis rerum dominia.
l. 20. *C. de pactis.*
Transactione ſopita, neque per Reſcriptum Principis ſunt reſuſcitanda.
l. cauſas 16. *C. de Transact.*
Turpitudinem propriam allegans non eſt audiendus. *l. mercalem* 5. *C. de condict. ob turp. cauſ.*
Tutela eo redire debet, quo hereditas peruenit.
l. 37. *in pr. ff. de R. I.*

I

Imperitia culpæ annumeratur.
l. 132. *ff. de* R. *I.*
Impoſſibilium nulla eſt obligatio.
l. 185. *ff. de* R. *I.*

In alternatiuis electio est penes debitorem.
cap. 70. *de R. I. in* 6.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
c. argumentum 78. *de R. I. in* 6.

Infamibus non patent portæ dignitatum.
c. infamib. 87. *de R. I. in* 6.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
c. 81. *de R. I. in* 6.

Iniqua conditio alteri per alterum non est inferenda. *l.* 74. *ff. de* R. *I.*

In legem committit, qui Legis verba amplectens, contra legis nititur voluntatem.
c. certum est 88. *de* R. *I. in* 6.

In malis promissis fidem non expedit obseruari.
c. 69. *d.* R. *I. in* 6.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis. *c.* 65. *de* R. *I. in* 6.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.
c. 49. *de* R. *I. in* 6.

In toto partem non est dubium contineri.
c. 80. *de* R. *I. in* 6.

Iura sanguinis nullo Iure ciuili dirimi possunt.
l. 8. *ff. de* R. *I.*

Ius qui sequitur, non fallitur.
l. 116. §. 1. *ff. de* R. *I.*

V

Vim vi repellere licet.
l. ut vim. 3. *ff. de I. & I.*

Vis est etiam tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, per iudicem non reposcit.
l. 13. *ff. quod metus causa.*

Vita & fama pari passu ambulant.
l. 9. *ff. de manum. vind.*

Vnicuique sua mora nocet.
c. 25. *de* R. *I. in* 6.

Vnius

Vnius circumuentio alteri non parit actionem. *l.* 49. *ff. de* R. *I.*

Vnusquisque rerum suarum moderator & arbiter. *l.* 21. *C. mand.*

Volenti dolus non infertur. *l.* 34. *C. de Transact.*

Voluntarium ab initio ex postfacto est necessarium. *l. sicut ab initio* 5. *C. de O. & A.*

Voluntas ex propositum delinquentis, maleficia distinguunt. *l. qui iniuriæ causa* 53. *ff. de furtis.*

Voluntas hominis ambulatoria est, vsque ad mortem. *l.* 4. *ff. de adim. leg.*

Voluntates legitime contrahentium, omnino conseruandæ sunt. *l.* 6. *C. pro Soc.*

Vox vnius, vox nullius. *cap. veniens* 10. *in fin. X. de testibus.*

Vsuras vsurarum exigere non licet. *l.* 28. *C. de vsur.*

Vtile per inutile non vitiatur. *cap.* 37. *de* R. *I. in* 6.

Vxores a viris, non viros ab vxoribus defendi æquum est. *l. quod si* 2. *ff. de Iniuriis.*

S

Sine culpa, nisi subsit causa, nemo est puniendus. *c.* 23. *de* R. *I. in* 6.

Socius mei socii, socius meus non est. *l.* 47. *§. fin. ff. de* R. *I.*

Solemnia nisi ex æquitate non mutantur. *l.* 183. *ff. de* R. *I.*

Spoliatus ante omnia est restituendus. *c. in litteris* 5. *X. de rest. spol.*

Statutum fines suæ ditionis non egreditur. *l. fin. ff. de Iurisd.*

Stylus ac consuetudo curiarum pro Lege habetur. *§. fin. I. de Satisdat.*

Sub auctoritate Iuris plerumque perniciose erratur. *l. 91. §. 3. ff. de V. O.*

Subditorum commodis prospicere, proprium est. *l. Imperialis 23. C. de Nuptiis.*

Substitutus in honore, succedit in onere. *cap. rationi 77. de R. I. in 6.*

Subtilitates sine vtilitate non sunt sequendæ. *l. 7. in fin. C. de instit. & substit.*

Succedens in Ius alterius eo Iure, quo ille, vti debebit. *cap. is qui 46. de R. I. in 6.*

Suo quod non licet, nec alieno nomine licebit. *cap. quod alicui 67. de R. I. in 6.*

Superflua non nocent. *l. 17. C. de testam.*

Suprema voluntas semper potior habetur. *l. si quis 22. ff. de leg. 3.*

Suspectus est, qui operam suam ingerit inuito. *l. qua omnia 25. ff. de procurat.*

H

Heredi non est relinquendum, quod scelere quæsitum est. *l. cum falsi 12. ff. ad l. Corn. de falsis.*

Hereditas non potest dari pactionibus. *l. 5. C. de pact. conuent.*

Hereditas personæ defunctæ vicem sustinet. *pr. I. de stipul. seru.*

Hereditas vna duobus in solidum dari nequit. *l. 141. §. fin. ff. de R. I.*

Heres de dolo suo in solidum; defuncti vero in id, quod ad eum peruenit, tenetur. *l. 44. ff. de R. I.*

Heres eiusdem iuris est, cuius fuit defunctus. *l. 120. ff. de R. I.*

Hominem homini insidiari nefas est. *l. 3. ff. de I. & I.*

Homo vnus plurium vicem sustinere non potest. *l. si plures 3. ff. de pactis.*

Hono-

Honorem omnem reatus excludit.
l. 1. C. vbi Senat. vel clarissimi.
Honore & Munera non sunt continuanda.
l. 18. ff. ad municip.
Honores gradatim sunt deferendi.
l. vt gradatim, 11. ff. de mun. & honor.
Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.
l. contra 14. C. de re milit. l. 12.
Honor omni lucro præferendus est.
l. reprehendenda 5. C. de inst. & subst.
Honor vnius alteri non debet esse damno.
l. fin. C. de stat. & imag.
Humana natura nouas semper formas edere deproperat. *l. 2. §. 18. C. de V. I. E.*

B

Beneficia Principum latissime sunt interpretanda
l. 3. ff. de Constit. Princ.
Beneficio adiuuari nos, non decipi oportet.
l. 17. §. 3. ff. commendati.
Beneficium a iure alieno indultum, non est ei auferendum. *c. 17. de* R. *I. in* 6.
Beneficium a Principe concessum, decet esse mansurum. *c. 16. de R. I. in* 6.
Beneficium inuito non datur.
l. 69. ff. de R. *I.*
Bene merentibus præmia tribui oportet.
l. fin. C. de stat. & imag.
Benignior Sententia in dubio est præferenda.
l. 65. ff. de R. *I.*
Bona fides in Contractibus est obseruanda.
l. 31. ff. depos.
Bona fides non patitur, vt semel exactum iterum exigatur. *c. 83. de* R. *I. in* 6.
Bonam fidem non habere præsumitur, qui contra iura mercatur. *c. 82. de* R. *I. in* 6.

Bona non dicuntur, nisi deducto ære alieno.
l. 72. ff. de iure dot.
Bona qui non habet, luat in corpore.
l. fin. ff. de iur. dot.
Boni & innocentis viri officio Iudicem fungi oportet. *l. 4. §. 1. ff. fam. hercisc.*
Bonus præsumitur, qui de bono loco & genere natus est. *l. 31. §. 21. ff. de ædil. edict.*

R

Raro accidentia non constituunt ius.
l. 64. ff. de R. *I.*
Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.
c. 10. de R. *I. in 6.*
Ratio est anima Legum.
l. 17. ff. de Legibus.
Ratum quia habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.
c. 9. de R. *I. in 6.*
Realis cautio potior est personali.
l. 25. ff. de R. *I.*
Rebus non verbis Lex imponenda.
l. 28. C. de vsuris.
Rei alienæ se immiscens culpa non caret.
l. 36. ff. de R. *I.*
Rei litigiosæ nulla est venditio.
l. fin. C. de litigios.
Reipublicæ interest, vt dignitas familiarum salua sit. *l. 1. §. 13. ff. de ventr. inspic.*
Religio Iurisiurandi contempta satis Deum habet vltorem.
l. 2. C. de reb. cred.
Remota causa remouetur effectus.
cap. cum cessante 60. X. de appellat.
Rescriptum semper hanc clausulam requirit: Si preces veritate nitantur.
l. 7. C. de diuers. rescriptis.

Res

Res incerta certam non habet æstimationem.
l. vbi 75. *ff. de V. O.*
Res inter alios acta tertio non præiudicat.
l. 1. *C. res inter alios acta.*
Res iudicata pro veritate habetur.
l. 207. *ff. de* R. *I.*

FINIS.